




V
B
J
C





PHILOSOPHIAE CIVILIS
SIVE
POLITICAE
PARS PRIMA
EXHIBENS PRINCIPIA CVM GENERALIA
POLITICAE PVBLICAE
TVM SIMPLICIBVS CIVITATVM FORMIS
PROPRIA

TANQVAM
CONTINVATIONEM SYSTEMATIS
PHILOSOPHICI
CHRISTIANI L. B. DE WOLFF
PRAEMISSO BREVI B. BARONIS ELOGIO
AVTORE
MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO,
GYMNASII ACADEMICI GEDANENS. PROFESS. PHILOS.
EIVSDEMQVE BIBLIOTHECARIO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA
MDCCLVI.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO

DOMINO

FRIDERICO V.

REGI DANIAE, NORVEGIAE, GOTHORVM ET VANDALORVM, DVCI SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE AC DITHMARSIAE, COMITI OLDENBVRGICO AC DELMENHORSTIO ETC. ETC. ETC.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO

REX AVGVSTE,



REGIÆ MAJESTATIS TVÆ Gloria, per omnes cultioris terrarum orbis partes Celebratiſſima non poteſt non in iſta vicinia, qua Gedanum multo plures, quam dies in anno habentur, naves per freta Tua huc tendentes accipit, omnium in ore & admiratione

tione verſari. Nec rei tantum navali commercioque nautico operam navantes, ſed quotquot vel his præſunt, vel ſua ab his accipiunt, vel non omnino ignari ſunt rerum, quæ vel in ipſorum præſentia vel in vicinia geruntur, iis, quæ audiunt, quæ legunt, quæ aliis reddunt, in encomia effunduntur. Qui fieri igitur poſſet, ut cum muſis rem habentes, ignorarent potentiſſimum illud muſarum patrocinium præſidiumque, quod non ficto Apollini, ſed vero numini divino inter Danos ſe manifeſtanti, in acceptis eſt referendum? Multa quidem illius commemorari poſſent documenta, ſi illis hic locus vacaret. Tria vero tantum ut attingam potius, quam enar-

rem, indulgeri mihi velim. Primum est institutum Academiæ scientiarum, non minus æternitati *Regii Nominis* Decus allaturum, ac olim, & superiori & hoc sæculo, in aliis contigit regnis, eadem de causa. Quis enim dubitet, quin hoc pacto Dei, naturæ & artis operum scientia & usus ampliari non tantum in universi regni Daniæ, sed & in totius generis humani emolumenta possit? Quis nesciret, ita simul Munificentiam vere Regiam, qua ista perficiuntur, esse immortalitati consecratam & ab omnibus intelligentibus consecrandam? Quidquid hæc Academia emolumenti ornamentique & orbi erudito & universo generi humano est allatura, id summo

jure

jure in ipſius autorem eſt redundaturum, eidemque gratias procurabit ampliſſimas & ſempiternas. Secundum celeberrima eſt legum danicarum fama, e quibus politica elucet minime vulgaris. Quam in Saxonia literis operam navando dilaudatam eſſe ab iis recordor, qui rerum recte geſtarum ſeriem per diverſa regna enarrabant, tum temporis, cum REGIÆ MATRI feliciſſimæ, ut principi Culmbacenſi in Daniam proficiſcenti, privato dicendi exercitio, neque eo minus affectu ſincero, gratulari jubebar. Hanc enim legum danicarum laudem Molesworth, Anglus, vix quidquam alienum a patriis rebus probans, diſſimulare non eſt auſus, tantam ipſis

æqui-

æquitatem, brevitatem perſpicuitatemque tribuens, quanta in nullis aliis legibus occurrat. Tertium eſt inſigne ſtudium religionem chriſtianam conferendi in ſalutem gentium paganarum, Malabaricæ & vicinarum; eandem & vivis doctoribus, & libris, inaudito exemplo, typorum ope in illarum vernacula deſcriptis, divulgans non ſine optato ſucceſſu. Quæ omnia inter vere regias virtutes pietatem eximiam, & in Indiis efficacem; ſcientiarum longe ultra priſtina pomœria amplificationem & per terrarum ambitum, & per maria & ſidera cœlorum; æmulationem cum Regibus inclutiſſimis glorioſiſſimam; magnificentiam in operibus; munificentiam

in

in liberalitate optime collocata; ſapientiam denique divinæ imitricem, cum prudentia pari, quaquaverſum oſtendunt. Exſplendeſcentium harum virtutum, cæterarumque, REGIAM MAJESTATEM TVAM ultra omne cimeliorum jubar inter ſummos Reges evehentium, veneratio profunda facit, ut dulciſſimo perfruar gaudio, votorum, quæ gratulabundus ſuſceperam, cumulatiſſimum ſuſpiciens e longinquo complementum. Supereſt, ut quantum gloria virtutum jam vincis *Sereniſſimos TVOS majores Daniæ Reges laudatiſſimos*, tantum etiam, quod pariter Lipſiæ auguratus ſum, eosdem vitæ proſperrimæ diuturnitate, regiminis exemplo invidendo,

principum juventutis, tot virtutum ex asse hæredum, Sobole non nisi cum mundi interitu thronum regium destitutura, flore quoque regni perpetuo, mirandis post TE relinquas parasangis. Hac votorum summa ad pedes regios submitto librum, virtutes politicas pro virium mearum modulo sua luce collustraturum

AVGVSTAE
MAJESTATIS TVAE

Cultor & servus devotissimus
MICH. CHRISTOPH. HANOVIVS.

PRAE-



PRAEFATIO.



Pro cœpti operis ratione ad Philoſophiam civilem in *Wolfiano Syſtemate* delatus, non potui non ſentire, quam arduæ ſint res in eadem excutiendæ, quantæque difficultatis ſit, eas pro dignitate ſublimitateque ſua perveſtigare, nedum pertractare. Fruſtra detrectaſſem onus, ſemel in humeros ſuſceptum, cujus gravitas ipſo progreſſu creſcere videtur, fere ut gravia corpora ipſo lapſu ſuo majores ſubinde vires nacta. Fruſtra optaſſem adjutores, perfectos rerum civilium Magiſtros, ipſoque uſu recentiſſimo arcanorum aulicorum publicorumque in-

ſtructos. Nec emeriti occurrunt in regendi artibus verſati, qui eas alios diſcendi cupiditate flagrantes docere vellent; nec in uſu illarum artium poſitis vacat, ut docere illas poſſint, etiamſi vellent.

Aliis ergo utendum fuit ducibus, iisdem nimirum, quibus uſus eſſe deprehenditur Beatus L. B. DE WOLFF, & a quibus ſua habuit præcepta, pleniori nunc luce perfundenda. Præcipua dux ſana eſt ratio, quæ meditando & ignota eruere valet, nec ibi nos deſerit, ubi in calles perplexosque & invios incidimus, cimmeriis circumfuſi tenebris, ex atra caligine emerſuri. Hac utendum fuit, quoties vel deerant in autore præcepta tradenda, nec in aliis reperiunda; vel quæ poſterioribus curis in ſyſtemate Juris naturæ & Gentium videbantur eſſe conſentanea, aut ex iisdem deducenda. Legenda enim videbantur eſſe veſtigia *B. Baronis noſtri*, in Ethicis aliisque diſciplinis progreſſa ultra id, quod in compendio locum non habebat, in ſyſtemate autem non æque erat prætereundum.

Tum conſulendi quoque erant duces demortui,

tui, in rebus civilibus ſubacti experientiſſimique, qui haberi poterant. Hi enim longe ſupra invidiam poſiti ingenue communicant in libris ſuis ea, quibus ipſi ſunt uſi, quove id factum ſit ſucceſſu, quo repreſſu? Si ipſi ea non conſignarunt, quæ egerunt, dantur vero alii, qui ipſorum res geſtas memoriæ prodidere; ex his ea diſcenda ſunt, quæ ex ipſismet reſciri non poſſunt, ſi attente conſideres, quæ ab ipſis perſcripta proſtant. Quibus & illi adjungendi fuere, qui Philoſophiæ civili ita operam dedere, ut vel ipſimet rebus hujusmodi præfuerint, vel ex amicis his rebus innutritis ſua hauſere. Quemadmodum Ariſtoteles ab archiatro Philippi Macedonum Regis in aula educatus, Alexandri Magni formator fuit, & cum ipſo aliquamdiu in imperio verſatus eſt, non minus regiæ, quam cæterarum regiminis formarum inter Græcos obviarum, ſatis peritus. Hujusmodi auxiliis illuſtrari meruerunt præcepta, ambitu ſuo multa complectentia, nec ab omnibus æque facile perſpicienda. Quæ quia ex inſpectis paragraphorum notis conſtant, ulteriori non egent commemoratione.

Ita aggreſſus ipſum opus politicum, humilli-

me venerando Dei beneficio, Partem ejus primam luce publica donare ſum anniſus, in qua quid egerim, paucis erit præmittendum. Fundamenta ſcilicet ipſius ante omnia fuere jacienda & firmanda ſic, ut cætera illis recte ſuperſtrui poſſent. Exhibeo igitur hic generalia omnis Politicæ, in primis publicæ togatæ principia. Oſtendi enim in Politica docendam eſſe artem prudenter feliciterque & regnandi & parendi. Illam dico Politicam publicam, hanc autem privatam. Verſatur illa tum circa ſtatum civitatis pacatum, tum circa hoſtilem, quarum illa pacata vel togata appellatur, hæc ſagata ſeu bellica. Simul etiam genuini & ſpurii politici imaginem delineavi, nec prætereire potui, quanti ſit momenti civilis doctrina, & quomodo a Jurisprudentia diſcernatur.

Quoniam in practicis diſciplinis omnia tendunt ad finis propoſiti conſecutionem quam certiſſimam, tutiſſimam & pleniſſimam: non potui exordium primumque caput ipſius diſciplinæ civilis alii dicare diſcuſſioni, quam finis civitatum explanationi. Ex fine enim omnis metienda eſt indoles civitatis, & finis ipſe fons eſt, unde reliqua civitati vel conſentanea & fructuoſa, vel adverſa

&

& periculosa aut omnino perniciosa, haurienda sunt & liquido derivanda. Quod quum salutis omnigenæ civitatum evolutionem postularet, analysin salutis publicæ curatiorem vidi esse pernecessariam, suppeditandamque quoad singula, quæ in illa continentur, suo quævis loco pretioque habenda. Neque dissimulandum fuit, quousque sic dicta ratio status, utilitas publica, gloria denique & potentia civitatis huc vel pertineant, vel referri non possint.

Hinc prono alveo fluebat moralis civitatum necessitas, quæ est hominum obligatio ad civitatem ineundam colendamque. Itaque secundum caput hanc necessitatem in omni amplitudine sua ob oculos ponit. Cui tertium caput ipsam civitatum originem, non tamen historicam, quæ hujus loci non est, sed moralem subjungit, quid in illa divinum sit, quid humanum; quid rectum vel pravum dici mereatur. In quarto capite accedo ipsam formam & quasi animam civitatis dilucidandam, quæ respublica dici consuevit. In eo ordinis civitatum principia varietasque exponuntur, non solum quando recte se habet respublica, sed etiam quando est corrupta. Vbi etiam docetur,

tur, quod ad ordinem civitatis requiratur imperium ſummum, jus atque dominium eminens, cum jure vitæ necisque; nec non obſequium ſummum ſuis tamen limitibus circumſcriptum, pactoque ſtabiliendum & ſacramento.

Tum accedo in capite quinto & ſexto ad civitatem maximam, quam primo ſummoque loco inter omnes civitates ponendam eſſe, nemo ibit infitias. Omnium enim civitatum officia & virtutes erga ſe invicem complectitur, naturalique hominum æqualitati apprime reſpondet. Recte illam Beatus Philoſophus noſter dixit ſtatum popularem; haud iratis tamen manibus ejus honorificentiori nomine iſocratiam appellare malui, vel Theocratiam naturalem, quia civitas maxima eſt civitas Dei in his terris conſpicua, cui ipſe tanquam Rex Regum ſapientiſſime præeſt. Quoniam ſummi quarumque civitatum humanarum rectores non ſunt niſi divini numinis vicarii in partibus terrarum ſibi demandatis; facile oſtendi potuit, obligari eos ad vices illas quam rectisſime gerendas, cum erga ſibi ſubjectos, tum erga alios Dei vicarios, aliasque civitates.

Exſulavit hæc pars princeps adhuc ex mutilo politicæ corpore, quod paſſim reperitur, ſaltem perparum aut vix quidquam illius Philoſophiæ civili inſeri ſolet. Quo magis mihi incumbendum in id viſum eſt, ut hunc ſupplerem defectum. Deſtinavi igitur eidem peculiare caput, in quod autumabam includi iſta præcepta poſſe. Quum vero longius excreſceret ſub manibus illa doctrina, ne capitum cæterorum brevitas huic plane diſpar videretur, malui ex uno duo facere capita, quorum prius agit potiſſimum de iis, quæ Deo debentur in iſocratia. Vnde inſcribendum duxeram hoc caput *Iſocratiæ pietas erga Deum*; ſed antequam deferebatur Halam iſta tituli mutatio, jam quædam hujus capitis typis erant exſcripta, itaque illi prior manſit inſcriptio. Quod excuſatum æquo Lectorum arbitrio humaniſſime velim. Altero vero ejus capite complector officia erga alias civitates Iſocratiæ obſervanda, cum aliis inſtitutis indidem profectis.

Breviter ibidem innui, ſpem ſummi tribunalis, in quo civitatum cauſæ diſceptarentur, ne bello decertandum ſit, vix ullam oſtendi. Quibus objici poſſet ἀμφικτυονία ſeu concilium amphi-

ctyonicum, olim a Deucalionis filio, Amphictyone Thessaliæ Rege institutum ad Thermopylas, quanquam & Delphis convenisse leguntur forsan Acrisii consilio. Convenerunt ibi primum duodecim populi, quorum plerique Thessali, aut his proximi videlicet Dolopes, Ænianes, Magnetes, Phthiolæ, Maleenses, Thessali, Dorienses, Phocenses, Bæotii (sub his Thebani), Locri, Iones, quibus Athenienses accensebantur. Primorum loco Aeschines habet Perrhœbos & Aetæos. Aliis vel deletis, vel jure suo orbatis, alii accessere, ut Philippi Regis tempore Macedones loco Phocensium & Laconum. Augustus Cæsar in memoriam victoriæ Actiacæ Nicopoli condita Nicopolitanis Jus amphictyonicæ societatis dedit, Magnesiis, Maleensibus, Phthiotis, Aenianibus &c submotis. Coibat hoc concilium quotannis bis, initio veris & auctumni, & extra ordinem, quoties res poscebat.

Quia ad (πυλας) portas h. e. angustum transitum in reliquam Græciam, conveniebant, dicebatur conventus pylæa, & illuc a civitatibus missi pylagoræ. Aeschines ipse Pylagora in sua oratione περι παραπρεσβειας narrat binum cuique genti

suffra-

ſuffragium fuiſſe, ut veniens Dorio & Cytinio tantumdem valeat ſuffragio, quantum Lacedæmonius, & tantundem Erythræum & Prienenſem, quantum Athenienſes. Aeſchines ab Athenienſibus eo miſſus fuit cum Midia & Thraſicle & cum (ἱερομνημονος) ſacerdote Diogneto. Pauſanias ſuo tempore (Antonino Pio imperante) illud incolume fuiſſe refert & tum habuiſſe 30 Aſſeſſores.

Scopus ſenatus hujus ſupremi fuit, ut eſſet ſummum Græciæ tribunal ad judicandas definiendasque lites publicas. Confluebant illuc civitates graviores cauſas controverſas habentes, aut quæ jus ſuum ab aliis conſequi non poterant. Iudices hi delatos citabant, in comparentes, auditos & convictos item in non comparentes & contumaces ſententias ferebant teſtibus adhibitis, easque ſi illis non pareretur, vel ipſi exſequebantur, vel ſi id per ſe facere non poterant, aliis, qui poterant, exſecutionem demandabant. Tantæ autoritatis fuit hoc concilium, ut judices lædere capitale eſſet, & res judicatæ bellis locum darent. Præterea Amphictyones curam templi Delphici & anathematum theſaurorumque ejus, qui maximi

erant habuere, ne vel illis, vel depositis & sequestro datis damnum inferretur.

In obtinendum hunc finem populi eorumque pylagoræ jurejurando se obstringebant, se nullam urbem amphictyonicam everſuros, nec aqua profluente prohibituros sive pace sive bello. Si quis id faceret, eum se bello petituros, urbesque inversas instauraturos; ac iis, qui spoliarent Apollinem, aut res ejus violarent, quique scelerati talis consilii conscii essent, eos se ulturos pede, manu, voce, viribus omnibus, addita exsecratione; Aeschinis testimonio, in citata oratione.

Attamen hunc Aeschinem domi accusat *Demosthenes* in oratione, qua se & Ctesiphontem contra ejus calumnias tuetur, ob nequissima consilia & linguam Philippo in perniciem patriæ commodatam, ut ipso præcipuo autore in Amphissenses bellum conflaretur. Aeschines contra Demosthenem arguit, quod accepta ab impiis Amphissensibus pecunia seque & rempublicam piaculo illigarit. Philippus, bello sacro victor, Phocenses ob sacrilegium templo delphico direpto commissum, Phocenses, Lacedæmonios vero ob adjutos sacrilegos Phocenses jure amphictyonum exuit, idque Macedoniæ suæ vindicavit, *Pausania* auto-

autore *in Laconica*. Poſtea vero quam Phocenſes fortiſſime ſe contra Gallos geſſerant, loco ſunt reſtituti ſuo in ſynedrio, mulcta forte addita, cujus mentionem facit Pauſanias. Sed jam de his nimis multa.

Ponamus exempli loco Phocenſes diripuiſſe templum Apollinis delphicum, & Delphos omnes extirpaſſe, niſi obſtitiſſet Archidamus, belli hujus ſocius, *Pauſania* teſte. Fingamus Amphictyones propterea damnaſſe Phocenſes, & Thebanis bellum in ipſos demandaſſe; hi enim bellum adverſus eos ſuſcepere. Mittunt tamen Athenienſes & Lacedæmonii publico decreto auxilia, contra iſtam ſententiam, ſi lata fuit, ſin minus, Amphictyones officio ſuo defuerunt. Priori caſu nihil obtinuere, niſi bellum ſacrum decennale, forte absque tali ſententia non oriturum. Fuit quidem ejus exitus is, ut vincerentur Phocenſes exciderentque jure concilii. Sed victor fuit Philippus, cui demandari exſecutio non potuit, qui potius bello uſus eſt ad Græcos ſibi ſubjiciendos: de quo præter orationes Demoſthenis Hiſtoria conſulenda. Itane conſtat, parum ſynedrio Amphictyonum Græcos eſſe lucratos, quod non citra illud pariter conſequi potuiſſent. Neque avertere cla-

des Græciæ & Romanorum victorias potuit communis ille ſenatus. Nec quod in Græcia exigua factum eſt, in vaſta civitate Dei itidem fieri poteſt.

Quidquid ergo ſit de Amphictyonum ſenatu, parum vel nihil a ſimili inſtituto civitati maximæ polliceri poſſum, tametſi alios ſuo abundare ſenſu facile patior. Perrexi a civitate maxima ad affinem ipſi democratiam vel ſtatum popularem. In hoc, quid æqualitati libertatique omnium vel conveniat, vel repugnet, exponendum fuit, & quot modis hujusmodi forma civitatis bene aut male inſtrui poſſit, quænam faciant ad illam conſervandam labefactandamque, & quæ his noxis remedia quærenda? Simili ratione perſecutus ſum ea, quæ in Ariſtocratia & Monarchia peculiaria occurrunt, quæ niſi feſtinatio obſtitiſſet, ampliorem occupaſſent campum. Sed quia tempori eſt parendum, nil quoque amplius præfandum videtur, niſi ut lecturis fauſtiſſima quæque in ſua cuique civitate ex animo exoptem.

CONSPECTVS

TOMI I.

PHILOSOPHIAE CIVILIS PRINCIPIORVM,

SIVE

POLITICAE PVBLICAE GENERALIS.

CAPVT

POLI-

CHRISTIANI
S. R. I.
LIB. BAR. DE WOLFF
VITA
BREVITER DELINEATA

A

IOANNE GERBERO, A. M.

SCHOLAE PRIMARIAE GEDANENSIS RECTORE.



Quodsi unquam virorum de republica litteraria præclare meritorum memoriam conservare nos decet, iis certe, qui vel novas disciplinas invenerunt, vel, quas acceperunt posteris mirifice auctas reddiderunt, tanto magis hoc debemus, quanto maiorem ex eorum laboribus feliciter peractis, omne genus humanum percepit utilitatem. Quem quidem honorem si cui alii *illustri* certe CHRISTIANO *S. R. I. Libero Baroni* de WOLFF, *domino hereditario in Klein Dölzig, S. R. M. Borussorum a consiliis sanctioribus, Academiæ Halensis cancellario, juris naturæ & gentium pariter ac matheseos professori publico ordinario, academiæ*

Petropolitanæ professori honorario, societatum regiarum Londinensis, Parisiensis, Berolinensis ac Bononiensis collegæ honoris caussa adscripto habendum esse, neminem vmquam credo negaturum. Insignis enim hicce vir atque sui ipsius animi virtute excellens, non modo incredibili studio ac contentione in litteris poliendis limandisque ætatem consumsit, verum etiam nova disciplinarum invenit genera, quorum ne nomen quidem antea cognitum erat ac perspectum. Quare nos operæ pretium facturos esse existimamus, si res gestas illius paullo exponamus liberius, eorum potissimum caussa, quorum hæc nosse vel maxime interest. Quidni vero omnium litterarum studiosorum interesse arbitremur, vitam *tanti viri* penitius perspicere, qui veritatibus, distinctionum divisionumque scholasticarum furfuri immistis, ac cimmeriis quasi tenebris involutis singularem plane adfudit lucem, a quo negotio nec fortuna interdum maxime adversa, nec corporis valetudine minus commoda potuit deterreri.

Perrenne hoc atque immortale cum Germaniæ, tum totius orbis litterarii decus ac palladium a cœlo quasi demissum, natum est *Wratislaviæ*, urbe a primis inde temporibus præclarissimorum ingeniorum feracissima, die nono calendarum Februarii anno post reparatam mortalium salutem

mille-

millesimo sexcentesimo septuagesimo nono. Patre usus est CHRISTOPHORO WOLFFIO, nobili quidem genere haud prognato, nec divite, litterarum tamen monimentis vel aliquantisper imbuto; matre ANNA GILLERIA, pia & sexus sui virtutibus præ multis ornatissima. Quum optimi parentes filium hunc a teneris sanctioribus litteris dicassent, nihil sane intermiserunt, quod ad præstitutum sibi scopum aliquo saltim modo pertinere videbatur. Ex quo igitur filium id ætatis consequutum esse arbitrati sunt, qua salutari cognitione imbui posset, sacras tabulas sæpius sæpiusque relegere domi eum oportuit, & severa lege caverunt, ne quacumque alia re, & ne summo quidem frigore se impediri patiatur, quo minus statis diebus sacris interesset concionibus, quæ sæpe ante lucem, quarta nempe diei hora haberi consueverant. Neque minus optimus pater eum prima linguæ latinæ fundamenta, non certis horis, huic negotio dicatis, sed inter confabulandum sermonesque quotidianos tanta arte docuit, vt, quum in puero mira ingenii esset docilitas, insignes plane fecerit progressus. Octavo enim circiter ætatis anno ad ludum litterarium missus sextæ ejusdem classi per trium modo mensium spatium interfuit, quum, publica profectuum habita disquisitione, dignus iam est habitus, qui ordini quinto adscri-

beretur. Pari diligentia atque animi contentione reliquas percucurrit claſſes, donec primariæ premeret ſubſellia. In his vero omnibus optimos quosque ſemper nactus eſt præceptores. Eruditus nempe eſt a POHLIO, KRANZIO, GRYPHIO, NEVMANNO, qui eum nonſolum humanitatis ſtudiis, quibus puerilis pariter atque juvenilis ætas impertiri debet, imbuerunt, verum etiam, quoad ejus fieri potuit, ſublimiores jam docuerunt diſciplinas. Inprimis vero ab ineunte ætate inſignem philoſophiæ dedit operam, eique, licet paullo ante excitatus GRYPHIVS eam ARISTOPHANIS dictis inter prælegendum ſæpius ſæpiusque riſui exponeret, tanto incubuit ardore, ut, quum, quid ii, quorum paupertas beneficiis publicis ſublevebatur, didiciſſent, perquireretur, HANKENIO *Athenæi Eliſabethani Rectori*, viro μεταφυσικωτάτῳ, prompte reſpondendo mirum in modum ſe probaverit. Quum vero doctiſſimus CASPARVS NEVMANNVS in prælectionibus quibus ſanctioris doctrinæ præcepta explicare erat ſolitus, quam manca ſit philoſophia ſcholaſtica, quæ in illa deſiderari, quæ recidi poſſint, ingenue indicaret, ac mala inde in ſacras litteras redundantia non raro, indignabundus, oſtenderet; WOLFFIVS noſter ejusdem defectus citius perſpexit, & jam tum de quibuscumque rebus, in ea pertractatis, notiones paullo

paullo meliores ſibi formandi cepit conſilium. In quo quidem negotio eo felicius eſt progreſſus, quo magis, POHLII adhortationibus permotus, carteſianæ philoſophiæ penetralia ſcrutatus eſt. Interea inſigni proficiendi ſtudio flagrans mirifice optavit, ut, quæ paullo ante in publicam lucem erat emiſſa, *Illuſtris* TSCHIRNHAVSII *medicinam mentis* legendi ſibi daretur occaſio. Attamen quum præclarum hunc librum Wratislaviæ nullo modo poſſet conſequi, & ibi ne locus quidem ſupereſſet, unde illum mutuum ſumeret, cupiditate quidem non imminuta, neceſſitate certe coacta, iis, quos forte habuit, libris contentum eum eſſe oportuit. E quorum numero hoc ſaltim tempore ſæpius ſæpiusque perlegit AGRICOLAE libellum, qui *de arte dialectica* inſcribitur, eam potiſſimum ob rationem, quoniam philoſophiam, quam aiunt, ſcholaſticam in eo ſalſe atque acriter Autor perſtrinxit.

Laboribus hisce ſapienti conſilio ſuſceptis ſanctiorum litterarum iunxit culturam. Non enim modo NEVMANNVM KÖNIGII *theologiam poſitivam* apertius explanantem ſtudioſe diligenterque audivit, ſed etiam domi aliorum *ſyſtemata* exquiſita induſtria evolvit, & diurna nocturnaque verſavit manu. Neque illorum, qui in rebus ad fidem pertinentibus nobiscum diſſentiunt, libros, quibus

quid credant, negentque copiosius exponunt, intactos reliquit. In primis reformatorum & romano-catholicorum sententias perspiciendi valde erat cupidus, & scripta eorum theologica summa cum cura perlegit.

Omnibus hisce quantiscumque rebus minime tamen potuit impediri, quo minus amœnissimæ mathematicæ disciplinæ se traderet. Quamquam enim Wratislaviæ egregii quid in ea præstandi ipsi deesset facultas, cum præter usum sphærarum mundi, & cognitionem figurarum geometricarum nihil eum docerent præceptores; suo tamen marte, incredibili quodam studio, in eamdem incubuit. Etenim simul ac FRISII *arithmeticam latinam*, & HORCHII *arithmeticam germanico idiomate conscriptam* ei evolvere licuit, nulli pepercit labori, donec præter alia radicem quadratam & cubicam extrahendi calculique, quem aiunt, litteralis didicisset artificium. Pari felicitate in geometricis addiscendis minime est usus. Namque primo non potuit perspicere quænam tandem his posset confici, & quibus rebus aliquando usui essent. Deinde, postquam in bibliotheca publica CLAVII opus vidit atque evolvit, parum abfuit, quin totam hanc abjiceret disciplinam, cum demonstrationes diffusas, quas ibi adtulit, nulli umquam posset intelligere negotio. Attamen insignis

ille

ille discendi ardor, qui animo eius alte quasi infixus hærebat, non potuit penitus exstingui, qui etiam deinde tam insigniter inclaruit, ut, quum de academia eligenda ipsi esset cogitandum, Jenam præ ceteris eligeret, ubi duce HAMBERGERO mathesin atque physicam posset edoceri. Quam prudenter hac in re sit versatus, eius rei postea abunde docuit eventus. Anno enim millesimo sexcentesimo nonagesimo nono Jenam profectus talem in HAMBERGERO nactus est doctorem, qualem umquam sibi optare potuit. Hunc STVRMII mathesin *enucleatam* & *compendiariam*, ejusdemque scriptoris *physicam conciliatricem* pariter ac TSCHIRNHAVSII *medicinam mentis* explicantem tanto gaudio perfusus audiebat, ut POHLIVM per litteras faceret certiorem: *se iam* HAMBERGERI *eadem lætitia, qua antea* NEVMANNI *rerum difficiliorum percipere explicationes.* Attamen, quoniam allegati libelli mathematici euclidea ratione minime erant conscripti, sæpe scopulos offendit, quos superare haud potuit, nisi, ubi calculi litteralis ope his quoquo modo lucem affundere conatus est, donec, Taquetti elementis euclideis usus, etiam ea demonstrationibus posset firmare, quæ STVRMIVS corollariorum loco tantum posuerat.

Præter alias, quæ mathesin omnem exhaurire videntur, disciplinas, philosophiæ etiam in primis studuit.

ſtuduit. Ut enim fundamenta, quæ jam in urbe patria jecerat, quævis ſubſtrueret ſolidiora, TREVNERIS, HEBENSTREITIIS, MÜLLERIS, aliisque viris clariſſimis, qui inſigni tunc ingenii doctrinæque fama floruerunt, haud interrupta diligentia ſe præbuit erudiendum. Neque iurisprudentiam plane reliquit intactam, & tanta animi contentione ſanctioribus litteris, præeuntibus præſertim TREVNERIS, MÜLLERIS ac BECHMANNIS ſtudium ſuum dicavit, ut, quem aliis rebus impenderat laborem, in hanc unicam præclariſſimamque diſciplinam contuliſſe videtur. Tribus annis in ſtadio, quod ipſi erat ementiendum, tam laudabili ratione peractis Lipſiam circa dies feſtos, quibus memoriam nati Chriſti publica concione recolimus, anno CIϽ IϽ CC II ſe contulit, ut ibi ſummos in philoſophia peteret honores. Inde, profectibus ejus trutina quaſi examinatis, Jenam rediit, ubi aſtronomiæ diſcendæ cauſſa per anni adhuc ſpatium eſt commoratus. Hic, uti alias ſemper; ita nunc præſertim in matheſi ac philoſophia domi mirificum poſuit ſtudium. In primis hoc tempore TSCHIRNHAVSII *medicinam mentis* ſedulo perlegit. In qua, quum multa inveniret, quæ intellectu eſſent difficillima, & alia ex aliis eum impedirent, quo minus cum fructu quodam pedem ad cetera poſſet promovere; ipſe ſibi quasdam formavit rerum notiones, quas

quas cum terminis, ibi repertis, optime connecti posse arbitrabatur. Quid? quod, quum illustris ille scriptor nullibi indicasset, qua ratione primæ quasi lineæ definitionis realis essent inveniendæ, jam tum rem cogitando est adsequutus, quam deinde omnium cum plausu suis operibus intertexuit. Interjectis quibusdam mensibus Lipsiam iterum excurrens ipsis nundinis, quas dicunt, paschalibus, perillustrem illum virum convenit, eidemque animi sensa patefecit, quid nempe in ejus libro ei impeditum occurrisset, & quomodo laqueis hisce se studuisset expedire. Quae quidem ille haud sibi displicere adfirmavit, sed de elementis definitionis realis & ratione, qua artem calculi differentialis sibi acquireret, sciscitanti, nihil fere respondit, & hujus tantum gratia quasdam mathematicorum præscripsit lucubrationes. His, Jenam reversus, magna cum industria perlectis insignem sane matheseos sibi acquisivit cognitionem, quam ut Lipsiæ potissimum doceret, illuc circa finem anni CIↃ IↃ CCIII se recepit.

Quo vero iura docentium more maiorum rite obtineret, quam Jenæ jam elaboraverat dissertationem: *de philosophia practica universali, methodo mathematica conscripta* summa laude in philosophorum exedra defendit. Hoc, quantum scimus, primum erat opus, quod cum orbe erudito

b Noster

Noſter communicavit, ſed tam præclarum tamque excellens, ut quisque jam tum de eo poſſet judicare, qualis olim futurus eſſet. A prima juventute de emendanda philoſophia practica cogitaverat, & hoc aliquando efficiendi tanto flagrabat deſiderio, ut a ſe minime poſſet impetrare, quin primo, quo inter eruditos inclareſceret, ſcripto immenſum hunc laborem adgrederetur.

Antea vero quam hæc conatuum quorumcumque primordia typis exſcriberentur OTTONI MENKENIO tunc temporis moral. Prof. ut in academiis ſolet, offerre eum oportuit. Cui vero, uti & aliis viris doctiſſimis TSCHIRNHAVSIO ac NEVMANNO, tam mirifice placuiſſe accepimus, vt, ex quo hanc diſſertationem perlegerat, WOLFIVM in *actis eruditorum* conficiendis ſibi deligeret ſocium. Neque his contentus erat vir iſte admodum præclarus, ſed inſigne hoc ingenii doctrinæque Wolfianæ monimentum perilluſtri miſit LEIBNITIO, qui brevi tempore poſt non ſolum ei indicavit, ſe magni id facere, ſed etiam ad Noſtrum perferendas curavit litteras, quas hic, dum inopinato illas acciperet, non niſi rubore ſuffuſus, potuit reſignare, benigne tamen excipiens ea, quæ in diſſertatione ingenue notaverat LEIBNITIVS.

Simul atque facultate publicas aperiendi ſcholas eſſet ornatus, ſine more matheſin docere cepit,

in

in quo, ut eo felicius poſſet progredi, libros ad hoc negotium neceſſarios PFAVZIVS & PAVLI ei ſubinde mutuo dederunt. Neque alias ſepoſuit diſciplinas. Phyſices enim præcepta, duce STVRMIO litterarum ſtudioſis diligenter explicuit, & in logica pariter ac metaphyſica rectius inculcanda inſignem plane adhibuit operam. Hanc quidem ad nullius, ſed ſui ipſius tradidit arbitrium, quum huius rei ſyſtema non conſcripſiſſet LEIBNITIVS, & libros metaphyſicos, quotquot forte exſtarent, nauci floccique iure meritoque faceret; in illa vero explicanda ſæpius jam excitata TSCHIRNHAVSII *medicina* merito uſus eſt. Quamquam enim illuſtris quidam ſcriptor profitetur, Noſtrum jam tum ſummam libri in charta notatam ſuis exornaſſe ſententiis aliisque propoſuiſſe, tamen, vt hoc credam, minime poſſum adduci. Immortalis enim WOLFIVS ipſe adfirmare ſolitus eſt: WILLENBERGIVM, *celeberrimum quondam Gedanenſium profeſſorem* popularem ſuum primam quaſi ſibi dediſſe occaſionem litteris conſignandi, quid in logicis docendum eſſe putaret, quum ille privignos ſuos DANIELEM & CASPARVM BARTHIOS ſibi erudiendos tradidiſſet. Hi vero eo, quod doctiſſimus iſte vir, indicavit, tempore adhuc inter Athenæi Gedanenſis ejusque claſſis ſecundæ cives locum obtinuerunt, neque tum de academia quidem eligenda

 fue-



fuerunt solliciti. Sed hæc obiter adnotasse sufficiat.

Hac in re WOLFIVS noster legendo, disputando atque interdum etiam sacras ad populum habendo orationes tam fortiter tamque pulchre stetit, vt, gloria ejus in diversas oras perlata, anno CIƆ IƆ CCIIII Gedanum ad mathesin docendam; anno CIƆ IƆ CCV Vismariam, ut scholam regeret, & non multo post Giessam, ut mathematicas disciplinas traderet, evocaretur. De hoc ultimo tristissima rerum quarumcumque facie certior fiebat, quum anno CIƆ IƆ CCVI mansvetiores musæ, bello Svevico adactæ, huc illuc delitescendi caussa confugerent, atque in acroateriis nulla fere vox docentium audiretur. Idoneum igitur tempus ratus, has subeundi partes Giessam contendit, ubi a WEBERO *academiæ illius postea cancellario* humaniter sane est exceptus. Quum vero princeps longe abesset a suis regionibus, & Noster inde impediretur, quo minus munus sibi delatum capesseret, animo secum constituit, ad suos proficisci antea, quam rerum & fortunarum suarum sedem Giessæ collocaret. Sed longe aliud decreverat providentia. Halam enim Saxonum in itinere pervenienti viri illustres STRYCKIVS & HOFFMANNVS valde persuaserunt, ut hanc potissimum præ illa eligeret academiam, quoniam HAMBERGERVS eum in primis dignum

dignum judicasset, qui mathesi tradendæ præficeretur, & ibi præterea amplior esset campus, in quo virtus ejus excurrere posset ac cognosci. Celeberrimus HOFFMANNVS litteras dedit ad LEIBNITIVM, & WOLFIVM, ut idem faceret sedulo est cohortatus, quo eum libero Baroni a DANKELMANN, cui academiarum cura tradita erat, commendaret. LEIBNITIVS, qui Nostrum ob insignem, quam sibi pepererat, quarumcumque rerum cognitionem, iam inde ab aliquot annis impensius amaverat, non potuit, quin precibus ejus statim adnueret. Simulac WOLFIVS id rescivit, iter suum Berolinum direxit, & DANKELMANNVM conveniendi quæsivit occasionem, qui unius mensis spatio omnem rem confecit. Inde ad suos tendens, Halam circa finem anni CIↃ IↃ CCVI reversus est, ubi rerum conditionem longe aliam esse reperit, quam cogitarat ante, aut saltim optaverat. Mathesis tum incognitum quid ibi erat atque ignotum, & philosophiæ ratio sic erat comparata, ut ei nequaquam posset placere. Præterea THOMASIVS, GVNDLINGIVS, ac RÜDIGERVS eam cum tanto omnium plausu docebant, vt ne essent quidem, qui ipsum vellent audire. Primis igitur temporibus juvenes instituit mathesi, architectura civili ac militari, ad ductum aliorum; algebra autem ad regulas, quas ipse composuerat. Postquam

vero HOFFMANNVS Berolinum discesserat, physicam experimentalem pariter ac dogmaticam tradere incepit. Quamvis autem deinde, petentibus quibusdam etiam reliquas philosophiæ partes prælegeret, discipulorum tamen exiguus erat numerus, donec lecti quidam juvenes inter quos & KÖHLERVM Jenensium postea professorem fuisse intelleximus, novi quid audiendi cupiditate forte adducti eum accederent. Attamen quum præter spem atque opinionem Nostrum harum rerum peritissimum esse iudicarent, ejusdem scholas frequentarent, ac alios, si qua de rebus litterariis orta esset lis facile vincerent, mirum in modum eorum numerus est auctus.

Interea Lipsienses mox perspiciebant, qualem amisissent virum, & OLEARIVM, FRITSCHIVMve iusserunt ei persvadere, ut illuc rediret, quod tamen noluit, quum nefas putaret, partes vix ante annum susceptas deserere. Permansit igitur Halæ Saxonum, & quantum in eo fuit, disputationibus commentationibusque academiæ gloriam illustravit, donec anno CIↃIↃCCVIIII novo & intacto hucusque operæ *Aërometriæ* orbem eruditum donaret, quo tantum sibi acquisivit nomen, ut sequenti anno regia Londinensis societas eum in suorum numerum libere cooptaret, & Berolinensis academia eum quoque sibi adjungeret socium, ne, quem

pere-

peregrini honoribus auxissent, plane neglexisse videretur.

Eodem tempore *elementa matheseos* quatuor voluminibus in forma octupla & deinde *tabulas sinuum & tangentium* in lucem eduxit. Anno CIↃ IↃ CCXII *logicam* patrio sermone consignatam evulgavit, quæ, quantumvis parvus est, nec adeo magnæ molis libellus, maximo tamen rei litterariæ fuit emolumento. Eo vero, qui hunc excepit, anno opera mathematica latina duobus voluminibus, quarta forma conspicuis, prelo subjecit, quæ tanti æstimabantur, ut mortuo PLANERO, altioris apud Vitembergenses matheseos professore, augustissimus Poloniarum rex patres academiæ iuberet WOLFIO nostro munus hoc offerre. Quo facto hic quidem illud non renuit; inscio tamen rege noluit discedere. Hunc igitur hac de re humillime fecit certiorem, qui, quum bene cognitum haberet, quanto usui academiæ adhuc esse posset, beneficiis devinctum studuit retinere, eidemque non solum majorem pecuniæ summam, sed etiam honores, ut ejus nempe esset a consiliis liberaliter decrevit. His grato, ut ingenuum hominem decet, animo acceptis, Vitembergensibus iterum, quid demum secum constituisset, sciscitantibus Halae se mansurum respondit. Sed, vix hoc negotium erat confectum, quum aliæ jam longe melio-

meliores amplioresque ei deferrentur partes. PETRVS enim I. Ruſſorum imperator, æterna memoria digniſſimus, qui omnem movit lapidem, ut populum ſuum politiorem redderet, felicioremque, ex omnibus fere regionibus doctiſſimos peritiſſimosque homines conſcripſit, quorum opera recte uteretur. Quoniam hi vero ſæpe novas ei offerrent rerum inventiones mirifice optavit WOLFIVM ſecum habere, qui has poſſet dijudicare. Quod quum noſtro eſſet nunciatum, parum abfuit, quin hoc munus ſubiret, donec tandem exquiſito LEIBNITII conſilio, atque hoc diſſuadente vltro illud recuſaret. Sequenti tempore multas commentationes foras dedit & in primis anno CIↃ IↃ CCXVI. notiſſimum illud *Lexicon mathematicum* typis exſcribendum curavit, quod non modo in Etruricum idioma translatum, ſed etiam apud nos multoties prelo eſt ſubjectum. Eodem anno LEIBNITIVS, doctorum, immo litterarum decus, Vienna rediens Halæ eum convenit. Illuſtris hic vir, cui hominum ſalus curæ cordique erat, graviter eum eſt hortatus, ut, quam ante plures annos edidiſſet inventionem de multiplicandis frumenti granis ulterius ſtabiliret. Non potuit, quin tanto viro obtemperaret, & rem experiendo tentandoque mirifice confirmatam ſingulari libello, qui tamen poſt mortem LEIBNITII demum pro-
diit,

diit, eruditorum ſubjecit disquiſitioni. Interjecto quodam temporis ſpatio epitomen elementorum matheſeos compoſuit, & non modo *actis eruditorum* quasdam commentationes inſeri paſſus eſt, ſed etiam LEIBNITII vitam breviter dedit delineatam; &, quum ſereniſſimi academiæ Jenenſis nutritores ei ſignificarent, ſe eum in HAMBERGERI, ſui quondam præceptoris, locum velle ſuffigere, huic tamen provinciæ ſibi delatæ in univerſum excuſari maluit. Quodſi vero alius annus certe CIƆ IƆ CC XX in primis notatu eſt digniſſimus; quippe quo *metaphyſicam*, quæ tot movit lites, & *philoſophiam practicam* cum eruditis communicavit. Illa cum LEIBNITII præceptis mire convenit, licet ejus *monadologiam*, & *controverſias* ejus cum CLARCKIO aliquantum poſt demum viderit, id quod maximam hominis ſagacitatem nobis ante oculos ponit, qui ex pauciſſimis Leibnitianis mentem ejus & veritatem potuit eruere. Quid, quod? hoc anno cum Prorectoris munere ac honore auctus, tum a PETRO *magno*, ſub quibuscumque conditionibus vellet, & a *Bononienſibus*, vt ſummo negotio, Reno in Padum derivando præeſſet vocatus eſt. Attamen, uti in rebus humanis ſic eſt comparatum, ut ſerenam tempeſtas turbulenta ſubinde excipiat; ſic fortunam de qua Noſter huc usque lætatus erat, quævis mala ſequuta ſunt.

Quoniam enim omni modo saluti juvenum studeret; sæpe eos monuit, ut, quæ in diversis disciplinis obviæ essent notiones obscuras, ac confusas, ope *philosophiæ* lucidas redderent atque apertas. Hoc illi, qui disciplinas has docebant, nullo modo ferri posse arbitrabantur, quorum simultas multo magis aucta est, quum anno CIↃIↃCCXXI prorectoris provinciam LANGIO tradens, in sollemni panegyri orationem *de Sinarum philosophia practica* haberet. Qua quidem recitata sanctiorem doctrinam docentium mirificum in se concitavit odium. Ordinis huius Senior BREITHAVPTIVS, abbas, sequenti die in sacra populi concione adversus eum detonabat. Decanus nomine sociorum postulabat, ut, ad quod WOLFIVS minime potuit adduci, orationis exemplum eis redderet, & STRÆHLERVS interea, spe fortunæ stabiliendæ excitatus, libro Jenæ impresso, maximorum imo periculosissimorum errorum eum incusabat. Quamquam vero Rex FRIDERICVS WILHELMVS se hoc nullo modo passurum adfirmabat, tantum tamen abfuit, ut inimici ejus quiescerent, ut potius omnia moliri conarentur. Componebant indicem errorum, qui in scriptis WOLFII reperirentur, eumdemque tradebant philosophici ordinis decano, qui eum, plerisque dissentientibus, tamquam ab omnibus probatum Berolinum perferendum curabat. Clementissimus

ſimus rex præter inimicorum opinionem WOLFIVM de his omnibus fecit certiorem, eidemque, ut ſe defenderet injunxit. Hic ſine mora imperata perfecit, cui diu nil adverſi accidit, donec hoſtes ejus, novis calumniis eum perſequentes, regem, pietate conſpicuum commoverent, ut die ſexto nonarum Novembris anno poſt reparatam hominum ſalutem CIƆ IƆ CC XXIII mandatum publicaret, & WOLFIVM, officio atque honoribus exutum, niſi capitis pœnam vellet ſubire, intra viginti quatuor horas regionibus ejus diſcedere juberet.

Quamquam noſtro, inopinato hoc fulmine tacto, triſtior hic dies fuerit tetra illa nocte, qua NASONEM olim Roma migrare oportuit; forti tamen animo ac conſtanti quævis ſibi cara, uxorem perdilectam, partuique proximam, ac filium uno vix anno majorem, fato coactus, reliquit, & intra duodecim horas Hala egreſſus Martisburgum ſe contulit. Hic diligenter ſecum reputavit, quo ipſi potiſſimum eſſet eundum. Namque in ſumma rerum ſuarum perturbatione non ſemel Marburgum vocatus, & Viennæ pariter ac Petropoli ſocietatum, ut ajunt, ſcientiarum conſtituendarum præſes erat electus. Rebus animo bene luſtratis Marburgum præferendum eſſe duxit, ubi a ſereniſſimo Haſſorum Principe ſummo cum gaudio eſt exceptus, qui ſeptem diebus modo interjectis, poſtquam Berolini exilio erat

multatus, litteras vocatorias ei tradi juſſit. Vix huc ſe contulerat, quum Ruſſorum imperator ac Poloniarum rex magna ſpe excitatum in ſuas regiones deducere ſtuderent, quæ res ipſo renuente eo deducta eſt, ut per trium annorum ſpatium Marburgi moratus Lipſiam contenderet.

Primus, quem hic conſcripſit, libellus *adnotationes* erant *in metaphyſicam*, quam præterlapſo brevi tempore BÜLFINGERVS & RIBOVIVS etiam ſibi ſumſerant illuſtrandam, ut, quæ excogitatæ erant objectiones uno quaſi ictu concuſſæ jacerent. Interim inimici ejus ingentes motus excitare & nullam non in eum malevolentiam conjecere. Præter alios BVDDÆVM, qui crebriorum ſollicitationum pertæſus tandem ſuam *de philoſophia Wolfiana* ſententiam, litteris conſignatam Halam miſit, ubi eo inſcio & invito ſtatim eſt evulgata. Attamen Noſter, bene gnarus, quanto tam inſignis adverſarius ei poſſet eſſe damno, tacere nec potuit, nec voluit, durioribus interdum loquutionibus ignominiam ſibi illatam retundere coactus eſt. Dum hæc geruntur non modo excitata jam oratio *de Sinarum philoſophia practica*, & academiarum Tübingenſis ac Jenenſis de ejus *philoſophia*, præterea WIEDEBVRGII & STOLLII ſententiæ minus honorificæ in lucem prodierunt. Prior illa ita erat comparata, ut quilibet intelligeret, Hallenſes injuſta ira incenſos olim

clami-

clamitasse, eamdem minus esse periculosam. Posteriores vero tanto minus fortunæ ejus nocuerunt, quanto magis PETRVS *magnus* circa primordia anni CIↃ IↃ CCXXIV summo studio Nostrum petropolin allicere adnisus est; a quo negotio quamvis, antequam ad finem perductum esset, Immortalis Imperator diem obiret supremum, ejus celsissima conjux CATHARINA, quæ rerum erat potita, non destitit, sed sub iisdem conditionibus eum petropolin evocavit; sed quum bene animadverteret, eum Marburgum vix ac ne vix quidem esse relicturum, professoris saltim honorarii partes cum trecentis Imperialibus ei decrevit, quos dum viveret, quotannis numeratos accepit. Multos deinde sibi parauit amicos, tum in Gallia, aliisque regionibus, tum etiam in Germania, ubi summi sanctioris doctrinæ cultores, aliique ejus dogmata publice defendebant, docebantque; inter quos REINBECKIOS, WAGNEROS, CANZIOS, WINKLEROS, GOTTSCHEDIOS honoris caussa nominasse sufficiat. Licet ei autem graviores interea hostes non deessent, indefesso tamen animo & scribendo & legendo orbi erudito suam præstitit operam, quum non parvus eorum numerus Marburgi confluxisset, qui ab eo doceri mirifice optabant, inter quos Danum quemdam, quod populo huic sempiterno erit honori perillustrem nempe a BRAEM fuisse legimus. Hunc enim

enim, qui jam tum in rebus tabellariis regis a consiliis erat, non puduit, per aliquot temporis spatium publicis prælectionibus a WOLFIO interesse, cujus postea, ut imago ære excuderetur operam dedit, singularique eamdem ornavit inscriptione.

Anno CIↃ IↃ CC XXX, quum serenissimus princeps Hasso-Cassellanus CAROLVS e vita excessisset, eius regiones jure hæreditario FRIDERICO I. *Svecorum regi* devolvebantur. Qua quidem rerum vicissitudine ac conversione Noster nullam vagæ volubilisque fortunæ expertus est mutationem. Talem enim in hoc sapientissimo rege nactus est dominum sibi propitium, qualem umquam potuit optare. Etenim vix illi Marburgum ingresso professores de exoptato adventu gratulati sunt, quum avide jam percontaretur, quisnam eorum esset WOLFIVS, eique procedenti clementiam suam, & quævis commoda, si qua peteret, promisit. Antea vero, quam in Sveciam abiit, Casselæ cum illo per duas fere horas collocutus est, atque eum adhuc ibi commorari, seque iterum convenire jussit. Quam egregiam erga Nostrum benevolentiam & Holmiæ præclare sane ostendit. Quoties enim nobili genere prognati in Germaniam profecti sunt, semper eis mandavit, ut suo nomine Nostrum salutarent, cujus præterea litteris maxime delectatus est, & ad easdem clementer respondit.

Uti

Uti vero inde ab anno CIƆIƆCCXXVIII opera latina edere cœperat; ita ſequenti tempore in hoc negotium mira animi contentione incubuit. Quo quidem tantam ſibi acquiſivit gloriæ amplitudinem, ut non modo Gœttingenſis academiæ conſtituendæ profeſſor; ſed etiam academiæ Pariſienſis ſocius a rege eligeretur, qua de re celſiſſimus comes *de* MAVREPAS & illuſtris REAMÜRIVS eum fecerunt certiorem. Tam inſignis, quæ de illo percrebuerat fama auguſtiſſimo Boruſſorum regi incognita eſſe haud potuit. Vidit gloriam ejus in dies diesque latius excreſcere, & tandem virorum quorumdam ſago togaque clariſſimorum ope ejus perſpexit innocentiam. Tantum igitur abeſt, ut ſententiæ ſuæ olim promulgatæ pertinaciter inhæreret, ut perilluſtrem COCCEJVM potius juberet, WOLFIO nunciare: regem clementer de eo cogitare, atque id agi, ut Halam, academiæ procancellarius & conſiliarius intimus cum ſalario bis mille Imperialium revocaretur, quamprimum, ut redire vellet, reſcripſiſſet. Hoc tam inopinato ei accidit, ut ſatiusne eſſet abire an Marburgi ſubſiſtere ſtatim non potuit perſpicere. Deliberandi igitur ſpatium petiit, quo prælapſo, quum bis interea eſſet admonitus, de Marburgo diſcedere recuſavit. Id quod Svecorum regi tam gratum fuit, ut eum aureo numiſmate, inſignis plane valoris, donaret, & ſtatus conſiliarii honori-

bus

bus ornaret. Interea ii, qui in academiis *borussicis* Wolfianam philoſophiam impenſius amabant, tam præclara regis erga Noſtrum benevolentia excitati eamdem publice docere audebant. LANGIVS, ut facile eſt intellectu, æquo animo id ferre haud potuit, ut, quam tanti animi fervore olim ſuppreſſerat, philoſophia jam publice traderetur. Rogavit illuſtres viros, quibus academiæ cura erat concredita, ut rem tam periculoſam impedirent, & quo majora conſequi poſſet, venia impetrata ad regem Potzdamum contendit. Hic omnia verbis ac precibus expertus eſt, ut ejus animum ad ſuam ipſius voluntatem flecteret, qui vero, hac in re lento procedendum eſſe gradu ratus, poſtulavit, ut præcipuum errorum indicem componeret. Quo facto alterum ejusdem exemplum WOLFIO miſſum, ut ſe defenderet, alterum vero traditum eſt REINBECKIO, qui ea, quæ WOLFIVS procul dubio eſſet reſponſurus, litteris conſignauit, cum quibus mirifice conuenit Noſtri defenſio ; & quidem tum ea, quam plurimis verbis, tum illa, quam in uſum regis ſtrictim & breviter conſcripſerat. At clementiſſimus princeps de hoc negotio nullam plane ferre voluit ſententiam, ſed litem harum rerum peritiſſimis, COCCEJIS, JABLONSKIIS, REINBECKIIS, NOLTENIIS, CARSTEDTIIS tradidit dirimendam, qui cauſſa cognita atque ad leges veri-

tatis

tatis exacta, erroris suspicione WOLFIVM absolverunt.

Quo facto LANGIVS coactus conticuit, & cuivis *Wolfianam philosophiam* docendi libera fuit potestas. Cujus quidem conditor deinde gratam suam mentem testaturus secundum *philosophiæ practicæ* tomum clementissimo regi sacrum esse voluit, qui, hac de re admodum lætatus, ei nunciavit, se illum, quibuscumque vellet conditionibus, Francofurtum esse evocaturum. Quod cum Noster humillime declinasset eum eodem adhuc anno ter sollicitavit, modo Francofurtum, modo Halam proponens ea lege, ut ne ibi quidem doceret, quoniam, quod eodem tempore a Svecorum rege ipsi erat oblatum, satis esset, si cui viro leges præscriberet, quibus disciplinæ optime essent tradendæ. Attamen neque his sollicitationibus, neque Ultrajectinorum promissionibus potuit adduci, ut carum sibi Marburgum relinqueret, quod efficiendi sapientissimo, qui nunc rebus præest, Borussorum regi, ævi nostri Augusto, & totius orbis terrarum decori numquam perituro, data erat potestas. Huic immortali regi, quum princeps adhuc esset hereditarius sub initium anni CIↃIↃ CCXXXX primum *juris naturæ* tomum humiliter dicavit, qui litteris sua manu exaratis insignem erga eum beneuolentiam, octo diebus ante patris mortem, ostendit. Quid de tanto principe,

quum ad gubernacula rei publicæ acceſſiſſet, de rege tam ſapiente atque omni doctrina præclare imbuto, quid inquam res litteraria quid WOLFIVS non potuit exſpectare? Et ſpes, quam quisque de eo conceperat, neminem fefellit. Suſcepto enim imperio, REINBECKIO mandavit, ut amico ſuo nunciaret, ſe eumdem conſiliarii intimi honoribus inſignitum, academiæ Berolinenſis ſocium velle conſtituere. Ipſe deinde Charlottenburgo bis ad eum litteras miſit, eique duo millia Imperialium cum libertate prælegendi daturum, & quum Noſter vitam academicam magis ſibi placere innueret, ſub iisdem conditionibus academiæ Halenſis procancellarium atque juris naturæ pariter ac matheſeos profeſſorem eum electurum eſſe adfirmavit. Hoc minime recuſanti rex non modo denuo ſcripſit addens ſe effecturum, ut numquam conſilii hujus eum pœniteat, ſed etiam ſtatim operam dedit, ut Holmiæ diſcedendi ei poteſtas concederetur. Qua impetrata Noſter iter parare inſtituit, & lugentibus urbis academiæque civibus idem anno CIↃ IↃ CC XXXX pridie calendarum Decembris idem ingreſſus octavo iduum ejusdem menſis ſalvus ſoſpes ac felix Halam pervenit.

Quanto hic gaudio fuerit exceptus verbis vix poteſt exprimi. Vltra primum ab vrbe lapidem magnus ſtudioſorum ei obviam venit numerus, ſex

cur-

curſoribus publicis præcurrentibus, cornuaque inflantibus. In proximis vicis cives Hallenſes adventum ejus exſpectarunt. Extra portam in plateis, in foro incredibilis hominum fuit concurſus, qui clara voce ſalvum eum eſſe juſſerunt. E regione domus, quam habitaturus erat, Thomaſianæ vehemens tympanorum tubarumque ſonus perſonabat, & ante ipſam domum inque ejus atrio tantus fuit confluxus, ut ægre eamdem poſſet intrare, & humeris quaſi in conclave ferretur. Sine mora deinde profeſſoribus ſe adveniſſe nunciavit, qui poſtridie ejus diei, & ne LANGIO quidem excepto, ei gratulatum convenerunt. Neque minus, juſſus, regi hoc per litteras ſignificavit, qui in itinere verſus Sileſiam Croſſa clementer ei reſpondit ſumtusque, quos impenderat, reſtituit. Tam inſignem denique innocentia reportavit victoriam, victoriam, inquam, quæ tanto rege, tanto philoſopho, noſtrisque tam ſerenis temporibus erat digniſſima. Totus litterarum orbis atque in primis Germania inſigniter de illa lætabatur, ita quidem, ut KOCHIVS, celebris ille artifex in ſempiternam harum rerum memoriam poſteris pie tradendam ſingulare quoddam numisma excuderet.

Initio deinde anni CIƆ IƆ CCXXXXI WOLFIVS programmate latino, fata ſua breviter exhibente prælectiones indixit, atque omnem ingenii doctrinæque vim ad docendum ſcribendumque contulit.

Priores quidem, quos Halæ composuit, libros propitio sibi regi consecravit, quos ille clementer se excepisse litteris sæpe testatus benevolentiam suam ipsi quovis modo ostendere studuit. Quum enim eo, quem paullo ante nominavimus, anno Noster regi victoriam ab hostibus reportatam pie gratularetur, hic ei non modo, quam gratum sibi hoc acciderit, nunciat, sed etiam brevi curam academiarum concredidit, quibus minime contentus, mortuo LVDEWIGIO eum anno CIƆ IƆ CC XXXXIII cancellarii auctoritate donavit atque honoribus. Ab hoc tempore peregrini in dies diesque eum majoris æstimarunt. Celeberrimus VOLTAIRIVS eum cognoscendi caussa Halam profectus est, & ejus philosophia præter Germaniam, Galliam, Poloniam ceterasque Europæ regiones peragrata in vltimis Indiæ finibus tandem consedit.

Tam præclara tamque ampla erat ejus gloria, ut ei nihil deesse videretur, nisi cui ad externum rerum splendorem respiciendi forte esset animus. Attamen hic etiam ad felicitatis suæ cumulum accessit, quum serenissimus princeps elector MAXIMILIANVS JOSEPHVS, dux Bavariæ & sacri Romani imperii tum temporis administrator eum S. R. I. LIBERVM BARONEM & NOBILEM DOMINVM crearet. Nuncio sane inopinato hac de re ad eum perlato, rem ad arbitrium regis sui contulit, acciperetne

ne hos honores, an humillime deprecaretur. Sed clementiſſimus hic princeps ei non modo de iisdem gratulatus eſt ſed eosdem etiam in ſuis regionibus ei habendos eſſe ſecum conſtituit. Quo facto ad regis nutum eis utendum eſſe duxit. Sequenti tempore a cujuscumque ordinis hominibus tanta benevolentia complexus eſt, ut eius documentis enarrandis tempus haud ſufficeret. Quædam tamen, quin exponam, haud a me poſſum impetrare. Primo quidem Sereniſſimus HENRICVS FRISO *princeps Arauſionenſis* ei numisma aureum, in electionem principis excuſum, obtulit, inſigni honoris documento, nemini Batavorum eruditorum habiti. Deinde princeps hereditarius Saxonicus cum ſereniſſima conjuge anno CIↃIↃCCLI Martisburgi per aliquot menſes moratus Noſtrum ad ſe accerſivit, & cum eo, admodum honorifice excepto plurium horarum ſpatio eſt colloquutus. Tacebo Sereniſſimi ZALVSKII ſummum de eo bene merendi ſtudium, & id tantum innuam, eum ſequenti anno in ſocietatem Bononienſium eſſe cooptatum. Celeberrimus ZANOTTVS, per quem hac de re certior eſt factus, litteris hujus gratia exaratis addidit, ſe illum ideo legiſſe, quoniam virum tam egregium, qui etiam inter magnos eluceſceret, plane non potuiſſent præterire.

Jam ætas ejus valde ingravefcebat & tamen a laudatis operibus perficiendis nullo modo potuit averti. Quum enim ad politicam, & in primis Oeconomicam, quam morte impeditus ad finem non potuit perducere, manum admoveret, multos adhuc libros exarandi animum fibi effe REAVMVRIVM litteris docuit. Sed, proh dolor! exftinctum eft fplendidiffimum temporum noftrorum lumen, cui fiqua vota fuperfuiffent, immortalitatem præ multis effemus præcati. Deceffit florentiffimis fuis rebus, honorum, famæ, gloriæ cumulo ornatus & quod maximum effe videtur, toto orbe erudito mortem ejus complorante. Jam inde ab aliquot annis articulari morbo erat implicitus, quo paullo ante mortem vix liberatus ex inteftinorum morbo atque alvi obftructione decumbere cepit. Somnum ei erat inquietum, & nullo fere cibi cupiditate ferebatur. Sudor per aliquot tempus ei fuit emolumento, donec arthritis cum febri coniuncta rediret, & vires ejus fenfim fenfimque ita debilitaret, ut imminentem mortem ipfe prævideret. Ad Deum igitur confugiendum effe ratus, eidemque ad extremum fpiritus halitum tanta adhæfit fiducia, ut ultimis, quæ protulit, verbis auxilium ejus pio adfectu imploraret. Quo facto, linguæ ufu privatus, die quinto Iduum Aprilis anno CIↃ IↃ CCLIIII; ætatis feptuagefimo quinto

vitam

vitam cum morte commutavit. Sarcophago deinde ſtanneo conditus & curru, cui ſex adjuncti erant equi, in templum, ubi eum ſepelierunt, vectus eſt.

Quodſi ad corporis animique dotes reſpicimus prioris habitus ad proceritatem adpropinquabat, & neque pinguedine laboravit, neque macie fuit confectum. Facies ei erat liberalis, atque ad dignitatem virilem compoſita, naſus aduncus, os inter loquendum fere ſubridens, vox fortis, lenta ob eamque cauſſam diſtincta. Quod ad animi vires attinet, fatendum quidem eſt eum memoria non adeo excelluiſſe, cujus loco admirando inclaruit intellectu, quem mathematicis diſciplinis egregie perfecit. Pius præterea erat, modeſtusque ac ſingularis juſtitiæ cultor, quam nullo umquam ratione lædi debere recte arbitratus eſt. Honores non quæſivit, & ultro oblatis moderate eſt vſus. Numquam elatius ſe geſſit, quum ab arrogantiæ crimine quam maxime eſſet remotus, ita quidem, ut, cum prædium equeſtre in Misniæ tractu filii cauſſa emeret, illius dominum numquam ſe nominaverit, & mœſtiſſimam viduam cum qua inde ab anno CIↃ IↃ CC XVI vixerat ante obitum rogaret ne in ejus mortem neque orationes haberentur, neque ulla conderentur encomia, aut honoris monimenta. Hæc eſt vita; hæc ſunt res geſtæ viri, cujus mortem non modo invictiſſimus Boruſſorum

rex

rex graviter tulit, ſed quem omnes etiam ſic venerati ſunt, ut, quibus ipſum videndi ſpes erat interclusſa, imaginem ejus ſaltim ſecum habere optarent. De toto genere humano præclaro ſane modo eſt meritus. Namque præter reconditas, neque a quovis percipiendas veritates, vtiliſſimas facilique negotio adplicandas propoſuit. Multarum quidem rerum haud extitit inventor, ſed eas ex tenebris, quibus erant circumfuſæ, in lucem protraxit, tantaque diſpoſuit arte, ut maximam hac ex re laudem reportaſſe, ſtatuisque in æternum duraturis dignus eſſe videatur. Si plures poſterorum laudata ejus veſtigia preſſius ſequerentur! Utinam, qui pari gradu eadem premere non poſſunt, propius tamen ab iisdem abeſſent. Ita enim fore auguror, ut Germania, quæ ſplendidiſſimis nunc etiam fulget ſideribus peregrinorum quorumcumque gloriam facile aliquando obſcuret.





Q. D. B. V.

POLITICAE PROLEGOMENA,

SIVE

PROOEMIVM SCIENTIAE CIVILIS.

§. 1.



Politicam eam esse Philosophiae partem, in qua homo consideratur tanquam vivens in statu civili seu Republica, ideoque esse scientiam dirigendi actiones liberas in societate civili seu Rep. constat ex *Disc. prælim. Logicæ præmissi* §. 65. Nostris vocatur die Staats-Lehre vel Staats-Kunde. Hinc & *philosophia civilis* vocari consuevit, quam *Thümmigius* §. 1. *Institutionum polit.* dixit scientiam practicam, salutem atque tranquillitatem reipublicæ promouendi. Brevius illa dici posset scientia consequendæ salutis publicæ; (*Wolfii Politicæ Prolegom.*). *Quid sit Politica.*

 &

& quando ſcientia conſequendæ ſalutis, ſeu obtinendæ felicitatis, ſapientia vocatur; ſapientia publica, uti Germanis prudentia publica (Staats-Klugheit) et *Hertio* Prudentia civilis appellatur. Quæ a mente *Ariſtotelis Oecon. L. I. c. 1.* non abhorrent, ubi politicæ ait eſſe, civitatem ab initio conſtituere & conſtituta bene uti (*πολιτικης ἐϛι και πολιν ἐξ ἀρχης συϛησασθαι, και ὑπαρχεση χρησασθαι καλως*). Quia Prudentia *Lib. VI. de moribus c. 5.* dicitur habitus practicus cum ratione agendi quæ homini bona ſunt, item recte conſultandi de iis, quæ utilia ſint ad bene vivendum: ad rectum uſum reip. opus eſſe prudentia liquet. Quare Stagirita prudentiam & politicam eundem dicit habitum *VI. Ethic. c. 8.*

Non eſſe, cur græcum politices nomen faſtidiamus, oſtendimus ex *Cicerone*, qui paſſim illo utitur jam recepto vocabulo eodem ſenſu, ne addito quidem niſi raro explicationis cauſa vocabulo latino *civilis*. Inde quia philoſophia eidem eſt ſtudium ſapientiæ, ſeu omnis optimarum rerum cognitio atque in iis exercitatio politica apte etiam vocatur Philoſophia civilis, vel ſapientia & prudentia civilis. *Platoni in Dialogo politico* eſt politica ſcientia gubernans omnes actiones, & curam gerens legum eorumque, quæ ad civitatem pertinent: vel ars imperandi hominibus in civitate. Quem ſequens *Caſus in Sphæra Civit. L. I. c. 1.* hanc diſciplinam vocat ſcientiam ſapienter adminiſtrandæ civitatis. *Althuſio* audit Politica ars homines ad vitam civilem inter ſe conſtituendam, colendam & conſervandam conſociandi; & *Schönbornio* prudentia bene de rep. judicandi, eam recte conſtituendi & ad ſalutem civium adminiſtrandi; æque ac *Keckermanno* eſt prudentia per quam major hominum ſocietas (publicus cœtus) ad publicam beatitudinem regatur. *Mathiæ* placuit eam dicere diſciplinam practicam, ſocietates humanas recte conjungendi ad remp. conſtituendam, in qua homines bene beateque vivant; aliis ea eſt prudentia ad recte conſtituendam adminiſtrandamque remp. informans. Patet cuilibet attendenti, verba

verba diſcrepare de re eadem, nec omnes æque feliciter & adæquate exhibere ſummam diſciplinæ.

§. 2.

Quod proxime nitatur Jure publico univerſali.

Politica proxime ſuperſtruenda eſt Juri naturæ publico univerſali. Eſt, nempe Politica ſcientia dirigendi actiones liberas in ſocietate civili ſeu republica (§. 1.). Norma vero ſeu lex, ad quam liberas actiones noſtras determinare, inde etiam aliorum actiones naturaliter dirigere obligamur, eſt jus naturale (§. 152. *ſeq. P. I. Philoſ. pract. univ.*). Præcipue tamen illa Juris naturæ Pars, quæ continet jura civitatis & officia civium, hoc eſt Jus publicum univerſale, (*Vid. Juris Nat. P. VIII.*) proxima ſuppeditat principia & officia in civitate obſervanda. Quamobrem plerorumque præceptorum politicorum præmiſſæ proximæ petendæ erunt ex Jure publico univerſali, vel quod idem eſt, politica proxime ſuperſtruenda erit juri publico univerſali.

Ratio nimirum, cur hæc vel illa in politica potius hoc quam alio modo determinanda, aut ſic potius, quam aliter dirigenda ſunt, continetur in officiis politicis ſeu civilibus, imperantium pariter ac parentium. Proxima igitur fundamenta, quibus innititur Philoſophia civilis, poſita ſunt in Jure publico univerſali, iisdemque ſuperſtruenda ſunt, v. g. ſi de Electione regis agatur in politica rationes electionis prudenter inſtituendæ petendæ ſunt ex ſcopo electionis, officiisque eligentium inde petendis aut pacto jam præſcriptis.

§. 3.

Deinde œconomica, ethica reliquo Jure naturæ & protopractica.

Alia tamen Politicæ principia ſubminiſtrat Oeconomica, Ethica, reliquum Jus naturæ ac Gentium & Philoſophia practica univerſalis. Continet quippe Oeconomica ſcientiam dirigendi actiones liberas in ſocietatibus minoribus, hoc eſt in conjugali, patria, herili, domo & vico (§. 1. *Oeconom.*). Sed ex his ſocietatibus coaleſcit civitas, earumque ſalutem tuendam ſuſcipit & amplificandam, ſi non iisdem penitus, ſaltem ſimilibus inſtitutis mo-

disque, quod vel ex confuſa civitatis & reip. notione, mox uberius explananda, intelligi poteſt. Ethica eſt ſcientia docens modum actiones ſuas libere componendi ad legem naturæ, vel dirigendi easdem in ſtatu naturali (§. 1. *Ethic.*); ideo etiam docet modum unamquamque virtutem adipiſcendi (§. 6. *ibid.*). Iisdem vero virtutibus indigemus quoque ad ſtatum civilem ſeu ad civitatem applicandis. In reliquo jure naturæ inculcantur officia erga Deum nos & alios homines P. I. modi rite dominium rerum adquirendi & tuendi P. II. & III; contractus tam benefici quam onerofi, & quaſi contractus mixtique, modi obligationem contractam tollendi, & jura aliis conſtituta in rebus noſtris P. IV & V. Dominii utilis diverſæ ſpecies, modi promiſſa interpretandi, Jura ex primæva communione reſidua, officiaque erga mortuos, poſteros, & eruditorum P. VI Jura perſonarum P. VII. et Jura gentium P. IX. Quæ paſſim in Politica uſum habere, res ipſa docet, & docebit amplius in ſequuturis. Ipſa denique Practica univerſalis uti Juri naturæ, ita quoque politicæ diſciplinæ moralitatis omnis theoriam commodat, & praxin generalem, ceremonias quoque & animorum ſcrutinium complectentem. Id quod nemini, niſi illius ignaro, obſcurum eſſe poteſt vel incompertum. Vnde cogitur, ipſam Oeconomicam & Ethicam, cæteras Juris naturæ partes, & Practicam univerſalem ſeu Protopracticam Politicæ principia ſuppeditare, quibus hæc ſua ſtabiliat præcepta.

Protopracticam Ethicæ, Oeconomicæ & politicæ, Jus naturæ itidem hiſce diſciplinis, & ethicam œconomicæ, œconomicam vero politicæ eſſe præmittendam, olim adſtruxit §. 103. & 104. *Diſc. præliminaris.* Quod ibi præſtructum eſt, id ipſa pertractatio harum diſciplinarum deinceps in ſyſtemate philoſophico luculenter comprobavit. Quotquot Politicæ primordia aut primam partem conſtituerunt œconomicam cum Stagirita, tot etiam habentur ſuffragia vetuſta, politicam eſſe demum poſt œconomicam

micam

micam abſolutam ſuſcipiendam pertractandamque. Quanquam nec illi aliter ſentiunt, qui peculiarem & a politica ſejunctam conſtituere diſciplinam œconomicam. Et qui fieri aliter potuiſſet, quum totum eſſe & fieri nequeat, niſi ex partibus ſuis componatur & conſtet? Sicuti *Ariſtoteles Polit. L. I. c. 2.* ſciſcit, crederes, illum ab his plane diſſentire, quoniam contendit: Certe ſecundum naturam prior eſt civitas, quam domus, & quam ſinguli noſtrum. Nam totum prius eſſe quam partem neceſſarium eſt. Peremto enim toto, non erit pes nec manus, niſi improprie, ut ſi diceres lapideam. Corrupta enim erit talis (manus peremto corpore) - - - . Si non eſt ſufficiens unusquisque ſeparatus, perinde ſe habet, ut reliquæ partes ad totum,,. Enimvero ibi naturam antea dixerat eſſe finem & perfectionem rei (ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστι). Quod *L. I. Oeconom. cap. 1.* repetit, cujus gratia unumquodque eſt, id ejus natura eſſe ſolet. Eatenus ergo recte habet effatum, quatenus qui agit, quanquam initium faciat a partibus prius tamen cogitat de toto, ejusque natura perfecta, quæ eſt finis rei & agentis. Ita quod prius eſt natura ſeu intentione, poſterius eſt generatione & exſecutione. Sic manum mortuam negat amplius eſſe manum, ſcilicet perfectam & idoneam ad agendum. Simili modo partes civitatis negat ſibi ſufficere ad ea, quibus in civitate frui poſſunt. Inde civitatem ipſam, veluti totum & perfectius, etiam natura priorem partibus vocat. Id quod omnibus concedendum eſt, qui compertum habeat, agentem prius cogitare de fine, quem conſequi ſtudet, quam de modis adjumentisque eundem conſequendi. Quod igitur ad ortum vel tempus attinet, planiſſime nobiſcum facit Alexandri Magni Formator *L. I. Oecon. c. 1.* ſcribens: perſpicuum autem eſt domeſticam diſciplinam priorem eſſe (γενέσει) origine, quam ſit politica. Et opus (ἔργον, quo actu & re vera eſt) illius prius eſt, quum pars ſit civitatis domus.

§. 4.

Quia Politica nititur intelligitur œconomica, ethica, Jure naturali & Protopractica (§. 2. 3.), dictæ vero diſciplinæ ſua *fundamenta* deri- *Ima Politicæ fundamenta*

habentur in metaphysicis. derivant dogmata ex Ontologia, Psychologia, Cosmologia & Theologia naturali, sive ex omni Metaphysica, quam omni Philosophiæ practicæ præmittendam esse, si ea demonstrativa ratione pertractari debet, constat ex §. 93. *Disc. præliminaris*: non tam nubifugo borea latonia Phœbe purpureo radiat vultu, quam menti illucet complexio, *Politicam veluti primis ac immotis fundamentis incumbere & innecti non minus omni metaphysicæ, atque Ethicam* (§. 9. *Ethic.*).

Neque aliter per naturam genuini systematis philosophici fieri potest, quam ut, veluti in firmissima ædificii compage fundamentis Imis nec loco suo dimovendis aut concussione quadam labefactandis, omnes illius partes arctissimo nexu junguntur & incumbunt, ita postremæ ejus partes cum primis copulentur sic, ut nisi primæ convellantur, reliquæ maneant inconcussæ. Hinc primis omni formidine concussionis nedum eversionis majoribus, intermediæ, atque adeo & ultimæ, eadem gaudebunt veritate immota, quatenus in compage harum cum illis nihil habetur vitii, imbecillitatis nihil. Continget illud, quando, quæ demonstrari possunt, solide demonstrantur; quæ vero nequeunt demonstrari, quam firmissime & verisimillime fieri potest commonstrantur. Idcirco sicubi in modo demonstrandi probandique emendari quidquam aut exornari amplius posset, non oberit illud, quominus veritates ipsæ nexu gaudeant interno ad soliditatem requisito.

§. 5.

Vnde deducenda sint Politicæ præcepta? *Quæ in Politica demonstranda sunt aut comprobanda, ea ex dictis philosophicis disciplinis erunt deducenda, quatenus iis principia domestica non sufficiunt.* Dum enim scientia est politica (§. 1.) ipsius scita utique sunt demonstranda, ubicunque fieri potest (§. 1. *Logic.*) saltem quam verisimillime comprobanda (§. 579. 587. *seq. ibid.*). Quatenus jam domesticis principiis, sive a priori, sive a posteriori petitis, evinci possunt politica decreta, eatenus

nus aliis eandem non egere ſumtionibus, ideoque ſuis contentam eſſe armis ac debite uti debere, per ſe eſt manifeſtum. Quatenus vero auxiliis indiget alienis, eatenus illa petenda eſſe ex locis, vbi & parata proſtant, & tam perſpectæ fidei firmitatisque, ut illis meliora non dentur, omni caret dubitatione. Hujusmodi vero habentur ſubſidia in memoratis (§. 2. & 3.) partibus Philoſophiæ practicæ, & metaphyſicæ omnis (§. 4.), prout illæ a Philoſopho traditæ ſunt methodo demonſtrativa. Liquet igitur, quæcunque in Politica demonſtranda erunt aut approbanda, illa, niſi ex domeſticis fontibus ſcaturiant, derivanda eſſe ex latifundiis Metaphyſices omnisque ſcientiæ moralis & actuoſæ.

Ne ambagibus ſit opus, uti in aquæ ductibus fieri conſuevit, propiora loca & principia tanquam fontes remotioribus præferri merebuntur, quoties nihilo plus ex remotioribus haberi poteſt, quam ex propinquis. Deficientibus vero propioribus, recurrendum erit ad fontes etiam remotiores, quum dulcius ex ipſo fonte bibantur aquæ, ſi aliunde tam limpidæ & ſalubres nequeant hauriri. Cæterum inſitis fontibus accenſeri poſſunt non tantum definitiones, quæ rebus apprime reſpondent, cum deductis inde axiomatibus poſtulatisque, & quæ indubia docuit experientiæ fides; verum etiam aliunde notæ, aut per ſe liquidæ veritates, quarum operoſa non opus eſt deductione.

§. 6.

Si omnia, quibus utitur civitas, rigoroſe demonſtranda eſſent, Phyſica quoque eidem fuiſſet præmittenda & Technologia omnis. Etenim ad civitatis ſalutem requiri omnis generis artes, tum ex iis conſtare poteſt, quæ de domorum conſtitutione & variis vitæ generibus allata ſunt Oeconomicæ §. 761. & 791-803.), tum magis eluceſcit, ſi experientiam conſulamus ad civitates applicatam, & quæ inde poſtea derivabuntur. Artes autem corpore exercendæ & circa corpora occupatæ

Quatenus Politica indigeat Phyſica Technicaque.

patæ rerum naturalium perſpicientia, ideoque principiis vtuntur phyſicæ ſolidioris, quod res ipſa quemque docet. Quare, quum artium theoria dicatur technologia (§. 39. & 71. *Diſc. prælim.*), quam condi poſſe oſtendit (§. 72. *loc. cit.*); & quum corporum, eorumque, quæ per corpora fieri poſſunt, ſcientiam ſiſtat Phyſica (§. 59. *ibid.*): dubium reſtare nequit, ſi omnia in politicis rigoroſe demonſtranda ſint, eidem præmittendam eſſe omnem & Philoſophiam naturalem & artium quarumcunque.

Nimirum ſi in Logica requiratur rigoroſa omnium demonſtratio, Logica Ontologiæ atque Pſychologiæ poſtponenda eſſet (§. 90. *Diſc. prælim.*); ob ſolidiorem tamen ſtudendi rationem, ne methodus adſerta ontologica & pſychologica examinandi, animumque de eorum ſeu veritate ſeu falſitate convincendi ignoretur, & quia principia ontologica ac pſychologica, quibus Logica indiget, tantiſper a poſteriori ſumi aut explicari poterant, Logica primum in diſciplinis philoſophicis locum occupat (§. 91. *ibid.*). Simili modo fere in politicis quoque, ſi in ſingulis ſummus demonſtrandi rigor eſſet ſectandus, præmittenda illi foret omnis Phyſicæ Technicæque ambitus. Quæ conſona eſſe ſententiæ autoris hujus ſyſtematis, ex ſequentibus intelligetur. Poſſe Phyſicam illico poſt Metaphyſicam tradi, ipſe docuit (§. 106. *ibid.*), ea potiſſimum ratione, quia Phyſica nullis indiget Philoſophiæ practicæ principiis (§. 87. *ibid.*). Quoniam vero etiam practica Philoſophia ſtatim poſt abſolutam Metaphyſicam tractari poteſt, etſi Teleologiæ multus in ea ſit uſus (§. 105. *ibid.*): ipſe infert in ſcholio §. 106. perinde eſſe, ſive Phyſica, ſive Philoſophia practica priori loco tractetur. Sed quia Teleologia quæ Phyſicæ pars eſt, practica ſupponit principia, ſatius eſſe, ut Philoſophia practica Phyſicæ præmittatur, concludit, niſi Practica univerſalis cum Jure naturali Metaphyſicæ ſubjungatur, antequam Phyſica pendensque ab ea Technica tradatur, & hanc demum excipiat Ethica atque Politica, cui Tech-

nica principia præbet nonnulla. Addi etiam potuisset, nisi illa principia interim ut per experientiam nota sumere ut in Logica liberet. Accessit vero & alia ratio, movens beatum autorem, ut practicam Philosophiam physicæ duceret præmittendam. Ingravescens nempe ætas vix illi spem reliquit omnia, quæ restabant, absolvendi. Vnde minime ignorans, Physicæ excolendæ a plurimis operam dari in tot academiis scientiarum, practicam vero Philosophiam, ad mores hominum emendandos unice comparatam, desertam relinqui; licet illa ad felicitatem generis humani si non magis saltem æque utilis sit & necessaria: hanc sibi merito prius sumsit excolendam, eo quo in hunc scopum inde a juventute (teste in *Ethicam præfatione*) ferebatur, præcipuo ductus amore. Quæ ratio tanti est, ut vel nunc sola sufficiat ad nihil mutandum in ordine, ob graves satis rationes electo. Quæ enim ex physicis adhibenda erunt principia, uti in logicis vel conditionis instar sumi, vel ope experientiæ poterunt firmari.

§. 7.

Quid sit Politicæ objectum & subjectum.

Politicæ & objectum & subjectum est civitas beanda. Ipsum quippe nomen ipsi datum est a re, circa quam versatur, a civitate; a qua & latine Philosophia civilis, & græce politica (ἀπο τῆς πολεως) denominatur, simili fere modo, ac arithmetica a numeris, logica a ratione, ethica a moribus & œconomica a domo & illius administratione nomen accepit. Neque enim est nisi scientia dirigendi liberas actiones in statu civili seu in civitate, vel scientia constituendi & administrandi civitatem (§. 1.). Quapropter docere debet, quomodo civitas ordinanda sit, ad bene beateque vivendum: quia huc dirigendas esse liberas actiones, nemo hæsitat (§. 15. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare quum objectum sit circa quod versatur actio, vel ultra quod actio non progreditur (§. 949. *Ontol.*): dubio caret, politicæ objectum esse civitatem.

Præterea civitas quoque est ea societas cui inest respu-

blica (§. 16. *P. VIII. Jur. nat.*), & cui comparanda eſt illa felicitas & ſalus (§. 1.). Neque niſi in civitate, haberi illa poſſunt, quae Remp. & ſalutem publicam conficiunt, neque illa gaudere poteſt, niſi civitas: quum alias non opus foret civili ſocietate (§. 1. *ſeqq. P. VIII. Jur. nat.*). Si vero ſubjectum eſt quidquid gaudet eſſentia, cui alia ineſſe poſſunt (§. 711 *Ontol.*): concedendum eſt, civitatem quoque beandam politicæ ſubjectum eſſe.

Loquimur de objecto & ſubjecto proprio atque præcipuo vel primario; præter quod etiam communia & ſecundaria dari objecta & ſubjecta minime infitias imus. Ita enim homines, ita ſocietates ſimplices, ita domos & vicos in civitate dari bearique debere, ultro largimur. Neque cuiquam dubium eſſe poteſt, partes politicæ pariter eſſe aliquid, circa quod ipſa occupatur, & quibus beandis opera eſt navanda. Sed quemadmodum princeps objectum œconomicæ erat domus, ſinguli vero homines in domo, aut & ſocietates in eadem, illius partes, & ſecundarium ejus erant objectum & ſubjectum: ita quoque de partibus civitatis, omnibusque, quæ ad illam beandam requiruntur, ſtatuendum eſt.

§. 8.

Docendi in Politica ſunt modi Remp. recte conſtituendi & adminiſtrandi.

Politicæ eſt docere modos rempublicam rite conſtituendi, reformandi, quando opus eſt, & mutandi, recteque adminiſtrandi. Eſt enim politica ſcientia dirigendi actiones in ſtatu civili ad publicam ſalutem (§. 1.). Quis vero dubitet, ad ſalutem publicam pertinere modos, civitatem & rem publicam recte conſtituendi, conſtitutam bene adminiſtrandi & conſervandi, aut ſi quid in ea depravatum, vel in ipſa conſtitutione erratum ſit, id emendandi immutandique in meliora? (§. 394. *P. VIII. Jur. nat.*). Jam Politicæ objectum & ſubjectum proprium eſt civitas beanda (§. 7.). Ejus igitur quoque eſt, ſcrutari & oſtendere modos civitatem efficiendi beatam, hoc eſt rempublicam rite conſtitu-

ſtituendi, aut ſi jam conſtituta eſt, & reformatione indiget vel mutatione, eam reformandi & mutandi in meliorem, aut, ſi omnia optime conſtituta ſunt, eam ita adminiſtrandi, ne quid detrimenti patiatur publica ſalus (§. 941. *Ontolog.*).

Modi conſequendi felicitatem, uti in cæteris practicis diſciplinis, ethica nempe & œconomica, præcipuum illud ſunt, ad quod docendum ſunt comparati: ita quoque theoriam actionum civilium jam ſiſtit jus publicum univerſale (§. 2.), politicæ vero eſt, addere modos explendi, quam optime fieri poteſt, illa officia civium bonorum. Quod ſimili modo ſe habere deprehenditur in omnibus felicitatis humanæ partibus, licet exigui tantum ſint momenti, uti in artibus illiberalibus opificiisque, ad quæ exercenda non ſufficit noſſe officia, ſed oportet modos ea exercendi didiciſſe eorumque uſum in poteſtate habere. Huc igitur quoque collineat politica, neque nomen ſuum mereretur, ſi hos modos non edoceret.

§. 9.

Hinc adjumenta & impedimentorum ſalutis publicæ remedia ſunt docenda.

Quia politicæ eſt docere modos, rempublicam recte conſtituendi & adminiſtrandi (§. 8.), & ad hoſce modos pertinent actiones humanæ vel expedientes vel officientes reip. h. e. tum adminicula atque adjumenta conſequendæ ſalutis publicæ, tum impedimentorum cognitio & remedia (§. 8. & 9. P. I. *Philoſ. pract. univ.*): *in politica docenda ſunt tum adjumenta tum impedimenta ſalutis publicæ horumque remedia*, ut adjumentis recte uti, impedimentis optime mederi valeamus (§. 1.).

Adjumentis annumeramus incitamenta, quibus animus determinatur ad actiones vel committendas vel omittendas. Dicuntur illa multis vocabulo non ſatis latino, motiva, & ſi ad motum omnino attendendum fuiſſet, momentum potuiſſet aptius cenſeri nomen, ad notandum id, quod in ſe continet rationem agendi, qua ſpectata animus ſuum determinat conatum. Vſitatius dicitur animus incitari ad agendum vel non agendum per propoſitas rationes, inde uſitatum incitamentorum nomen jure

adhibemus. Adminicula autem vel adjumenta caufas medias potiffimum defignant, quæ fimpliciter media dici folent, & actionibus abfolvuntur potiffimum adhibitis fimul rebus, quarum ope agens indiget ad fcopi fui confecutionem. Impedimenta maxima dicuntur peftes reip.

§. 10.

Adjumenta potiora funt virtutes; impedimenta, vitia politica.

Adjumenta falutis publicæ potiora funt virtutes politicæ; impedimenta vero vitia politica, cum iis, unde nafcuntur & quæ inde fequuntur. Adjumenta enim falutis publicæ pertinent ad modos remp. recte conftituendi & adminiftrandi, redeuntque ad actiones publicæ falutis caufa neceffarias (§. 9). Sed actiones illas nemo melius præftat, quam qui habitu eas expediendi eft inftructus, quod in omni actionum genere ufu eft compertum. Habitus conformandi fuas actiones legi naturali, ideoque quam optime agendi eft virtus (§. 321. *P. I. Philof. pract. univ.*), & politica dicitur virtus, qua opus eft ad falutem publicam impetrandam (§. 1). Conftat inde, falutis publicæ adjumenta potiora effe politicas virtutes, cum iis, quæ inde confequuntur, & unde hæ nafcuntur; & quia politicæ eft, docere illa adjumenta, docendas effe has virtutes in politica, fimul elucet.

Quodfi actiones hominum officiunt aut repugnant reip. tum illam impediunt faltem, fi non penitus evertunt, ideoque funt illius impedimenta aut peftes (§. 9.). Quo igitur deteriores funt pravæ actiones civium, eo magis nocent civitati. Sed actiones ex vitiis profectæ five vitiofæ funt pejores iis, quæ pravæ quidem funt, fed nondum tam pravæ, ac habituales; & vitiofæ facile abeunt in peffimas, experientia tefte. Hinc impedimenta falutis publicæ potiora effe vitia politica, cum ipforum confectariis, negari nequit. Inde cum impedimenta falutis publicæ, una cum eorum remediis in politicis

fint

ſint docenda (§. 9.): vitia politica cum ipſorum remediis in Politica docenda eſſe, relinquitur.

Cum virtutum pariter ac vitiorum criteria dentur, unde indubie agnoſcuntur; horum quoque ſignorum habenda erit ratio. Animi quippe receſſus a nemine perſpici poſſunt, ſed quia latent, ſua veluti egent ſemejotica diſcenda, & ubicunque opus eſt exercenda. Generalia hujus ſemejoticæ principia ſibi vindicat *Protopractica P. I. §. 10.* quæ illa exponit *P. II. Ejusdem* §. 707. *ſeqq.*

§. 11.

Genuinis virtutibus politicis erga alios virtutes præſtantiores ſublimioresque naturalis hominum facultas non aſſequitur. Virtutibus enim politicis ſalus publica totius civitatis impetranda eſt (§. 10.). Facile autem liquet, virtutem eo eſſe majorem, quo majorem requirit ſcientiam ſapientiam prudentiam & pietatem (§. 343. *ſeq. P. I. Philoſ. pract. univ.*). Genuinæ autem virtutes politicæ requirunt rectorum civitatis ſcientiam, ſapientiam & prudentiam, omnium civitatis membrorum ſaluti proſpiciendi, quantum ope humana fieri poteſt (§. 1.) & his parem pietatem, quoniam omnia non poſſunt ſola ope humana obtineri, immo quia ſine divino numine nihil boni, nihil virtutis eſt in homine, nihil eſt innoxium (§. 341. *ſeq. P. I. Phil. pract. univ.* & §. 1208. 1218. *P. I. Jur. nat.*). Quare quia tanta ſcientia & prudentia, quanta ad regendos populos requiritur, longe ſuperat captum non rudium tantum, ſed & plerorumque eruditorum, quorum nihil intereſt, ea diſcere, quæ exercere non poſſunt: genuinas virtutes politicas non ad unius vel paucorum felicitatem, ſed ad totius civitatis quantæcumque ſalutem procurandam valere, ideoque iis erga alios homines utiliores, ampliores, præſtantiores ſublimioresque naturales hominum facultates non admittere, confitendum eſt.

Virtutum politicarum præſtantia.

Clarius ea, quæ hic adſtruimus, patebunt ex ipſa Politicæ pertractatione. Idem *Plutarchus* in *Comparatione Ariſtidis & Catonis majoris* agnovit, politica virtute hominem nullam habere excellentiorem (τελειοτέραν), indubitatum ſtatuens. *Martini*, Theologiæ Doctor, in ſua *Politica p. 10. n. 2. latius* pronuntiavit, politica virtute præſtantiorem hominem non capere, idque verum ſtatuit, modo Theologiam excipias. Sufficiunt nobis hæc *anguſtiora*. Forſitan quisquam his objiciat, quod in proverbio uſurpari conſuevit: exigua mundum regi ſapientia. Eſto vero, quorundam, qui cum imperio ſunt, exiguam eſſe ſapientiam, alii tamen ſupererunt, quorum imperio hi parent, aut quorum conſilio reguntur. Eſto, ipſorum in aliis rebus exiguam eſſe ſapientiam, poterunt tamen in rebus publicis diuturna experientia didiciſſe & uſu comprobatum habere, quod alii ignorant: quemadmodum fere opifices in ſua officina exercitati ſatis ſunt ad opus ſuum faciendum, licet in aliis rebus ſint admodum rudes. Eſto denique nec in his, quæ ipſis eſſent agenda, eos partibus ſuis eſſe pares, alterutrum tamen horum inde eveniet, ut vel numinis providentia quomodocunque avertat illa mala, quæ inde eſſent ſequutura, regendo res humanas ut ipſi placet; vel ſenſim omnia ad interitum vergant & pœna divina peſſum dentur. Ad interitum vero Reip. accelerandum, nulla requiritur ſapientia, inſipientia ad illum valde quam ſufficiente.

§. 12.

Peccatorum politicorum gravitas.

Nusquam contra officia erga alios periculoſius erratur, nec gravius peccatur, quam in politicis. Quo præſtantiores enim ſunt utilioresque virtutes, eo pejor eſt earum defectus, eo turpiora ſunt, quæ contra illas fiunt, facta, & oppoſita ipſis vitia (§. 278. *Ontol.*) ſed virtutes politicæ inter eas, quæ erga alios homines exercendæ ſunt, omnium ſunt præſtantiſſimæ (§. 11.). Hinc oppoſita illis vitia & facta non poſſunt non eſſe inter ea, quæ in alios homines feruntur, pejora & pernicioſiora. Quo

pacto

pacto innoteſcit, contra officia erga alios homines nec periculoſius errari, nec gravius peccari, quam in rebus publicis.

Idem quoque ſic oſtendi poteſt: Quo res eſt major, præſtantior & perfectior, eo peſtilentior eſt error, qui circa illam committitur, eoque majoris damni periculum ex eodem metuendum eſt. Sed errores, circa genuinæ politicæ inſtituta commiſſi, integris regnis nationibusque ſunt infeſti, ſalutique non unius ſed plurium, ſi non omnium, rerum publicarum ſive interitum ſive detrimenta graviſſima pariunt, ſuffragante hiſtoriarum fide. Ea propter in officiis erga alios non dari capitaliores peſtilentioresque errores politicis, neque ideo gravius in genus humanum peccari, quam in politicis, perſpicuum evadit.

Ne præter rem hic fuſior eſſem, nolui ſeorſum oſtendere, virtutes politicas publicæ rei plurimum prodeſſe, ſeu maximo eſſe emolumento, quum illud ex virtutum præſtantia prono alveo fluat. Neque ſeorſum adſtruendum duxi, vitia politica eſſe omnium erga alios vitiorum peſſima & flagitioſiſſima, quum illud ex hoc effato per ſe ſequatur.

§. 13.

An ceremoniæ ſint ſalutis adjumenta.

Adjumentis publicæ ſalutis accenſeri etiam poſſunt ceremoniæ aptæ & convenientes. Etenim utendum eſt ceremoniis aptis & convenientibus (§. 484 & 488. *P. II. Phil. pract. univ.*). Cumque earum uſus eo tendat, ut exercitium virtutis & vitiorum fugam juvent, & ut agentem ducant ad virtutem, at a vitiis abducant (§. 490. *ibid.*); non minus in politica eo comparari debent ceremoniæ, ut ſalutis publicæ fiant adjumenta ope actionum menti ſuggeſtarum, quarum dememiniſſe nefas foret (§. 10.).

Quemadmodum generatim admonetur, dari poſſe *Philoſophiam ceremonialem* (*in nota* §. 511. *P. II. Phil. pract. univ.*): ita ipſe uſus civitatum antiquus docuit, dari *politicam ceremonialem*, e qua ortum ducunt ritus & ceremoniæ paſſim uſitatæ. Quæ

niſi

nisi ineptæ sint & incongruæ, suis nituntur rationibus, quæ explanari possunt, suisque usibus reip. commodo sunt & ornamento.

§. 14.

Politicæ est ars prudenter regnandi & parendi.

In Politica docenda est ars prudenter feliciterque regnandi & parendi. Objectum enim & subjectum politicæ est civitas beanda (§. 7.). Propterea ipsius est, docere modos remp. recte constituendi & administrandi (§. 8.); item recte utendi adjumentis, & medendi impedimentis (§. 9.). Sed adjumenta illa sunt virtutes politicæ, impedimenta autem sunt vitia politica, & quæcunque cum his causali nexu cohærent (§. 10.). Illis nihil est in civitate præstantius nec utilius (§. 11.); his nihil pejus nec perniciosius (§. 12.). Quamobrem bene administrari respublica non poterit, nisi in ea sint, qui recte imperent, & qui imperantibus recte obediant, quemadmodum in domo & vico (§. 746. & 885. *Oecon.*). Imperare in civitate est regnare, & parere est obedire, recepto verborum usu. Idcirco in politica veri nominis docenda est ars prudenter feliciterque tum regnandi, tum parendi.

Prouti imperium vel publicum est vel privatum (§. 32. *P. VIII. Jur. nat.*): ita quoque ars imperandi vel est publica, vel privata. Quarum illa ars regnandi, hæc ars parendi commode vocari posset. Plerumque illa dici solet *politica publica*, & hæc *politica privata.* Publica rursus vel superior est, quæ in aula, vel inferior, quæ extra aulam exercetur. Quamquam illa non penitus synonyma censeri possint, dum politica publica (die Staats-Kunst) plura complectitur, quam solam artem regnandi (die Kunst zu Herrschen); æque ac politica privata (Kunst zu leben vel Welt-Klugheit) plura comprehendit, quam solam parendi artem. Illa nempe omnia, quæ in rebus publicis, hæc quæ in rebus privatis sapienter prudenterque fieri in civitate possunt, quocunque nomine veniant, involvit. Si ars in strictiori sensu adhibetur, quo notat habitum opus suum quam optime effici-

efficiendi, non opus erit, ut addatur, ars prudenter feliciterque regnandi, ſed idem ſonabit ars regnandi.

§. 15.

Politica varios admittit perfectionis & defectuum gradus. Continet enim artem regnandi & parendi (§. 14.). Sed omnis ars aut pluribus præſtandis ſufficit, aut paucioribus, & eandem rem aut perfectius præſtat, aut imperfectius, prout vel regulis perfectioribus ſuperſtructa eſt, vel majori exercitatione eſt expolita (§. 485. *P. I. Ethic.*). Priori caſu ratione materiæ, poſteriori ratione formæ, ſeu modi eam exercendi, differt. Sed differentia qualitatis ejusdem magis minusve continentis aut valentis, gradus illius conſtituit diverſos (§. 746. *Ontol.*). Ideo & Politicam varios admittere tum præſtantiæ, tum defectuum gradus, facile eſt collectu. *Gradus Politicæ varii.*

Ob hanc graduum diverſitatem fieri nequit, ut quæ de gradu inſigni aut eminentiore dicuntur, eadem quoque intelligantur & valeant de gradu mediocri aut plane inferiori. Quod & in omni alia arte ſimiliter habet, eaque cauſa minime mirum videri debet in Politica. Sunt procul dubio in aulis, qui politicam aliorum exemplis & ipſo uſu utcunque diſcunt & exercent, ad inſtar eorum, qui muſicam vocalem aut inſtrumentalem imitando aliorum exempla diſcunt & quomodocunque exercent. Prouti horum muſica naturalis dici poteſt, ſi conferatur cum illorum muſica, qui hanc artem penitus imbibere: ita & illorum *politica naturalis* poſſet vocari, quæ cum hac *artificiali* non eſt confundenda. Conferantur quæ infra damus in nota §. 20. de politica empirica. Uti enim naturalis muſica admodum eſt imperfecta, nec ultra id valet, quod imitamentis eſt aſſequuta: ita & naturalis politica ultra id non ſapiet, quod imitari didicit, aut per alios facit ſe peritiores. Et quatenus peritiores artifices habet pro ducibus, eorumque præcepta, rationes & agendi modos, ſeu confuſe, ſeu diſtincte quadamtenus percipit, eatenus *mixta* vocari meretur, quia nonnihil politicæ per-

perfectioris et solidioris naturali adjunctum habet. Dantur & in Politica naturali, & artificiali, & mixta, graduum diversitates, quos in superiores, medios, & inferiores distribuere posset, qui notas eorum discernere & acutius determinare vellet. Si quis mero usu didicit musicam, etsi ingenii felicitate multos alios superet; ut eximius sit & eminere inter omnes possit, tamen non assequetur, nisi arti se tradat expoliendum. Pariter eximia politica non nisi aliorum inprimis excellentium virorum institutione & heroum imitatione poterit obtineri efformarique.

§. 16.

Politica vel togata est vel sagata.

Quoniam status civilis modo pacatus est, modo pace caret & cum hostibus conflictatur teste experientia omnis ævi: & alia sunt jura atque officia pacis, alia belli tempore (§. 1104. *seqq. P. I. Jur. nat.*) & (§ 613. *seqq.* ac 961. *Juris Gentium*): politica versari debet cum circa statum reip. pacatum, tum circa bellicum & militarem formandum recteque curandum. Hinc *politicam* dari *pacatam* & *bellicam* patet, quarum illa curam salutis publicæ in pace; hæc eandem in bello sibi vindicat. Utramque in civitate esse necessariam, res ipsa loquitur.

Olim Camillus apud *Livium L. V. c. 27.* sunt & belli inquit, ut pacis jura. Sic laudat *Cicero in Orat. pro L. C. Balbo c. 6.* Pompeji præstabilem scientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, externarum nationum, in omni denique belli Jure ac pacis. Quæ verba *Grotio* videntur ansam dedisse inscribendi suum Jus naturæ, *Jus belli & pacis.* Græcis illa foret irenica, hæc polemica.

§. 17.

Politica civilis, sacra, literaria & technica.

Negotia, quæ in republica gerenda sunt, vel versantur circa res profanas, vel circa sacras, quibus accedunt res literariæ & artificiales. Sacræ pertinent ad tuendam religionem s. cultum Dei & curam salutis æternæ & subsunt rectori civi-

civitatis (§. 946. *P. VIII. Jur. nat.*). Profanæ non ſunt ſacræ & tendunt ad ſalutem publicam hujus vitæ (§. 482. *ibid.*). Literariæ vero provehendæ ſalutis publicæ cauſa eruditioni aptæ intentæque ſunt (§. 438. *ibid.*). Denique artificiales ad artium mixtarum & illiberalium incrementa ſalutis publicæ cauſa faciunt (§. 452. *ibid.*). Hinc politicæ eſt curare proſperitatem rerum civilium, ſacrarum, literariarum & artificialium. Ita pateſcit, quid ſit *politica civilis*, quid *ſacra*, quid *literaria* & *technica*. Quemadmodum enim primæ eſt cura ſecuritatis & tranquillitatis reip.: ita ſecundæ eſt cura religionis, tertiæ cura ſcientiarum vel eruditionis, §. 451. *ibid.* & quartæ cura artium in civitate ad ejus ſalutem perficiendarum (§. 453. *ib.*)

Nota eſt diverſitas jurium privatorum cum civilium tum eccleſiaſticorum vel ſacrorum. Quia ſacra & profana ſemper ſibi fuere oppoſita, uti *Horatius* reprehendit, ſacra miſcentes profanis, & *Cicero* loca ſacra & religioſa profana habentes: poſſent jura, quæ ſacra non ſunt ſed uſu vulgata, etiam nunc profana dici, vel communia. Adſtringi quippe civilia jura ſolent vel ad ignobiles cives promiſcue, vel ad oppidanos, a ruſticis & nobilibus diſtinctos. Nobilium enim ſunt jura feudalia & terreſtria; ruſticorum autem jura pagana. His accedunt inter gentes cultiores Jura eruditorum & ſtatuta artificum opificumque.

§. 18.

Politica eſt reliquarum diſciplinarum princeps & regina. Politicis enim virtutibus nihil eſt in homine erga ſocios ſublimius (§. 11.), earumque præcipua eſt ars regnandi (§. 14.). Eo ipſo quoque omnibus cæteris præeſt diſciplinis ipſis quoque mathematicis, recte ſtatuendo, quibus in civitate hoſpitium ſalarium & patrocinium ſit præſtandum, & quatenus ac quomodo ſint vel tolerandæ vel dirigendæ excolendæque; item protegendo easdem & honorariis præmiisque easdem deco- *Prærogativa Politicæ.*

 rando,

rando, invitando & augendo. Id quod nemo in dubium revocare poterit, qui parumper expertus eſt, quid in bene conſtituta civitate fiat. Præterea nusquam gravius peccatur, quam in politicis (§. 12). Sed quæcunque diſciplina reliquis præeſt, cæteras pro lubitu adſciſcit dirigitque, cujus quoque peccata ſunt reliquis graviora ea eſt cæterarum diſciplinarum princeps & regina. Conſtat igitur politicam eſſe reliquarum diſciplinarum ut obſtetricem ac nutricem, ita dominam et imperatricem.

Agnovit hoc *Plato*, qui Politicam dixit omnium diſciplinarum (ἐπιϛατικὴν) curatricem & præſidem &c. item *Ariſtoteles*, *L. I. Ethic. ad Nicomach. cap. 1.* ubi eam vocat (τὴν κυριωτάτην καὶ μάλιϛα ἀρχιτεκτονικὴν) maximo principatu & imperio præditam, ſeu potiſſimam & architectonicam, cæteras more architecti conſtituentem & ordinantem. Quam comparationem *Cicero* eſt imitatus, qui Stoicos dicit architectos verborum, Epicurum architectum beatæ vitæ, adhibere architectos ad ædificandam Remp. alium architectum ſceleris, vel qui optime posſit architectari voluptates. Simili modo politica dici poſſet architectari ſeu adhibere & ad fines ſuos in ordinem cogere cæteras artes & diſciplinas, nempe ad ſalutem publicam earum ope perficiendam. Hoc dilucidius Stagirita *Polit. L. I. c. 1.* ſic explicat: omnes ſocietates reliquas complectitur civitas omnium præcipua ſeu omnes alias in ſua poteſtate habens (κυριωτάτη), quæ & ſummi (κυριωτάτου) boni cauſa conſtituitur. Negat tamen *Ariſtoteles*, politicam Metaphyſicæ imperare, & eadem digniorem eſſe: quum par non ſit, ut prudentia imperet ſapientiæ, tanquam meliori. Uti, inquit, in ædibus (ἐπίτροπος) adminiſtrator omnibus præeſt ſervis, diſpenſatque omnia, ſed non imperat omnibus, verum domino otium parat, ne impediatur meliora agere & ſe digniora: ita ſimiliter prudentia tanquam ſapientiæ vicaria, ei otium parat, ut ſuum peragat opus affectus cohibendo temperandoque. *L. I. Magni Moral. in calce cap. 35.* Quid ſi metaphyſicæ directionem rerum internam, politicæ exter-

externam ad ſalutem publicam tribuiſſet, uti hic fecimus? Subeſt quidem prudentia ſapientiæ, quatenus illa hujus decreta exſequitur; quatenus vero habitum infert actutum & ſubito ſapientiam exercendi, eatenus ſuperiorem ſapientiæ gradum continet exercetque. De loco Platonis *Dialogo 7. de republ.* ubi Dialectica, ars diſſerendi & rationem eſſentiæ uniuscujusque apprehendendi, vocatur *corona reliquis diſciplinis* ſuperne *impoſita;* quatenus metaphyſicam complecti ſtatuitur, in primis quatenus inter objecta ſua habet ens omnium nobiliſſimum, Deum, ſimili modo eſt pronuntiandum. Quatenus vero Logicam notat, directio mentis cogitationum ad veritatem, quæ interna ſed ſubjectiva dici poteſt, illi tribuenda foret. Metaphyſica enim internam objectivam, rerum nempe omnium notiones primas & directrices, directionem habet.

§. 19.

Ad politicam requiritur uſus rationis excultæ.

Uſu rationis parum aut nihil valentes, politicam recte capere & exercere nequeunt. Eſt enim politica ſcientia dirigendi actiones liberas ad ſalutem reip. vel ſcientia publicæ ſalutis (§. 1). Sed quid ſalus publica vel reip. requirat nemo perſpicere ſatis poteſt, niſi qui omnes fere ſcientias ſanæ rationis ſeu philoſophicas jam habet exploratas (§. 2 - 6.), neque alius & his, & mathematicis diſciplinis, ad ſalutem publicam dirigendis recte præeſſe poteſt (§. 18.). Quæ cuncta quum plenum excultæ rationis uſum poſtulent, ſole meridiano clarius eſt, neminem ad recte capiendam, multo minus bene exercendam Politicam aptum eſſe, qui uſu rationis parum aut nihil valet.

Huc reſpexiſſe videtur *Ariſtoteles Ethic. Nicom. L. I. c. 1.* ſtatuens in hunc modum: unusquisque ea recte judicat, quæ cognoſcit, atque omnium bonus judex eſt, qui in omnibus eſt eruditus. Hinc fit, ut (νέος) juvenis auditor politicæ idoneus (οἰκεῖος) eſſe non poſſit: quum imperitus ſit actionum vitæ, ex quibus & de quibus rationes conficiuntur. Adde quod affectus ſequendo fruſtra & inutiliter audiat. Finis enim non cognitio

(sola), sed actio. Nihil autem interest, juvenis ætate, an moribus sit juvenilis. Non enim defectus est penes tempus, sed quia secundum affectus vivit & omnia persequitur. Illis autem perquam utilis esse potest politica, qui secundum rationem suas appetitiones actionesque moderantur.„ Cæterum, quod de affectibus addit Philosophus, id pariter pertinet ad usum rationis exiguum vel nullum.

§. 20.

Quis & quotuplex politicus?

Politicæ peritus seu omnem callens politicam, vocatur *politicus* seu civilis, & germanis, politisch, item gewitzigt, ein Weltmann, gescheid, uti & politici Weltleute dicuntur. Hinc cognitione politica instructus est *politicus theoreticus* (Staats- vel Weltkundig. At prudentia politica gaudens, seu prudentia agendi politica clarus, *Politicus practicus* (Weltklug) appellatur. Si politicus theoreticus scientia politica sit instructus, *Politicus solidus* appellari meretur, v. c. qui politicam docent (Staats-Lehrer). Si tantum sola nititur experientia (ein Staatserfahrner) empiricus appellatur. Inprimis tamen politica publica subauditur, quando germanicum Staat additur. Hinc si Politicus practicus artis regnandi est peritus, vocatur ein Staatsmann, Statist, oder Staatsklug; si vero privatæ tantum politicæ praxi gaudet Weltmann, Weltklug, & pro acumine in his rebus subtilis (fein) nuncupatur. Qui recte utitur politica, ideoque genuina & vera gaudens politica, vere politicus vel politicus probus; qui vero politica abutitur, seu falsam & erroneam fovens politicam, pseudopoliticus, sive politicus improbus salutatur.

Non præterierunt ista natum ab archiatro regio & educatum in aula Macedonica, formatorem Alexandri Magni. Qui uti geometram & architectum appellat eum, qui didicit et callet geometriam & architecturam, sic politicum, qui callet politicam; & (ἀληθως πολἶικον) vere politicum item politicum (genuinum)

nuinum) revera (κατα την αληθειαν) latius dicit, qui res honestas facere studet sui ipsius causa, (των καλων πραξεων προαιρετικον, αυτων χαριν) *Eudemior. L. I. c. 13.*; strictius vero qui circa felicitatem & perfectam virtutem in civitate maxime occupatur. δοκει δε ὁ και αληθειαν πολιτικος περι ταυτην (αρετην τελειαν) μαλιστα πεπονησθαι. *Moral. Nicomach. L. I. c. 13.* Subaudit iterum, ut in priori loco dixerat, virtutis ipsius causa politicum ita laborare, non ob corporis voluptates vel divitias, nec gloriæ tantum causa. Quare ne illi quidem veri sed spurii civiles & pseudopolitici erunt, qui alicujus gloriæ, aut voluptatis corporeæ, aut utilitatis causa tantum civiles sunt, quales jam tum notavit *Aristoteles ad Eudem. I. 13.* scribens: Reperiuntur, qui nec (φρονησιν) sensionem ullam, nec corporis voluptates actionibus a virtute profectis prætulerint, quippe quas non gloriæ solius gratia sectantur, sed etiam quando non bene audient seu laudabuntur (αλλα και μη μελλοντες ευδοκιμησειν) - - - Sed multis politicis ista parum arrident. Nunc plerique divitiarum causa & habendi studio vitam politicam capessunt.„ Quem locum non attendisse videntur, qui putant, philosophiam confundere cum virtute dictas pravitates inclinationum & affectuum. Ne empiricos quidem politicos Philosophus sine nota dimisit his verbis: qui rempublicam gerunt, videntur id magis facultate quadam & experientia agere quam intelligentia (διανοια). Nam neque scribere neque dicere de his rebus conspiciuntur, cum tamen id præclarius foret, quam judiciales & deliberativas conficere orationes. Neque politicos faciunt suos vel liberos vel amicos, id quod ipsis bene conveniret (ευλογον), modo potuissent. Neque civitatibus melius quidquam reliquissent neque vel sibi, vel charissimis quibus quidquam dare maluissent, quam hujusmodi facultatem. *De Moribus Lib. X. c. 10.* ita brevius citamus libros eth. ad Nicomachum scriptos, quos etiam *Nicomach.* uti ad Eudemum datos, brevius cum aliis dicemus *Eudemior.*

§. 21.

§. 21.

Quomodo politicus aut imperet aut pareat?

Politici (veri & probi) est, secundum leges Reip., vel non nisi salutis publicæ ergo aut imperare aut obtemperare. Politicus enim veri nominis, qui solus hoc nomen honestum meretur, vera politica recte utitur (§. 20.). Sed politica vel est publica, vel privata, quarum illa artem feliciter regnandi, hæc parendi artem involvit (§. 14.). Sed feliciter imperat aut paret, quando non nisi salutis publicæ causa imperat aut obsequitur (§. 1.). Quem imperandi parendique modum quia leges reip. præscribunt: efficitur id, quod statuimus, genuini politici esse, non nisi salutis publicæ causa, vel secundum leges reip., aut imperare aut obedire.

Sunt hæc probi politici criteria ita comparata, ut diu latere nequeant, sed semet ipsa prodant, sufficiantque ad ipsum a spurio & improbo politico discernendum. Et hujusmodi signis falli nesciis in moralibus peropus est, ne quis in judicio de se ipso, aut de aliis facile periculoseque decipiatur, si debita utatur ad omnia attentione. Si igitur imperat politicus, non imperat quidquam, nisi salutis publicæ causa. Si vero paret imperantibus aliis, non paret nisi salutis publicæ gratia, quia scit, aliter salutem omnium in civitate salvam esse non posse.

§. 22.

Criteria politici imperantis.

Politici imperantis est, civitatem ab initio recte constituere, constitutam bene administrare, atque ejus cives facere bonos ac felices. Politici enim genuini est, non nisi salutis publicæ causa imperare (§. 21.). Sed salutis publicæ causa civitas ab initio est constituenda, & constituta recte utendum (§. 1.). Rectus autem usus continet tum bonam reip. administrationem, tum virtutis & felicitatis civium promotionem amplificationemque (§. 8.). Politici igitur imperaturi imperantisque esse intelligitur, Reip. ab initio rectam institutionem, bonam ejusdem admini-

miniſtrationem, civiumque virtutis ac proſperitatis perfectionem quantamcunque.

Sequimur in his *Ariſtotelem L. I. Moral. Nicom. c. 13.* præcipientem: ſi quidem felicitas eſt animi per virtutem perfectam efficientia (ἐνεργεια), de virtute conſiderandum erit - - Qui re vera civilis eſt, circa hanc maxime laborat, vult enim cives bonos efficere, & legibus obtemperantes. Deinde comparat politicum atque medicum. Et dum hujus eſt corpus ſanare, illius animum; politicam honorabiliorem melioremque medica arte (της ἰατρικης) eſſe contendit.

§. 23.

Privati politici eſt, recte imperata promte facere, gratiam imperantium ſibi licite conciliare, & legibus obtemperando ſuam aliorumque augere felicitatem. Privati ſcilicet politici eſt non niſi ſalutis publicæ cauſa legibus reip. obtemperare (§. 21). Is autem, qui recte imperata promte facit, reipublicæ ergo obtemperat legibus, ſeu recte obedit (§. 14.). Privati ergo politici eſt recte imperata promte facere. *Partes notæque politici privati.*

Dum promte facit ſibi imperata, iſta alacritas obediendi non poteſt non imperantibus placere, ideoque eorum gratiam & favorem ipſi promereri (§. 791. *Pſych. empir.*). Quoniam gratiam alterius ſibi conciliat, quisquis favorem ipſius promereri ſtudet: propalam eſt, privati politici, propter concluſionem præcedentem, eſſe gratiam imperantium bene agendo ſibi conciliare eademque ut omni politica recte uti, (§. 20.).

Simul ac nempe civis imperantium gratia gaudet, ea recto uſu multum valebit ad ipſius felicitatem adjuvandam augendamque, experientia plurimorum id comprobante. Qua gratia qui pollet, ea non tantum pro ſe, ſed & pro aliis uti poterit, quorum felicitati conſultum cupit, quod per ſe omni majus eſt exceptione. Præterea quia civibus non parendum

eſt, niſi ſalutis publicæ cauſa (§. 21.): quidquid ſalva ſalute publica, ſeu obtemperando legibus reip. fieri poteſt ad augendam ſuam aliorumque ſalutem, id ipſis licet, idque prudenter eorum, quibus uti poſſunt, auxilio adquirunt. Quapropter dum politica eſt ſcientia ſalutis publicæ, augendæque per illam privatæ (§. 1.) conficitur *per concluſionem ſecundam*, privati politici eſſe, obtemperando legibus aucupari ſuæ aliorumque felicitatis, quantam poteſt, acceſſionem.

§. 24.

Character pſeudopolitici.

Pſeudopoliticus in detrimentum ſalutis publicæ ſtudet rebus privatis. Nimirum Pſeudopoliticus non eſt politicus verus & genuinus, ſed huic plane adverſatur politica abutendo (§. 20). Atqui probus politicus nec imperat nec obtemperat niſi ſalutis publicæ gratia, & ut ſalva maneat publica ſalus (§ 21.). Idcirco improbus quisque politicus nec imperat, nec paret, ut ſalva ſit ſalus publica, ſeu reipublicæ cauſa. Ergo publicæ rei cauſa non agens, agit tantum rei ſuæ cauſa. Et rei ſuæ cauſa non veretur detrimentum reip afferre. Ita conſtat, pſeudopoliticum ſalutem publicam poſtponere rebus ſuis, & in detrimentum rei publicæ ſtudere rebus privatis

Adjungi his poſſunt & alii characteres improborum politicorum, ex allato facile derivandi. Scilicet ipſis uſitatum eſt, ad omnes omnium voluntates ſe fraudulenter conformare; ore alia promere, alia pectore recondita habere; ſubdolis artibus alios circumvenire & deludere; cum aliorum damno ſe locupletare; ex aliorum ignominia gloriam captare; alios deturbando ſe exaltare, & quæ ſunt plura furfuris ejusdem.

§. 25.

Quomodo pſeudopolitici imperent?

Imperantes pſeudopolitici non niſi ſui cauſa imperant, civesque depravatos reddunt & miſeros calamitoſosque. Imperantes enim pſeudopolitici aut erroneam & falſam fovent politicam, aut degenerant ab indole politicorum proborum, & politica abu-

tun-

tuntur (§. 20.). Cum per hunc vel errorem vel veri abusum in detrimentum salutis publicæ rebus studeant privatis (§. 24.): in aperto est, Pseudopoliticos imperantes non imperare nisi sui causa, ideoque suæ libidini, ambitioni & avaritiæ in imperio litare.

Quod dum faciunt mala subditis produnt exempla, quæ hi avide imitantes pariter errant ac a virtute abducuntur & ad vitia seducuntur, ideoque exemplo imperantium saltem, si non jussibus improbis quoque invitantur ad delinquendum, & depravantur. Quod dum tristia docent historiarum monumenta, ipsique mores nonnullorum nostri ævi: mirum videri nequit adsertum, pseudopoliticos imperantes suos cives facilius depravare, ac probi imperantes eos bonos efficere valent (§. 22.).

Depravati vitiosique homines non possunt esse felices (§ 403. *P. I. Phil. pract. univ.*) ideoque sunt infelices (§. 406. *ib.*) item miseri calamitosique (§. 254. *P. IV. Jur. nat.*). Qua de re quoniam pseudopolitici imperando cives depravant, *per conclusionem secundam*; iidem quoque subditos suos reddunt miseros calamitososque.

Quando homines non agunt nisi sui causa, tum aliorum rationem non habent, nisi quatenus per eos sua curare, aut nisi id agant, ea obtinere nequeunt, quibus inhiant ipsi. Quatenus vero nihil ad se redit ex aliorum fortuna, aut illam nulla specie suam facere possunt, eatenus nullam illius habent rationem, sed perinde ipsis est, utrum illa conservetur, an pessum detur. Cæterum Pseudopoliticos imperio, sui & suorum causa, abuti, liquet ex §. 20. Neque rem variat diversitas nominis eorum, quæ sibi habent proposita, aut quæ sui causa moliuntur peraguntque.

§. 26.

Privati pseudopolitici sui tantum causa obsequuntur imperanti- *Pseudopoli-*

 bus,

tici privati mores, vel notæ. *bus, illorum si gaudent favore abutuntur, nec ullius juri vel perfecto ac nequitiæ parcunt, quam autumant se impune perpetraturos esse.* Privati enim politici improbi non sunt probi, sed sua abutuntur politica, contra officia boni civis agendo (§. 20.). Dum ergo boni cives non nisi reip. salutisque omniũm causa obtemperant (§. 21.); ipsi e contrario, sui tantum causa parendum esse imperantibus, secum statuunt (§. 24.). Hinc in iis, quæ sui causa facienda non esse arbitrantur, non obsequuntur, sed officiis contraria moliri minime verentur, captato quocunque prætextu. Privati igitur pseudopolitici, sui tantum causa obtemperantes mali sunt cives.

Si sui similibus subsint imperantibus, cum illis sui causa tantum imperantibus, (§. 25.) causam facere communem non tantum nulli dubitabunt, sed & lætabuntur; eorumque favorem, quocunque sceleris genere ipsis placere possint, demereri & aucupari nitentur, moribus illorum hominum consuetis. Si vero probi imperent politici, eorum tamen gratiam simulatis moribus, artibus fraudulentis, donisque adquirere studebunt. Gaudentes eorum favore in priori casu aperte, in posteriori tecte, quantum fieri poterit, suæ indulgentes pravitati abutentur, per *conclusionem primam.*

Ipso denique abusu politicæ, qua pseudopolitici censentur (§ 20.), ipsa si qua pollent imperantium gratia, ipsoque aliorum sui similium subsidio, nullum nefas statuent tantum, a quo sibi abstinendum esset, modo per illud suæ satisfacere intemperiei, libidini, vindictæ, avaritiæ, ambitionique valeant, & se impune illud laturos esse opinentur, per *conclusionem secundam;* sive igitur autument, celari sua scelera satis superque, nec se eorum convinci posse, sive quocunque modo se eludere justitiam posse, et impunitatem consequuturos, aut tam miti pœna tantum affectum iri, ob quam tanti esse pu-

tant

tant ſceleris perpetrationem, hi pſeudopolitici & nequam cives nullius juri vel perfecto ac nequitiæ, quam ſibi profuturam credent, parcendum eſſe opinabuntur (§. 24.).

Ejusmodi nequam cives, ob hoc ipſum, quia ſuis tantum ſtudent rebus, cupiditatibusque ſatiandis (§. 24.), publicæ ſalutis cura affici nulla, ſed cum illius ſeu detrimento ſeu interitu ſibi proſpectum ire, nullum eſſe dubium poteſt. Hinc ſeu oblata ipſis ſeu captata opportunitate lubentiſſime utuntur, ad explenda vel cum pernicie reip. ſua animi propudia, suntque ideo veræ reip. aſpidesque peſtesque.

§. 27.

De diviſione politicæ in legislatoriam, conſiliariam & judiciariam.

Diviſio politicæ Ariſtotelica in legislatoriam, conſultatoriam & judiciariam, non exhaurit omnem illius ambitum. Legislatoriam enim vocat prudentiam architectonicam, quæ præeſt præcipitque quænam in civitate ſint agenda vel omittenda; Conſultatoriam, quæ quid optimum homini ex agendis ſit conjectat ratiocinando; Judiciariam, quæ actiones ſecundum leges exigit, ſeu quomodo actiones ſe habeant ad leges, juſtæne ſint an injuſtæ, determinat. Poſteriores monet verſari circa remp. adminiſtrandam, & circa ſingularia perinde ac artes manuales. Enimvero plura quam legum lationem, conſultationem & applicationem legum ad facta complecti politicam, conſtat ex §. 8. 13. 14. 16. & 17. Quare quum diviſio æque ac definitio non omnia comprehendens, quæ in re continentur, ſit anguſtior re ipſa, nec omnem illius ambitum exhauriat (§. 153. *Lo.*): patet luculenter, diviſionem politicæ in legislatoriam, ſenatoriam & judiciariam non omnem politicæ puteum exhaurire.

Non ſequutus eſt ſtricte *Ariſtoteles* hanc Politicæ diviſionem in ipſa ejus pertractatione, ſed eam tantum obiter indicavit *L. VI. Nicomach. c. 8.* his verbis: Ejus prudentiæ, quæ circa civitatem verſatur, altera eſt architectonica prudentia (νομοθετικη) le-

κη) legislatrix; altera ut particularis (ὡς τα καθ' ἕκαςα) commune retinet nomen politicæ - - - Et hæc vel ſenatoria eſt (βουλευτικη), vel judiciaria (δικαςικη). Hinc tamen alii jurisprudentiam, cum *Bergero in Oeconomiæ Juris principio*, dirimunt in legislatoriam, conſultativam & judiciariam. Quarum poſtremam Jureconſulti romani dixere divinarum humanarumque rerum notitiam, juſti & injuſti ſcientiam; alii vero prudentiam jus ad actiones applicandi. Forte Ariſtoteles ibi ſolam regnandi prudentiam in mente tum habuit, quæ vel verſatur circa univerſalia & rempublicam conſtituendam, quæ conſtitutio præſertim legum latione (νομοθεσια) abſolvitur; vel circa ſingularia aut eandem adminiſtrandam, quæ adminiſtratio ſenatum & judices requirit. In præcedentibus enim adſtruit, prudentiam aut univerſalium eſſe (των καθολȣ) aut ſingulorum (των καθ' ἕκαςα). Qui circa hæc verſantur, hos dicit remp. tantum adminiſtrare civitatem, atque agere ut artifices vel opifices (ὡςπερ οἱ χεροτεχναι).

§. 28.

Politica differt a Jurisprudentia. *Nec politicus idem eſt ac Jureconſultus, nec politica ipſa Jurisprudentia.* Politicus enim eſt, quisquis omnem callet politicam (§ 20.) itaque integram & in omni ambitu ſuo ſpectatam. Sed Jurisconſultus antiquitus non eſt legislator, ſeu princeps, nec conſiliarius principis, ſed qui leges ad cauſas ſingulas & communis vitæ uſum recte accommodare didicit, ſeu peritus legum ad facta accommodator; aut peritus jurisprudentiæ forenſis, vel judiciariæ. Si *Ciceronem* audire malumus, jurisconſultus eſt, qui legum & conſuetudinis ejus, qua privati utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum & ad cavendum peritus eſt. *de Oratore L. I. c. 48.* Qui paulo ante dixerat eum, qui ad remp. moderandam uſum ſcientiam & ſtudium contulit, qui teneret, quibus rebus utilitas reip. pararetur, augeretur iisque uteretur. Sed quum judiciaria prudentia

dentia tantum ſit pars politicæ ad ſingularem remp. v. c. romanam reſtrictæ (§. 27.): patet, Juriſconſultum cuidam tantum politico ſpeciali judiciario, nequaquam omni; multo minus politico generatim dicto eſſe æquiparandum. Quapropter politicum & jureconſultum non eſſe eundem, æque manifeſtum eſt, ac Jureconſultum & advocatum non æque late patere.

Per modo dicta perſpicitur, jurisprudentiam ſtrictius dictam eſſe ſpecialem peritiam judiciariam; & latius dictam itidem tantum ſpecialem politicæ partem (§. 27.). Politica vero univerſalis eſt ſcientia publicæ ſalutis obtinendæ (§. 1.). Hinc fluit, politicam non eſſe jurisprudentiam, nec jurisprudentiam eſſe politicam, ſed veluti rivulum ex largo fonte deductum, aut veluti logiſticam ſexagenariam ratione arithmeticæ univerſæ ſeu Algebræ.

Ita *Bergerus loc. cit.* tertia, inquit, (quæ erat jurisprudentia judiciaria) eſt ICti, qua talis. Deinde dividit, cum Cicerone, jurisprudentiam ICti in forenſem, quæ verſatur circa actus præteritos, & eam, quæ circa futuros ſolicita eſt. Priorem ait conſiſtere vel in agendo h. e. lite in judicio tractanda, vel in reſpondendo de jure. (Quanquam qui de jure conſuluntur etiam de futuris, v.c. actionibus in præſenti caſu inſtituendis, reſpondere ſoleant). Poſteriorem cavendi prudentiam eſſe, & docere cautelas, ſeu quomodo negotium caute & vitandi difficultates ſtudio confici debeat. His addunt alii legum interpretationem populo faciendam, quæ ad reſponſiones de jure referri poteſt. Unde recte *Bodinus Meth. hiſt. c. 3.* civilem, inquit, diſciplinam voco non jurisprudentiam, ut plerique, (eſt enim illius particula) ſed illam artium omnium ac humanarum actionum moderatricem.

§. 29.

Excuſandi ſunt primi Philoſophi, qui Politicam accepere pro *Cur Politica*

omni

primitus ſit latius adhibita?

omni Philoſophia morali. Voluerunt enim optimam efficere rempublicam. Ea vero eſt, per quam civitas optime gubernatur. Optime autem gubernatur, quæ maximæ felicitatis potitur. Maxima felicitate gaudet, quæ uſum virtutis perfectum habet, ſeu perfecte agit ſecundum virtutes. Hinc omnem Ethicam, virtutes edocentem, & Oeconomicam innexuere Politicæ. Quod eo minus ipſis eſt vitio vertendum, quia primis inventoribus vix unquam contingit, ut omnia illico abſolvere, ſatisque ſegregare poſſint, quia nexus diſciplinarum moralium utique eſt manifeſtus, tenditque ad ſalutem civitatis; & quia nihilominus jam obſervarunt & ſejunxerunt ethica, œconomica & politica præcepta. Patet igitur, excuſandos eſſe primos Philoſophos, quod omnem fere morum Philoſophiam ad Politicam retulerint, aut Politicæ inſeruiſſe legantur.

Diſerte ea docet *Ariſtoteles L. VII. Polit. c. 13.* conf. notata ad (§. 20. & 22.). Hinc *L. I. Magn. Moral. c. 1.* ita auſpicatur: Quoniam de moribus agere propoſitum nobis eſt, primum illud videndum (σκεπτέον), cujusnam (diſciplinæ) ſint mores (vel ethica). Vt igitur conciſe dicam, non alius videtur pars eſſe, quam Politicæ. In civilibus nihil effici poteſt, niſi ſis bene animatus, vel morum ſtudioſus (ἄνευ τοῦ εἶναι σπουδαῖον); hoc vero eſt, virtute eſſe præditum. Oportet, ſi quis velit agere ſecundum politicæ præcepta, ut ſit moribus bene compoſitis. Apparet igitur, Politices partem & principium eſſe tractationem (πραγματείαν) de moribus. Vniverſe igitur jure mihi videtur hæc diſputatio (*magnorum moralium*) non ethica eſſe, ſed politica Similia habet *cap. 1. L. I. Nicomach.* & paſſim alibi. Inde & virum ac civem bonum in optima rep. non differre ſequitur, quod innuit ipſe *L. III. Polit. c. 18.* ſtatuens, neceſſarium eſſe, ut ſit eadem virtus boni viri, & civis boni optimæ civitatis; & ut iidem mores faciant bonum virum, qui faciunt bonum politicum & regium. Nonnulla horum accepit a Platone & Socrate, quæ in ipſorum monumentis reperiantur. *Perſarum*

leges

leges primum procurasse hoc, ne prorsus ejusmodi cives sint, qui pravi alicujus fœdive facinoris libidine ducantur, autor est *Xenophon Cyropædiæ L. I. sub initium.* Primos legis latores civibus virtutes inculcasse, quantum poterant, discimus ex vita Lycurgi, Solonis, Zaleuci, Draconis, &c.

§. 30.

Quæ politica regia sit & divina?

Publica politica recte vocatur scientia regia & divina. Nimirum quæ publica audit politica, ea docet exercetque artem feliciter regnandi (§. 14.). Sed ars regnandi utique est ars & scientia regia, quod per se constat. Dubio igitur caret, politicam publicam regiam vel imperatoriam esse scientiam artemque. Quemadmodum vero Deus hoc gubernat universum (§ 900. *seq. P. I. Theol. nat.*), divina sua scientia & sapientia (§. 902 *sq. ibid.*); qui idcirco summo jure rex regum vocatur: ita summi imperantes dum feliciter imperant, & Dei vicarios in civitate agunt, divinam quadamtenus scientiam artemque pro suo modulo exercere intelliguntur. Deus enim hominum animis ad civilis vitæ societatem inclinationem insevit. Ipse regna instituit, stabilit, conservat & mutat vel tollit. Quare quum autor sit naturæ, legumque naturalium, quæ principia rerum publicarum & semina continenti hanc quoque disciplinam suæ gubernationis legibus nitentem, veramque regiam artem, & origine & re dici posse divinam, concludendum est.

Veri regis, inquit *Plato in Politico*, scientia regia est. Qui hanc possidet, sive princeps fuerit, sive privatus, omnino propter istam artem regius recte nominabitur - - . Hanc autem scientiam sive regiam, sive civilem quis nominet, nihil cum eo contendemus - - - . Regum vero genus in arte & scientia per se ipsam imperandi ponemus. Deinde Deum mundum gubernare universum, & pastorem velut, nutritorem, gubernatorem, correctorem & curatorem ex antiqua fabula de regno Saturni & Jovis confirmat. Tum dæmones velut divinos pastores mundo pascendisque hominibus fuisse præfectos, tandem homines

politicos & regem. Donis divinis accenſet doctrinam & eruditionem, & regiam curam vocat univerſæ ſocietatis humanæ curam mitiorem omnibusque cæteris amiciorem, artemque principatus in omnes homines. Vnde regem quidem ut curatorem hominum humanum, divinis inſtructum donis conſiderat. Regium enim principatum ſcientiam eſſe judicatoriam ac imperatoriam ſeu imperii in homines. Vnde enaſcitur illa juſti, pulchri & temperati cura, quam cum Homero appellat divinam ſpeciem, Deique ſimilitudinem. *Dial. 6. de rep. ſ. juſto.*

Placet hic agere primum de generalibus Politicæ inprimis publicæ principiis, unde cætera ejus præcepta de modis ſalutem publicam cum privata ſimul conſequendi, derivanda erunt. Deinde ab his abſolutis Politicæ præceptis ad ſpecialia ſeu hypothetica, quæ electa quadam forma, conditione & relatione civitatis nituntur, bono cum Deo progrediemur. Principiis accenſemus, ante geneſin & formam finem civitatis, qui uti in omni diſciplina practica, ita & in politicis, illa eſt meta, ad quam omnis animi inductio collineat contenditque. Cæterum in politica publica cum ad rempubl. rite conſtituendam, tum ad eam bene adminiſtrandam reſpiciemus, duce *Thümmigio*, quem ſua ex ſcholis, conſiliis & convictu Wolfianis hauſiſſe, ut aliunde conſtat, ita & ex *Tom. VIII. Juris Nat. Wolf.* colligi poteſt.

POLITICAE GENERALIS

CAPVT I.

DE CIVITATVM FINE.

§. 31.

Civitas quid ſit, item quid civis & populus?

Civitatem dicimus ſocietatem vicorum liberam, provehendo, quoad fieri poteſt aut conſultum videtur, Bono communi intentam, vel quantam optat ſalutis cauſa initam.

initam. Quando *P. VIII. Jur nat.* §. 14. civitas appellatur societas ab ingente hominum multitudine vitæ sufficientis tranquillitatis & securitatis gratia inita; Boni communis partes, quas salus includit, enarrantur, quæ ex communi vicorum salute jam per *Oeconomicæ* § 867. *seq.* intelligi posse videntur, & postea plenius dilucidabuntur. Tacite ibi ponitur naturalis libertas (§. 166. *P. VII. Jur. nat.*) quam diserte addimus. Vicos autem plures ingentem & domorum & hominum multitudinem continere, ex notione vici clarum est. Ingens vero hominum multitudo in civitatem consociatorum, vel vicani in civitatem consociati, *populus* audit; quodlibet vero membrum aut quilibet consors civitatis, *civis* est. Si qua vicorum societas aliis sit subjecta, ea quia libera non est, civitas (ein Staat) appellari nequit.

Græcorum more hoc sensu civitas usurpatur & societas pro statu justæ conjunctionis seu communitate jurium & officiorum, uti patet ex *Aristotelis Polit. L. I. c. 1. & 2.* ubi civilem societatem omnes reliquas (minores) societates complecti ait, eamque vocat societatem (communitatem) ex pluribus vicis perfectam. ἡ δε εκ πλειονων κωμων κοινωνια τελειος, πολις ἐςι. Quando vero addit, ηδη πασης ἐχȣσα περας της αὐταρκειας, quod jam omnis (sufficientiæ) affluentiæ (finem) summam habeat vel omnibus exsaturata sit bonorum copiis: id nondum de singulis certe minoribus civitatibus dici posse videtur sed de optima civitate, quatenus haberi posset, intelligendum erit; aut de parabili rerum copia. Dantur enim tam exiguæ civitates, quæ aliarum civitatum adeo egent, ut perirent, nisi illarum abundantia uti possent. At quum majores fieri vel non potuerint, vel noluerint: malui dicere, eas tantæ salutis causa coivisse, quantam sibi consultam putarunt, aut quantam optarunt. Hoc enim in omnibus extra controversiam positum esse, facile dabitur asserenti. Quia vici ex domibus constant sociatis, Stagirita quoque civitatem ex domibus constitui inquit *L. I. Polit. c. 3. & L. IV. c. 3.* unde quum vitam

perfectam in ea requirat *L. III. Pol. c. 9.* (πολις δε ἡ γενων και κωμων κοινωνια ζωης τελειας και αὐταρκες) ejus sectatores civitatem dicunt societatem domorum seu familiarum vitæ perfectæ & per se sufficientis causa. *Cicero in somnio Scipionis* ad materiam remotam potius quam proximam respiciens, civitatem vocat concilium cœtumque hominum, jure sociatum. Populum vero unum aut & alterum in civitate composita, cujusmodi regna sunt multa, requiri, idem observat Stagirita *L. III. Pol. c. 14.* adstruens, regnum civitatis aut gentis unius aut plurium domesticam esse gubernationem (ἡ βασιλεια πολεως και ἐθνους ἑνος ἡ πλειονος οἰκονομια). *L. III. c. 1. ibid.* civitas vocatur civium multitudo per se sufficiens ad vitæ præsidia (ἡ πολις πολιτων τε πληθος, ἱκανον προς αὐταρκειαν της ζωης.). Civis autem nulla alia re magis definitur, quam participatione potestatis publicæ judicandi & decernendi (τῳ μετεχειν κρισεως και αρχης), quod in populari statu necesse est, in aliis tantum esse potest. Removetur inde acceptio ea civitatis, qua notat homines in eodem loco cohabitantes, aut & mœnibus circumdatos *cap. 2. l. c.* Nonnunquam per tropum & græcis & latinis civitas idem est ac respublica: quia in omni civitate quædam resp. datur.

§. 32.

Cujusmodi sit αὐταρκεια civitatis?

Qualibet civitas sibi sufficere videtur, ad eam, quam optat, salutem consequendam. Init nempe societatem liberam vicorum, provehendæ, quoad consultum videtur, salutis communis causa (§. 31.). Existimat igitur quælibet civitas vere aut erronee, se, quantam optat, salutem conjunctis viribus esse consequuturam; alioqui alii civitati se subjectura, si id ad salutem communem necessarium duceret. Quum se eo ipso non indigere pluribus arbitretur ad omnem, quam quærit, salutem sibi parandam, manifestum est, quamlibet civitatem sibi sufficere videri ad eam, quam optat, salutem suismet viribus consequendam. Hinc civitas brevius dici potest societas vicorum sibi sufficiens (vel revera vel sua opinione); aut societas αὐταρκης (omnibus satiata rebus seu bonis.). Hæc

Hæc ratio moviſſe *Ariſtotelem* videtur, ut omnium rerum in vita honeſta neceſſariarum copiam, qua contenta eſſe poſſit, ipſi propoſitam diceret civitati, eamque αὐταρκείαν illi velut propriam ſtatueret, ſi non re ipſa, ſaltem ſua opinione. Hinc addit *L. I. Polit. c. 2.* qui nullius indiget propter ſufficientiam (αὐταρκείαν), is nulla pars eſt civitatis, ſed vel beſtia eſt, vel Deus. Naturaliter hoc judicium civitati eſt relinquendum, quas res ſibi ſuffecturas putet, quibusve contenta eſſe velit, quum aliorum parum referat, utrum in illo judicio ſuo erret, nec ne?

§. 33.

In quo judicio ſi civitas hallucinatur, ſibimet ipſi maxime nocet. Scilicet ſi civitas putet, ſe ſibi ad omnia ſufficere ſuismet viribus conjunctis impetranda, quæ ad ſalutem, quantam optat, facere animadvertit (§. 32.), atque in illo judicio ſuo decipitur per hypotheſin, tum ſerius ocyus ipſa re ſentiet, ſuum judicium fuiſſe falſum. Dum ipſa re deprehendit, falſum fuiſſe ſuum judicium, comperiet ipſo eventu; multa ſibi deeſſe videbit, quæ ſibi defutura eſſe, minime crediderat; item ſe imparem eſſe hoſtibus ſuis, a quibus damnis afficitur horrendis, niſi plane ſuperata aut expilatur miſere aut mittitur ſub eorum jugum, quod liquet ex hiſtoriarum monumentis fide dignis. Quæ quum nemini tantum mali procreant, quam ſibimet ipſi: dubitare non licet, quin civitas errans in illa ſententia, qua ſibi videbatur eſſe ſuffectura, ſibimet ipſi plurimum obſit, niſi ipſo exitio abſorbeatur.

Periculum erroneæ αὐταρκείας.

Inſervit diſcrimen, in quod hoc errore ſuo inducitur civitas, perſpiciendo momento doctrinæ politicæ, pervidendæque neceſſitati eandem accurate noſcendi diſcendique. Simul illud quoque confirmat gravitatem errorum civilium, ſupra (§. 12.) adſertam, quæ in rebus male & obiter tantum veluti per transennam ex præjudicio adſpectis, infelix præcipitatorum mater evadit placitorum, & ex his profectorum peccatorum nocumentorumque pernicioſorum.

§. 34.

Definitio salutis publicæ.

Salus omnium seu communis, quam civitas optat, cuique consequendæ par est, si recte instituatur, vocatur salus civilis, item *salus publica.* Consentire hanc definitionem cum illa, quam dedit (§. 17. *P. VIII. Jur. nat.*) nullo fere negotio patebit. Etenim ibi dicitur salus civitatis consistere in non impedita fruitione vitæ sufficientis, tranquillitatis securitatisque. Hæc enim in salute vicorum communi contineri, notavimus (§ 31). Salutem vero, aut vitam beatam non esse nisi secundum virtutem non impeditam, non præteriit *Aristotelem Lib. IV. Polit. c. XI.* statuentem, τον ἐυδαιμονα βιον ειναι τον κατ ἀρετην ἀνεμποδιςον. Quare salutis civilis summa redit ad vitam felicem ejusque fruitionem quietam, h. e. neutiquam impeditam. Ne quid sumsisse videar, quod vires excedat, addidi, cui consequendæ civitas par est, ut omnia essent eo manifestiora.

Sunt, qui Adamo & Evæ jam statum civitatis & Reip. tribuunt cum *J. C. Becmanno in Meditationibus politicis cap. XI. §. 3.* quia a nemine dependerunt, de rebus omnibus integram disponendi facultatem habuerunt, nec commoda ipsorum aliunde quærenda fuerunt, & plena securitate gavisi sunt. Idem dicunt nostris quoque diebus contingere posse, si homines pauci in desertas deferrentur regiones vel insulas, quæ sunt nullius. Immo duos vel paullo plures homines ejusdem sexus & æquales inter se remp. constituere posse. Quæ cujusmodi sint, facile judicari potest ab eo, qui civitates in sua perfectione spectandas esse in Politica, intelligit, & generatim recordatur, unam alteramve rei notam communem pluribus neutiquam sufficere ad rem ipsam inde colligendam.

§. 35.

Quis sit finis civitatis?

Finis civitatis est commune illud bonum, quod aut non melius, aut non nisi conjunctis illius viribus parari potest, illiusque tuta fruitio. Civitas enim est societas vicorum eaque libera vel aliis non sub-

 jecta

jecta (§. 31.). Omnis autem societas pro fine suo habet commune illud bonum, quod non nisi conjunctis viribus potest obtinere (§. 11. *P. VII. Jur. nat.*). Neque etiam nisi illius causa arridet & ineunda est societas (§. 1. *ibid.*). Quare etiam civitas necessaria non foret, nisi daretur bonum commune, aut non melius, aut non nisi conjunctis ipsius viribus impetrandum, quod omnino tanti esse, ut illius causa contrahenda sit civitas, sequuturum caput edocebit. Dispalescit igitur, finem civitatis esse commune bonum nec melius, nec nisi conjunctis ipsius viribus parandum.

Quoniam vero teste usu rerum nuda comparatio boni illius communis vix operæ pretium foret, nisi conservari bonum publicum, illiusque usus & fructus, in quo consistit illius fruitio, percipi pro lubitu & pro officii ratione posset: simul liquet in fine civitatis contineri quoque imunitatem ab impedimentis, quæ illi intra & extra civitatem obmoveri possent. Hinc ad finem civitatis referendam simul esse tutam boni communis fruitionem, dubitatione, in reip. fixo statu fundata caret.

Commune civitatis bonum omnes illius cives perficere, ex ipsa boni notione intelligitur. Quoniam vero in statu naturali multa post depravationem generis humani, quam experientia omnium locorum & temporum attestatur, impedimenta deprehenduntur, illius tum consecutioni, tum tutæ possessioni perceptionique in obeundis officiis oborta & reluctantia: conjunctis plurimorum viribus pactoque opus est, quo, quantum fieri potest, certa nobis reddatur illarum adquisitio, tutaque adversus partorum bonorum insidiatores, eorumque rapaces manus perfruitio innocuæ, quam præstare possunt, voluptatis.

§. 36.

Finis illę est salus publica.

Finis civitatis est salus publica, seu augenda vicorum salus, quousque per societatem plurium fieri potest. Finis civitatis est commune illud bonum, quod aut non rectius aut non nisi conjunctis

ctis illius viribus adquiri poteſt, illiusque fruitio tuta (§. 35.). Atqui ſalus civitatis, quæ appellatur publica, ſita eſt in non impedita ideoque tuta, fruitione boni communis, cujus civitas compos fieri poteſt (§. 31.). Hujusmodi eſt quod alias plane non, aut non tam bene haberi poteſt. Quid inde aliud colligatur, niſi hoc, ipſum civitatis finem proximum & principem eſſe publicam ſalutem.

Conſtat vero, in civitate conſociari vicos propterea, quia ſegreges nondum eorum potiri poſſunt bonorum, quæ duntaxat conjunctis plurium vicorum viribus parari queunt (§. 31.). Quare quia civitas intenta eſt provehendæ vicorum ſaluti communi, quoad conjunctis ipſorum viribus fieri poteſt, & quoad ipſi viſum eſt conſultum (§. *eod.*): liquidum eſt ex dictis, finem civitatis quoque ſtatui poſſe augendam vicorum ſalutem communem, quousque viribus eorum conſociatis fieri poteſt.

Si cui forte in mentem veniat objectio, (§. 11. *P. VII. Jur. nat.*) ſalutem aliter finiri, videlicet tanquam non impeditum progreſſum ad finem ſocietatis conſequendum: ei perpendendum erit, finem ſocietatis politicæ, h. e. civitatis, eſſe omne illud commune bonum, ad quod non niſi conjunctis civitatis viribus perveniri poteſt (§. 35.). Vnde prono fluit alveo, fruitionem boni publici ipſamque illam civilem ſalutem includere omnino omnem illum progreſſum ad tot bona communia jugiter obtinenda, quot non niſi alia poſt alia debita virium contentione in civitate haberi poſſunt. Ipſaque & rerum & naturæ humanæ ratio non patitur nec admittit fruitionem bonorum communium aliam, quam continuatam, aliisque ſuper alia incrementis pedetentim paulatimque pro captus rerum modulo adauctam. Vnius ergo diſtinctior evolutio alteram non excludit ſed jam aliunde perſpectam includit.

§. 37.

§. 37.

Salus publica vel in summi hominis boni consecutione fruitioneque non impedienda consistit, quæ vocatur *primaria*; *vel in copia parabili hujus vitæ bonorum inferiorum, maxime externorum, tuto perfruenda*, quæ *secundaria* nuncupatur. Salus publica dicitur salus omnium vicorum, qui in civitate continentur, ideoque & omnium hominum in illis degentium, communis, quam civitas exoptat, cuique consequendæ par est, modo recte instituatur (§. 34.). Eadem quoque complectitur commune bonum, quod non nisi conjunctis civium viribus, saltem non melius, quam iis rite conjunctis obtineri potest, ejusdemque nesciam impediri fruitionem (§. 35.). Sed inter illa bona communia præcipuum est illud, quod summum vocatur hominis bonum (§. 374. *P. I. Philos. pract. univ.*). Quare si summum bonum merito princeps dicitur & primarium, quod verissimum esse per se notum est: salutem publicam primariam (die Haupt-Wohlfahrt des Staats) in summi boni, quanta dari potest, consecutione nec impedita fruitione haberi, apertum est. *Salus publica vel primaria est vel secundaria.*

Verum præter illud summum bonum varia quoque dantur vera bona summo minora seu inferiora, cujusmodi occurrunt in bonis corporis atque fortunæ (§. 556. *Psych. empir.*) in quibus summum bonum poni nequit (§. 376-379. item 410. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Neque tamen illa obsunt summo bono (§. 413. & 415. *ibid.*) potius recto usu aliquid conferunt ad hominis felicitatem (§. 416. *ibid.*). Bona corporis sunt bona hominis interna, bona vero fortunæ sunt bona externa (§. 555. *Psychol. empir.*). Jam constat ipso usu, ad bonorum tum corporis tum fortunæ faciliorem, copiosiorem melioremque tum adquisitionem, tum ampliorem tutioremque usum fructumque aliquid, & plurimum ad externa bona conferre posse civitatem rite se habentem. Ideoque concludendum est, salutem

publicam ſecundariam (die Nebenwohlfahrt des Staats) in parabili copia hujus vitæ bonorum in primis externorum tuto perfruenda contineri.

Non eſt, cur quisquam exiſtimet, hic de illis agi corporis bonis, quæ ſunt extra hominum poteſtatem poſita. Eatenus nec homo ſibi ipſe, nec alius quisquam ea ipſi dare poteſt vel comparare. Ita mortuo vitam reddere, moribundum eripere faucibus mortis, manco manum vel pedem, deformi pulchritudinem, coeliti oculum, quo caret, infirmo robur, ſeni juventutem nemo dabit. Quatenus vero in corporis bona adquirenda, perficienda & augenda aliquid nobis licet; eatenus agilitatem, habitus, robur, ſanitatem, rectumque facultatum & dotium illius uſum ope aliorum addiſcere & melius exercere valemus, acſi iſta inſtitutione, emendatione incitationeque per illorum exempla deſtitueremur.

§. 38.

Quando ſalus publica ſit integra?

Salus publica integra non eſt, niſi & primariam plene contineat, &, quanta illa ſalva haberi poteſt, ſecundariam. Complectitur ſalus publica vel ſummum hominis, vel reliqua hujus vitæ bona in tanta, quanta conjunctis viribus haberi poſſunt copia, eorumque fruitionem minime impeditam (§. 37.). Jam per ſe patet, ſummum bonum non poſſe ſimul eſſe ſe ipſo minus; & bona inferiora ſummoque minora, (die mindere vel niedere Güter) non poſſe ſimul eſſe bonum ſummum. Hinc ſi ſalus publica tantum contineret ſummum bonum, deeſſent illi omnia bona inferiora, eſſetque homini v. c. fame pereundum aut frigoris rigore. Si vero eadem tantum conſtaret ex bonis inferioribus, deeſſet ipſi bonum ſummum, & cum eodem vera felicitas (§. 39.), foretque ideo homo miſerrimus infeliciſſimusque. Pariter ſi ſalus primaria vel ſecundaria nonnullis ſuis partibus careret, mutila eſſet dicenda. Neutro igitur caſu ſalus publica omni gauderet boni communi, quod capere valet, ſed manca

esset atque diminuta. Quare si integra, omnigena & perfecta esse debet salus publica, necesse est, ut contineat præter primariam plenam tantam quoque secundariam, quanta haberi illa salva potest.

Prouti totum nequit dici integrum, si ipsi altera pars desit, sive illa sit primaria, sive secundaria: ita quoque salus publica, quæ quia plura complectitur bona, veluti totum quoddam spectari potest, integra dici nequit, si altera sui parte sit orbata. Num integer dicetur homo, si anima tantum adsit, a corpore jam sejuncta, aut si corpus tantum adsit exanimatum? Cæterum quid plena requirat salus primaria, patebit ex §. 40.).

§. 39.

Salus publica primaria continet veram felicitatem beatitudinemque omnium & singulorum, saltem plerorumque civium, quatenus illa humanæ est opis. Primaria enim salus publica summo hominis bono absolvitur, ejusque fruitione nescia impediri (§. 37.). Enimvero summi boni indivulsa comes est felicitas vera & beatitudo, ut quicunque summum bonum est consequutus, felix sit censendus (§. 395. *P. I. Phil. pract. univ.*). Propalam ergo cernitur animo, salutem publicam primariam non posse non in sinu suo fovere veram felicitatem beatitudinemque omnium & singulorum saltem plerorumque, si quidam sua culpa sint infelices, civium, quatenus illa vires humanas non excedit, aut quatenus naturalis dici potest.

Primaria cives facit felices.

Suffecisset quidem, felicitatem simpliciter dixisse, & beatitudinem, quæ tantum illius præstantiam notat, quanta in optimo hominis statu haberi potest; nisi darentur, qui nescio quam commentitiam apparentemque felicitatis speciem, velut nubem pro Junone, amplectuntur, turpique errore confundunt. Quorum aures vellicare ipsismet verbis expedit, latebras hujusmodi & fallacias proscribentibus in exilium regnumque chimærarum. Similiter patet, summum malum inferre summam infelicitatem & miseriam.

§. 40.

Primaria salus non nisi virtutibus quibusque debetur.

Primaria salus publica non nisi virtutibus quibuscunque obtineri potest ac debetur. Primaria salus publica veram includit felicitatem beatitudinemque civium & omnium & singulorum, vires naturales non superantem (§. 39.). Atqui felicitatem beatitudinemque naturalem non nisi virtutibus, leges naturales servantibus, consequi & conservare valemus (§. 396. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*), neque sine virtute quisquam felix esse, nec felicitas a virtute divelli potest (§. 400. *ibid.*). Conficitur inde luculenter, primariam salutem publicam civitatis cujuscunque non deberi nisi virtutibus quibusque nec sine illis obtineri conservarique posse.

Hæccine insignis dicatur virtutum contemplativarum pariter ac moralium commendatio, qua ostenditur, sine illis salvam illæsamque esse non posse salutem publicam primariam? Sane qui alia sibi aliisve persuadere nituntur, neque hæc refellere poterunt, neque suis tenebricosis ratiunculis lucem fœnerari, qua acutiorum honestorumque oculis satisfiat. Sed de his suo loco plura.

§. 41.

Nec habetur sine legum divinarum custodia.

Eadem salus sine legum naturalium custodia nec adquiritur nec perpetuatur. Felicitas sine legis naturalis ejusdemque divinæ custodia nec impetrari potest, nec conservari (§. 396. *seqq. P. I. Phil. pract. univ*). Sine virtutibus autem legum naturalium custodia locum habere & præstari nequit (§. 321. *ibid.*). Sed primaria salus publica sine virtutibus quibusque obtineri nequit (§ 40.): inde eadem salus sine legum naturalium, quæ divinæ simul sunt, custodia nec comparari civitati nec perpetuari in illa potest.

Apparet hinc legis naturalis ad salutem publicam necessaria & viva cognitio, utpote sine qua ignota civibus manet, nec ab illis custodiri observari potest. Viva enim illius cognitione desti-

destituti cœco affectuum impetu abripiuntur ad ea, quæ & suæ & communi felicitati sunt adversa. Reliqua, quæ facile inde ulterius derivantur, privatæ relinquimus legentium industriæ meditanda adjiciendaque.

§. 42.

Salus publica secundaria involvit præter bona corporis parabilia, bonorum externorum tutam fruitionem & a malis ambobus immunitatem. Secundaria enim civitatis salus copia affluenti hujus vitæ bonorum inferiorum præsertim externorum tuto perfruenda gaudet (§. 37.). At inferiora hujus vitæ bona sunt partim bona corporis parabilia ideoque paranda, similiaque his bona fortunæ seu externa, quorum illa statum corporis, hæc fortunæ, id est externum statum perficiunt (§. 556. *Psychol. empir.*). Salus vero cum prospero in his progressu tum usum & fructum singulorum, tum amplificationem accessionemque subinde aliorum majorumque requirit (§ 11. *P. VII. Jur. nat.*). Quæ bonorum inferiorum voluptatem innocuam illiusque fruitionem undique tutam dicit (§. 35.). Bona autem illa quia simul nequeunt esse mala (§. 554. & 565. *Psychol. emp.*): bonorum fruitio una removet sensum malorum eisdem oppositorum. Unde oppido patet, salutem publicam secundariam involvere tum bona corporis parabilia, tum bona externa una cum eorum fruitione non impedita, immunitateque a malis utrique bonorum generi adversis.

Quid salus civitatis secundaria requirat?

§. 43.

Quoniam secundaria salus publica tutam infert bonorum corporis & fortunæ fruitionem (§. 42.); bona autem corporis vera sunt, quæ revera nostrum corpus statumque ejus perficiunt (§. 457. *Psych. empir.*): patet, *tutam vitæ, sanitatis integritatisque membrorum & organorum corporis, eorundemque conformationis, virium & vigoris conservationem cuilibet in civitate esse debere.*

Ratione bonorum corporis & fortunæ.

debere. Ex eadem ratione exquiſitior, facilior & minus ſumtuoſa comparatio habituum, artificiorum opificiorumque in civitate eſt procuranda, ac ſi eadem extra civitatem eſſet quærenda, *una cum uſu fructuque illorum uberiori.* Quia bona fortunæ ſunt, quæcunque ſtatum noſtrum externum perficiunt (§. 455. *ſeq. Pſych. empir.*) eaque amicitiam, honores opesque, vel generatim res omnes, ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem facientes complectuntur (§. 380. *Oeconom.*): relinquitur *ad ſalutem ſecundariam civitatis referenda quoque eſſe quævis fortunæ bona, & quasvis res ad neceſſitatem commoditatemque vitæ & innocuam voluptatem facientes, cujuscunque ſint generis & nominis, una cum earum meliori & copioſiori adquiſitione, conſervatione & adminiſtratione tutiori.*

Hanc copiam rerum neceſſariarum & utilium in civitate, abundantiamque, ſi haberi poſſit, Cicero nominavit affluentiam rerum omnium. Qua quia contenti homines eſſe poſſunt ac debent, illam obtinent quam græci vocant αὐταρκείαν, quæ ipſis ſufficiat, affatimque præbeat, unde officiis ſuis rite fungantur. Quippe in eo tantum harum rerum bonitas reſidet.

§. 44.

Ratione immunitatis a malis corporis & fortunæ.

Similiter quia ſecundaria civitatis ſalus infert immunitatem a malis corporis & fortunæ, ab aliis hominibus metuendis (§. 42.); ad mala vero corporis omnium calculo pertinent pericula & jactura vitæ ſanitatisque innocentibus ab aliis impendentia; læſio aut ereptio integritatis membrorum & inſtrumentorum corporis, quibus ad peragenda officia indigemus; deformatio & infirmatio corporis ejusque virium, & vigoris debilitatio vel deſtructio, quomodocunque illata & inferenda; impeditio comparationis & uſus dexteritatum, artificiorum & opificiorum: manifeſtum eſt, cives ab his atque ſimilibus incommodis & injuriis aliorum earumque metu,

quantum datur, præstandos esse immunes. Malis fortunæ dum jure accensentur inimicitia, ignominia & honoris promeriti denegatio, inopia rerum necessariarum, utilium & innoxiam voluptatem afferentium, procreatio molestiarum & ærumnarum immeritarum, calamitatum denique fortuitarum omissa per conjunctas vires aversio reparatioque debita: quantum his mederi possunt vires civitatis conjunctæ, tantum ab his injuriis aliorum in civitate obviorum, & ab hisce calamitatibus immunes reddendi sunt cives. Neque minus infert immunitas illa arcendam quoque exterorum & hostium injuriam, in civium corpora aut fortunam attentatam aut attentandam. E quibus disputatis efficitur, *secundariam civitatis salutem inferre quoque immunitatem ab injuriis internis pariter ac externis earundemque metu, nec non a calamitatibus fortuitis, quanta conjunctis civitatis viribus haberi potest.*

Nondum hic agimus de modis, quibus communia civitatis bona sint adipiscenda, mala averruncanda & damna perpessis reparanda: quoniam finem tantum civitatis nunc dilucidamus, & quænam in eo contineantur explanamus. Qua in re nobis sufficit vulgaris quanquam confusa cognitio eorum, quæ hic fini inesse ostendendum est.

§. 45.

Bonorum corporis & fortunæ copiam, quanta conjunctis viribus civitatis haberi potest, dicemus *affluentiam civilem;* immunitatem similem a metu ac sensu injuriarum & calamitatum intra civitatem, *tranquillitatem civilem;* & immunitatem tantam vacuitatemque a metu injuriarum extra civitatem, seu a vi exterorum & hostium, *securitatem civilem*, ut paucioribus verbis multa innuere possimus. Quæ conjunctim sumta *prosperitatem*, seu successum rerum ad votum conficiunt. Sæpe tamen prosperitas etiam optatum progressum & exitum eorum,

Quid sit affluentia, tranquillitas & securitas civilis? quid prosperitas?

rum, quæ ad ſalutem primariam faciunt, involvit. Generatim enim quidquid pro ſpe & voto evenit, includit. Hinc hoc ſenſu omnigena proſperitas dicatur.

Omnia hæc videtur Ariſtoteles ſuo jam ævo junctim denotaſſe per αὐτάρκειαν, quam interpretes ſufficientiam, aut vitam ſibi ſufficientem dicunt. Ob hanc rationem ſeponimus arctiorem ſufficientiæ acceptionem (§. 10. *P. VIII. Jur. nat.*). Quo admiſſo idem per *vitam perfectam L. III. Polit. c. 6.* quam ſufficienti adjunxit (vid. not. §. 31.) expreſſiſſe dicatur ſummum hominis bonum beatitudinemque civilem §. 37. & 39. Hominem dicimus, ut naturalem quemcunque, non chriſtianum, deſignemus.

§. 46.

Quas ſalus civitatis ſecundaria complectitur. *Salus civitatis cujuscunque ſecundaria abſolvitur affluentia, tranquillitate & ſecuritate civili.* Secundariam civitatis cujuscunque ſalutem diximus parabilem copiam bonorum hujus vitæ inferiorum præſertim externorum eamque tuto perfruendam (§. 37.). Sed bona illa inferiora vel erant bona corporis ſeu interna vel fortunæ ſeu externa, cum vacuitate a malis eadem impedientibus tollentibusque (§. 42.). Jam copiam bonorum corporis & fortunæ in civitate parabilem diximus affluentiam civilem; vacuitatem parabilem a metu ſenſuque injuriarum & calamitatum internam, tranquillitatem civilem; & vacuitatem a metu ſenſuque injuriarum externarum, ſecuritatem civilem (§. 45.). Quid inde clarius liquet, quam hoc, ſecundariam civitatis ſalutem abſolvi affluentia, tranquillitate, ſecuritateque civilibus.

Poſſet etiam ſalus ſecundaria civitatis (die Mindere vel zeitliche Wohlfarth eines Staats) dirimi in duas claſſes, fructum ſcilicet & abundantiam bonorum inferiorum, & immunitatem a malis inferioribus. Illi maneret nomen affluentiæ civilis, quam Germani dicerent einen ſattſamen Zufluß der zeitlichen Güter,

ker, vel Habseligkeit, huic vero sufficeret appellatio securitatis civilis, nostris die Sicherheit des Staats. Utraque foret vel interna vel externa. Prosperitas tandem diceretur nostris das Wohlergehen.

§. 47.

Quandoquidem bona fortunæ statum nostrum externum perficiunt (§. 556. *Psychol. emp.*), societas vero, uti simplex quælibet, ita & composita, statum externum afficit, eumque vel meliorem reddit vel deteriorem: liquidum est, societatem quoque civilem afficere statum externum, ideoque & bona, quæ inde ad nos redeunt, ad status externi perfectionem referenda esse. Licet igitur bona corporis in se perficiant statum corporis internum (§. 37.); quatenus tamen eadem proficiscuntur a civitatis institutis adjumentisque, non debentur illa nobis sed civitati, itaque ratione originis bonis fortunæ & externis non immerito adjunguntur. Quia publicum dicitur quod non melius quam in civitate obtineri potest (§. 35.): evidens est, *secundariam civitatis salutem verti in bonis fortunæ publicis, & efficere cives eatenus fortunatos, quatenus extra civitatem eadem non essent habituri.* *Quatenus secundaria salus cives reddat fortunatos.*

Status rei internus datur in rei modis; externus vero in relatione ad res alias (§. 710. *Ontol.*); uti sanitas & morbus sunt modi hominis, ideo præsentia sanitatis vel morbi efficit statum hominis internum, ratione corporis; at divitiæ & paupertas inferunt relationem ad opum abundantiam & defectum. Quia opes sunt res externæ, relatio quoque ad earum seu abundantiam seu defectum, non afficit nisi statum externum. Licet vero sanitas & morbus dum insunt, constituant statum hominis internum; quatenus tamen morbus provenit ex alterius ægri contagio, & sanitas recuperatur ope medici & medicamentorum, eatenus & hæc & ille continent relationem ad res externas, a quibus oriuntur & dependent. Hactenus igitur ad fortunam hominis, secundam aut adversam referri possunt & solent. Eodem modo & cætera corporis bona *ratione effectus*

ſunt interna, quia corpus intus perficiunt v. c. nutriendo illud, & vegetando, recreando; *ratione ortus* vero debentur rebus externis uti alimentis &c. Nec hoc tantum in iis, quæ ſtatum corporis perficiunt aut depravant, modis ita obtinent, ſed & in ipſa rei eſſentia natura proprietatibusque, Dei munere nobis conceſſis. Immo in mente ejusque ſtatu idem eſt ſtatuendum. Qui enim inter feras adolevere, manſere rudes, efferati & uſus rationis expertes, donec inter homines manſuefacti exculti-que ſunt.

§. 48.

Conſenſus ſalutis primariæ & ſecundariæ.

In ſe atque in recto uſu nec primaria civitatis ſalus ſecundariæ, nec ſecundaria primariæ repugnat, ſed potius utraque amice conſpirat. Si in ſe conſiderentur ſalus primaria & ſecundaria, illa ſummum hominis bonum, hæc bona inferiora hujus vitæ complectitur (§. 37.). Sed ſummum hominis bonum non impeditum notat progreſſum ad majores ſubinde perfectionis gradus (§. 374. *P. I. Phil. pract. univ.*), veram parit hominis felicitatem (§ 39.), nec niſi virtutibus quibuscunque (§. 40.) & cuſtodia legum naturalium obtinetur (§ 41.). Quæ cuncta ſatis docent. Primariam civitatis ſalutem referri ad mentem, in eaque idemtidem magis perficienda conſpicuam eſſe. Sed ſecundaria civitatis ſalus in ſe conſiderata complectitur corporis & fortunæ bona (§. 37.) tutam eorum poſſeſſionem fruitionemque, & immunitatem ab utrique contrariis (§. 42. *ſeqq*), redditque cives eatenus fortunatos, quatenus extra civitatem eadem non eſſent habituri (§. 47.). Quam ob rem quia felicem eſſe & fortunatum ſimul, ſibi haudquaquam repugnant (§. 414. *ſeq. P. I. Phil. pract. univ.*), ſed qui felix eſt, idem quoque fortunatus eſſe poteſt (§. 413. *ibid.*) & concurrentibus cauſis rectoque uſu eſſe ſolet, quod exempla loquuntur. In ſe igitur nec ſalus civitatis primaria ſecundariæ, nec hæc illi repugnat, ſed potius altera alteri apprime conſentit.

Quid?

Quid? quod salus publica integra non est, nisi & primariam comprehendat, & quantum illa salva fieri potest, etiam secundariam (§. 38.). In recto usu igitur primaria salus semper promovet quoque secundariam, & secundariæ rectus usus perficit primariam. Ambæ igitur in recto usu conspirant ad salutem publicam civitatis integrandam, conficiendam & mutuo amplius perficiendam.

Ostendi illud etiam sic potest: usus rei consistit in boni alterius ab eadem dependentia (§. 646. *Theol. nat. P. I.*), ideoque continet actum, aliud bonum efficientem suo vel alieno marte. Si bonum sit verum, ad quod alteri præstandum quidquam confert, usus est rectus, itaque talis actus est officiis consentaneus. Sed si bonum summum adhibetur ad bona inferiora procuranda, & inferiora ad summum perficiendum exercendumque, illa bona sunt vera; item si omnia in civitate referantur ad consequendam salutem publicam, quæ est id, cujus gratia civitate opus est, illi actus sunt officiis consentanei. Quare in recto usu invicem illa bona sese perficiunt & amice conspirant.

De usu Stagirita audiendus est *L. I. Nicomach. c. 3.* χρησιμον γαρ και αλλȣ χαριν: utile est alterius causa.

§. 49.

Abusu vero secundaria salus primariæ præferri cum hujus contemtu potest. Abusus enim est actus officiis seu legi naturali contrarius, ideoque dependentiam mali actualis ab ejus applicatione infert (§. 646. *P. I. Theol. nat.*). Sed si secundaria salus primariæ præfertur, id salva salute primaria fieri nequit (§. 38.); ideoque is actus officio & legi naturali, quæ meliora præferre jubet (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*) est contrarius, & malum verum seu peccatum infert (§ 440. *ibid.*). Quia tamen ille abusus fieri cum neglectu & contemtu salutis primariæ *Secundaria per abusum primariæ præfertur.*

æque poteſt, ac bonum majus aliud petulanter poſtponi poteſt minori: conſtat, abuſu ſecundariam civitatis ſalutem primariæ præferri in hujus fraudem & deſpectum poſſe. Neque ignotum eſt, abuſus illius cauſam eſſe alias ignorantiam, alias errorem, alias malitiam

Idem & ſic oſtendatur: Si quis ſalute ſecundaria recte utatur, id fit ſalva ſalute primaria (§. 38.) atque rectus uſus primariæ ſaluti nunquam repugnat (§. 48.). Quam ob rem quia contemtus primariæ ſalutis eidem repugnat, & uſus rei, qui rectus non eſt, pravus ſit ſeu abuſus oportet (§. 646. *P. I. Theol. nat.*): non niſi abuſu ſecundariam ſalutem civitatis primariæ cum hujus turpi contemtu anteferri conſtat.

§. 50.

Primaria ſalus publica præferenda eſt ſecundariæ.

Primaria ſalus civitatis ſemper ſecundariæ præferri meretur, ideoque in conflictu hæc illi poſthabenda. Obligamur enim ad majora melioraque anteponenda minoribus deterioribusque (§ 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Sed ſalus civitatis primaria eſt ſummum hominis bonum, ſecundaria autem bonum quodlibet inferius & ſummo minus (§. 37.). Cum inde apertum ſit, ſalutem primariam eſſe bonum non tantum majus, ſed plane maximum, nec tantum melius inferiori, ſed plane inter naturalia optimum: nihil poteſt eſſe luculentius, quam primariam civitatis ſalutem ſemper eſſe ſecundariæ anteferendam; inde oborto conflictu, quo alterutrum eſſet negligendum, quia ſimul utrumque haberi nequit, ſecundariam eſſe primariæ omnino poſthabendam, quæ non niſi per abuſum eidem poſſet turpi contemtu præponi (§. 49.).

Illuſtrari res merentur modo ſequenti. Salus publica eſt finis civitatis (§. 36.). Hinc ſalus ejus primaria eſt finis primarius, & ſecundaria tantum finis ſecundarius. Nonne vero omnium ſuffragio ſtolidus foret, qui fine primario ſpreto ſecundarium

eidem

eidem anteferret? Deſipitne ſtudioſus in academiis ſtudia negligens, ut ludis indulgere vel ſomno poſſit? Quid diceremus de advocato, terminum peremtorium clientis cum irreparabili victoriæ jactura negligente, ut lauto fruatur convivio, ad quod fuit invitatus? Recte igitur *Stagirita Polit. L. III. c. 9.* non re ſed nomine tantum civitatem fore adſtruit, in qua virtutis cura non haberetur.

§. 51.

In civitate optima utraque ſalus conjungenda eſt.

In civitate optima, item fini ſuo accommodanda, utraque ſalus eſt conjungenda conjunctisque viribus procuranda. Optimam enim dicimus civitatem, qua melior naturæ humanæ viribus haberi nequit. Sed ubi tum primaria ſalus, quæ ſummum eſt omnium & civis uniuscujusque bonum (§. 37.) ipſamque felicitatem & beatitudinem omnium ac ſingulorum continet (§. 39.); tum ſecundaria, quæ & corporis & fortunæ bona, ut omnium ita & ſingulorum civium in omni, quæ haberi poteſt, copia complectitur (§. 42.) integra habetur, ibi nihil addi eidem humanis viribus poteſt. Jam quia integra ſalus publica eſſe nequit, niſi plene contineat omnem primariam, & ſecundariam, quanta haberi ſalva illa poteſt (§ 38.): conſtat utramque (ſcilicet primariam & ſecundariam) ſalutem in optima civitate eſſe conjungendam.

Atqui tuta hujus ſalutis fruitio eſt finis civitatis (§. 36.); frui autem bonis parabilibus, in quorum numero eſt finis civitatis (§. 35.) nemo poteſt, niſi qui illis jam potitus eſt & gaudet; nec gaudere illis poteſt, niſi qui ſufficientem ad ejus conſecutionem curam adhibuit, ſeu illam recte procuravit, quæ per ſe ſunt manifeſta. Procurari dum finis civitatis, niſi conjunctis illius viribus nequit (§. 35.): planum eſt, in civitate optima utramque ſalutem, quæ ſalutem publicam conficit conjunctis viribus eſſe promovendam & quam optime fieri poteſt procurandam.

Si vero etiam ponamus civitatem non omnino optimam, de qua, an in hac hominum depravatione dari possit, forsitan dubitaretur; sed tantum ejusmodi, qualis in hocce hominum statu haberi potest & a civibus optatur: tamen & illa fini suo, quantum fieri per sortem humanam potest, accommodari debet, ne ab eodem suo quidem vitio aberret. Finem autem civitatis esse salutem publicam, quanta conjunctis viribus civitatis parari potest, liquet e §. 31. & 35. Hinc quæ de civitate optima demonstravimus adhuc, eadem quoque ad quamlibet civitatem, fini suo, quoad licet fierique potest, accommodatam & accommodandam tenenda erunt.

Omni ævo, quo moralis Philosophia coli cœpit, de optima civitate, si non absolute, saltem in ea hominum conditione, qua haberi potest, Philosophi fuerunt soliciti. De Socrate id testatur *Aristoteles L. II. Polit. c. 2.*: ut una sit civitas tota optimum quam maxime esse videtur; suscipit enim hanc hypothesin Socrates. Prostant *Platonis dialogi de republica X.*, in quibus de optima civitate potissimum disputat. Neque dissimulat *Aristoteles*, propositam sibi esse optimam civitatis rationem *Librum II. Polit. c. 1.* ita exorsus: quoniam proposuimus nobis considerationem de civili societate, quæ sit (κρατίστη) optima & validissima omnium iis, qui maxime ad votum vivere possunt &c. *Libro IV. Polit. c. 11.* addit, quærendum quoque quæ sit optima resp. & quæ vita optima plurimis civitatibus & hominibus, qui neque per virtutem judicant, quæ supra vulgus emergunt, neque per doctrinam exquisitam, neque per gubernationem, omnium votis respondentem, sed eam probant vitam, quam plurimi consequi possunt, eamque gubernationem, quam plurimæ civitates obtinere queant. De se ipso *Cicero* testatur *in fragmentis*, quod *novem libros* scripserit *de optimo statu civitatis & de optimo cive*, quos nostram ætatem non tulisse, dolendum est.

§. 52.

An secundariæ tantum *Optima & bona civitas esse nequit, in qua tantum secundariæ salutis*

lutis ratio habetur. Si enim secundariæ salutis ratio tantum habetur in civitate, non quæruntur in illa nisi bona corporis & fortunæ, quæ nisi conjunctis civitatis viribus haberi nequeunt (§. 42.). Negligitur ergo in illa salus publica primaria quæ genuinam ejus felicitatem præstat (§. 39.); qua felicitate dum caret, infelix est dicenda, & miseria laborabit. Sed optima civitas, & quælibet alia fini suo attemperanda, utramque salutem conjungit, conjunctisque viribus it procuratum (§. 51.). Quare nec optima, nec fini suo respondens & bona civitas vocari potest, duntaxat secundariæ salutis suæ sit studiosa. *salutis ratio in civitate sit habenda?*

Turpiter igitur falluntur, & infra sanæ mentis gentilium morem desipiunt, qui nihil aliud civitati propositum proponendumque arbitrantur, nisi internam & externam securitatem a vi aliena, reliquamque commodiorem vitæ conditionem. Ita enim *Stagirita magn. moral. L. I. c. 1.* scientiæ & facultatis omnis est finis aliquis, isque per se bonus. Non dubium ergo, quin etiam optimæ sit optimus. Atqui *politica* est optima facultas (ἥγε πολιτικη βελτιςη δυναμης). Finis igitur ipsius sit bonum, idque optimum. Postea *cap. 3.* pergit: sunt bonorum alia in animo; ut virtutes, alia in corpore, ut sanitas, alia externa, ut opulentia &c. Horum, quæ in animo sunt, sunt optima. Bonorum finis perfectissimus est felicitas, eaque in bene agendo & bene vivendo. Et *cap. 4.* bene agere & bene vivere nihil aliud est, quam felicem esse. Ergo & feliciter vivere & felicitas posita est in bene vivendo. Bene vivere autem est vivere secundum virtutes. Hoc igitur est finis, & felicitas & optimum - - - felicitas igitur in vivendo ex virtutibus erit. Quoniam igitur optimum bonum est felicitas, & hæc ipsa finis (omnium bonorum) actu: vivendo secundum virtutes erimus felices, habebimusque bonum optimum (αριςον) - - perfectæ igitur virtutis actio seu effectus (ενεργεια) felicitas est: virtus vero, ut paucis absolvam, habitus est optimus. (ἡ αρετη ἑξις ἡ βελτιςη.)

§. 53.

§. 53.

Quo ſenſu civitas ſit felix, beata & fortunata.

Civitas ratione ſalutis primariæ dicitur felix & beata; ratione ſecundariæ fortunata. Etenim ſalus primaria civitatis fruitione ſummi hominis boni abſolvitur (§. 37.) itaque conficit felicitatem beatitudinemque omnium & ſingulorum civium, quatenus illa humanæ eſt opis (§. 39.). Sed quisquis felicitate eſt præditus, vocatur felix; & beatus qui beatitudine gaudet. Civitas igitur ſalutis primariæ cauſa eſt felix & beata.

Aſt quia ſalus ſecundaria non præſtat civitati niſi bona inferiora hujus vitæ eorumque fructum (§. 37.). Hinc involvit bona corporis parabilia & externa fortunæ bona, cum tuta eorundem fruitione (§. 42.). Sed qui bonis fortunæ gaudet, appellatur & eſt fortunatus. Inde civitas ratione ſalutis ſecundariæ non erit niſi fortunata.

Felix & fortunatus uti re differunt, æque ac felicitas & fortuna ſecunda, ita & græcis nominibus diverſis cavetur, ne iſta temere, ut plerumque fit, confundantur. Felicitas enim eſt ευδαιμονια, & felix ευδαιμων, beatus μακαριος; fortuna proſpera ευτυχια, fortunatus ευτυχης, & eventus proſper ευτυχημα. Sequuti ſunt Græcos latini cum Cicerone romano ore philoſophante. Noſtri quidem glückſelig, ſelig, glücklich & beglückt a ſe invicem diſcernunt, vulgo tamen iſta vocabulo confundente & promiſcue uſurpante non ſine inſigni damno.

§. 54.

Felicitas redimenda eſt jactura fortunæ.

Felicitas civitatis ſi aliter fieri nequit, vel jactura fortunæ eſt redimenda. Felicitas enim eſt ſalus civitatis primaria (§. 39.), & fortuna tantum pertinet ad ſecundariam, poſtremam (§. 43.). Primaria autem ſalus præferenda eſt ſaluti ſecundariæ, quoties utraque ſimul haberi nequit (§. 50.). Quidquid præferendum eſt alteri, ejus ſtudendum eſt conſequutioni, etiamſi alterum ſit perdendum vel dimittendum, quod per ſe liquet.

Quam-

Quamobrem felicitas civitatis, si aliter fieri nequit, vel ipsa fortunæ jactura est redimenda.

Nemini mirum videbitur, qui summi & inferioris boni vel tantum cujuscunque boni majoris & minoris comparationem habet compertam. Ponamus, contendi inter se vitam & integritatem membrorum corporis. Eccui dubium erit, recte redimi vitam, quando aliter fieri nequit, vel jactura integritatis membrorum, v. c. ut vitæ conservandæ causa manus sphacelata sit amputanda. Etiam sanitatis recuperandæ causa patimur dentes, dolorem immensum creantes, nobis evelli, etiamsi vix unus aut alter dens vel nullus in ore restet. Ut corpus redimas ferrum patieris & ignes, *Ovidius* ait. Eodem jure & felicitas civitatis fortunæ secundæ jactura redimenda esse statuitur, neque dissentiet, nisi qui vel rerum omnium ignarus, vel præjudiciis de fine civitatis occupatum habet animum.

§. 55.

Non redimenda fortuna jactura felicitatis.

Nequaquam fortuna civitatis secunda redimenda est turpi jactura ejus felicitatis. Ostensum est modo, felicitatem civitatis vel gravi jactura ipsius rerum prosperarum esse redimendam (§. 54.). Sed si statuatur, secundam civitatis fortunam redimendam esse jactura ipsius felicitatis, simul erit felicitas civitatis redimenda ipsa ejus fortunæ jactura, & non erit eadem redimenda. Quod quum sibimet contradicat, & prius demonstratum sit, verum esse nequit, sed falsum esse debet. Neutiquam igitur res civitatis secundæ sunt redimendæ jactura ipsius felicitatis.

Desipiatne gubernator navis eum in modum, ut perire navem patiatur, ne quid rerum suarum perdat? Nonne potius, naufragium timens, jactura rerum, quæ servari possunt redimet lubenter? Sic enim servat & vitam & navem cum rebus aliis, quæ potuerunt servari. Priori autem casu & illa perdit, quæ servare studebat, & navem vitamque simul. Hoccine est, omnia velle perdere, ut amittat nihil? Forte excipiat quisquam,

felicitatem eſſe reparabilem, fortunam vero dari irreparabilem, inde illius jactura minus perdi, quam hujus, vel illa nihil perdi, quando tota poteſt reparari. Sed precariæ hæ ſumtiones eadem facilitate rejiciuntur, qua proferuntur. Naturali modo facta fieri nequeunt infecta, manentque omnia, quæ non posſunt non inde ſequi. Non aboletur ſcelus admiſſum, nec quidquid inde non poteſt non ſequi, etiamſi veniam conſequatur delinquens. Externarum fortunæ rerum hæc eſt conditio, ut loco amiſſæ alia ſimilis vel melior ea dari, item ipſa illa recuperari poſſit. Sed felicitatis jactura aut non habet ratione ſimilitudinis tam facilem, aut nullam ejusdem reparationem.

§. 56.

Quid ſalus publica perfecta & imperfecta ſit?

Salus publica dicitur *perfecta*, quatenus bonorum internorum & externorum conſenſu gaudet, *imperfecta* autem, quatenus diſſenſu laborat. Quia ad bona civium interna referuntur etiam bona corporis, (§ 45. *ſeq.*) paullo aliter habere hanc denominationem patet, acſi conſenſum & diſſenſum in ſalute primaria & ſecundaria adhibuiſſemus. Uſitatior bonorum internorum externorumque diviſio fecit, ut illam hic propter deducenda inde ſequeremur.

§. 57.

Saluti publicæ ſui ſunt gradus.

Admittit ſalus publica ſuos gradus uti perfectionis, ita & imperfectionis diminutionisque. Dicitur ſalus publica perfecta, quatenus internorum externorumque bonorum conſenſum infert, imperfecta autem quatenus laborat diſſenſu eorum partim inter ſe partim cum fine civitatis (§. 56.). Uti bona vel ſunt vera vel apparentia (§ 557. *Pſychol. empir.*): ita quoque perfectio vel vera eſt, vel apparens & poſterior vera eſt imperfectio (§. 510. *ibid.*). Sed perfectio ſalutis æque ac illius contrarium ſuis gaudent determinationibus, per quas intelligi & explicari poſſunt (§. 56.). Sunt igitur e numero qualitatum (§. 432. *Ontol.*). Sive autem primariam civitatis ſalutem conſide-

ſideres, illa multas requirit virtutes, aut prorſus omnes (§. 40.); ſive ſecundariam, illa pariter multa continet (§. 42. *ſeqq.*). Quæ cum ſejungi a ſe invicem poſſint & ſoleant ſæpe, ut plura vel pauciora conſentiant (§. 38. & 54.); eædem qualitates intrinſecus differre intelliguntur, ideoque gradibus gaudent (§. 746. *Ontol.*). Proinde tum perfectionis, tum imperfectionis gradus in ſalute publica occurrere, negari nequit.

Deduci aſſertum etiam poſſet ex bonorum diſcrimine, quorum alia ſunt majora, alia minora, aliud ſummum; item numero vel plura vel pauciora (§. 37. *ſeq.*). Quo plura vero bona vel majora in re continentur, & quo major vel minor eſt conſenſus eorum, eo longius a ſe invicem differunt in ipſa perfectione. Inde quia gradus ſunt diſcrimen internum qualitatum earundem (§. 746. *Ontol.*); gradus perfectionis & imperfectionis diverſos dari in ſalute publica perſpicuum eſt. Gradus autem imperfectionis per errorem pro gradibus perfectionis habentur.

§. 58.

Gradus perfectionis ſalutis publicæ naſcuntur tum ex bonorum vel multitudine, vel magnitudine, tum ex conſenſione diverſa. Perfectio ſalutis publicæ habetur in conſenſu bonorum internorum & externorum civitatis (§. 56.). Sed multa ſunt bona interna civium, omnes ſcilicet virtutes mentis (§. 40.); omnesque dotes naturales & habitus corporis (§. 43.). Multa quoque ſunt bona externa ſive fortunæ (§. 43.), conjuncta cum vacuitate ab injuria & vi interna externaque (§. 44.). Sed quo major vel minor eſt bonorum aut multitudo aut magnitudo, vel eorum conſenſus: eo major vel minor eſt gradus perfectionis in genere, itaque & ſalutis publicæ (§. 56. *ſeq.*). Naſcuntur ergo gradus perfectionis ſalutis publicæ, tum ex bonorum multitudine & magnitudine, tum ex eorum conſenſione vel harmonia diverſa.

Duplex ratio borum graduum.

§. 59.

Quinam sint gradus materiales?

Gradus perfectionis salutis publicæ materiales vocantur, qui nascuntur ex bonorum discrimine. Hinc sunt diplicis generis, alii, qui nascuntur ex differenti bonorum numero; alii ex differenti bonorum magnitudine. Bona enim vel sunt majora vel minora: ea differentiam magnitudinis; item vel plura vel pauciora, quæ ipsorum est differentia ratione numeri.

§. 60.

Quinam sint formales gradus?

Formales salutis publicæ perfectionis gradus sunt, qui debentur diversitati congruentiæ seu consensus dictorum bonorum. Qui consensus vel in bonis internis, vel in externis, vel in utroque bonorum genere habetur. In se autem consensus vel magis vel minus se exserit, atque inde consensus major & minor, item congruentia melior & amplior vocatur (§. 56.).

§. 61.

Gradus defectuum unde sint?

Similiter defectuum salutis publicæ sive calamitatum publicorum gradus oriuntur ex malorum partim differenti multitudine & magnitudine, partim ex eorundem dissensus varietate. Quod simili prorsus modo eruitur, ac (§. 58.) factum est ratione bonorum, quare facilis hæc opera cuilibet integra videtur esse relinquenda.

§. 62.

Vnde gradus materiales eorum?

Materiales horum defectuum gradus & hic originem ducunt ex malorum diversitate, ideoque ex eorum vel multitudine vel magnitudine diversa.

§. 63.

Vnde gradus formales eorundem?

Formales vero *gradus* proficiscuntur ex eorundem malorum incongruentia, h. e. vario dissensu, qui vel in alterutro, vel in utroque malorum genere occurrit, magisque aut minus saluti publicæ adversatur (§. 56).

Vt hæc dilucidius capiantur, quæ de gradibus perfectionis & defectuum diximus, capiamus illustrationis gratia horologium.

Ipsi-

Ipſius finis eſt accuratum horarum ejusque partium indicium. Omnia in hunc ſcopum conformari & congruere debent, ſi horologium perfectum eſſe & indicando tempori medio ex aſſe reſpondere debet. Multa vero inſunt horologio, quæ in hunc finem obtinendum aliquid conferunt, alia vero plus, alia minus. Inde partium multitudo, quæ eo faciunt, ſpectari poteſt, & ſingularum quoque major aut minor bonitas v. c. exactior ad ſcopum conformatio coagmentatioque cum cæteris, & conſtantia durabilior. Prior eſt multitudo bonorum, quæ horologio inſunt, poſterior vero cujuslibet determinata magnitudo ſive aptitudo. Deinde ſpectari in ipſo poteſt conſenſus omnium in ſcopi conſecutionem, qualis ineſſe deprehenditur. Hunc prodit indicium partium temporis, quod horologium præſtat. Si tempus medium ita indicet, ut per menſem vel trimeſtre ſpatium ne unico quidem minuto aberret, erit perfectius, quam ſi multis aut aliquot minutis aberraſſe deprehendatur; nondum tamen ita perfectum, ac ſi ne ſecundo quidem ſcrupulo interim ab eo receſſiſſet. Multo minus eum aſſequeretur perfectionis gradum, quo ne quidem intra annum vel plures annos unico defeciſſet exceſſiſſetve ſecundo. Vice verſa defectus quoque horologii & aberrationes ab indicando tempore medio aut uni deberentur parti aut pluribus ſimul. Si uni, v. c. rotæ non exacte formatæ, deberentur, aut plures in ea dentes male erunt aptati, aut pauciores, item unicus dens aut magis aut minus erit ineptus ad ſuum officium. Illo caſu defectuum multitudo, hoc magnitudo apparet. Si vero nondum ad primos fontes errorum in materia obvios recurrimus, aut difficulter illi reperiri poſſunt, tamen in forma ſeu modo compoſitionis, id eſt in ſtructura horologii defectus obſervare diverſos poſſumus, ope effectuum deficientium. Nempe qui obſervat, ſuum horologium, quotidie aut antevertere alia horologia meliora, aut tardius ſequi, is eo ipſo diſſenſum ab horarum indicio deprehendit, eumque vel majorem, v. c. dimidia hora; vel minorem, v. g. quadrante integro aut dimidio &c. Itane diſſenſum majorem vel minorem a vero horologii ſcopo experiens, diver-

ſos defectuum horologii ſui gradus formales capiat, ignorans quid & quantum huic vel illi ejus partis bonitati deſit? Si partium loco ponamus bona interna & externa civitatis, eorumque & multitudinem & magnitudinem ſeu diverſam ad ſalutem publicam aptitudinem aut inertiam, plani erunt gradus, perfectionis aut defectuum materiales. Si quis vero ſtructuræ horologii ſubſtituat civitatis formam & conſtitutionem omnium, quæ conjunctis viribus in ipſa fieri debent, attendatque ad ea, quæ inde eveniunt, obſervabit formales perfectionis vel defectuum gradus. Quemadmodum vero exiſtimare multi ſolent, ſuum horologium eſſe perfectius, quando per aberrationem a tempore medio, cui debebat reſpondere, utcunque error convenit cum tempore obſervato: ita fieri quoque in civitate poteſt, ut defectus bonorum videantur eſſe bona, & cum finibus erroneis magis minusve conſentire.

§. 64.

Perfectio & imperfectio materialis unde noſcatur.

Perfectior eſt ſalus publica qua materiam, cujus bona publica vel ſunt plura vel majora uſitatis; & quo ea ſunt plura vel majora, eo erit unius ſalus publica perfectior ſalute alterius. Contra vero eo imperfectior erit ſalus publica quoad materiam, quo pauciora, quoque minora tantum bona publica in illa habentur & percipiuntur. Perfectio enim & imperfectio ſalutis civitatis materialis ſuos gradus naniſcitur ex bonorum & malorum publicorum tum multitudine, tum magnitudine (§. 59. & 62.). Hinc quo plura illi inſunt & quo majora bona, eo ſalus erit perfectior dicenda. Vice verſa, quo pauciora & minora bona, ſeu quo plura & majora mala publica in civitate dantur, eo illius ſalus imperfectior erit cenſenda.

Ponamus e. c. cujusdam civitatis dari commercia cum aliis civitatibus, unde locupletior fiat; alterius vero nulla dari commercia, aut eam a commerciis aliarum civitatum eſſe excluſam. Cui quæſo dubium erit, melius conſultum eſſe civitati, quæ commerciis gaudet, ac illi, quæ iis caret? Nonne illa eo magis

gis locuplerari poterit, quo sunt commercia majora vel fructuosiora, & quo magis florent? Nonne hæc eo minus locupletabitur, quo commercia illius sunt pauciora aut minora & perniciosiora; & quo minus florent, quoque magis indies decrescunt.

§. 65.

Formæ causa perfectior erit salus publica civitatis, in qua publica bona ad majorem consensum sunt redacta, itaque melius percipiuntur, & ad diuturniorem fructum stabiliuntur. Imperfectior vero hoc nomine erit salus civitatis, cujus bonorum publicorum dissensus est palpabilior, fructusque incertior. Finis enim civitatis est tantum commune bonum, quantum aut non melius, aut non nisi conjunctis illius viribus haberi potest, illiusque tuta fruitio (§. 35.). In hunc finem omnia in civitate debent collineare & consentire. Quo melius ergo cuncta, quæ in civitate conjunctim seu ab omnibus fiunt, & bona publica esse videntur, in hunc finem obtinendum congruunt, illiusque fructum reddunt certiorem stabilioremque: eo perfectior ob hunc consensum salus publica erit statuenda. Quo minus vero consentient illa in eundem, & quo magis propterea ab eodem dissentient & recedent, eo magis consecutionem finis impedient diminuentque, eo illa salus imperfectior erit, eoque majoribus laborabit defectibus.

Formalis defectus & perfectio salutis unde pateat?

In priori commerciorum exemplo ad formam commerciorum pertinet, si externa, ubi fieri potest, potius gerantur rebus superfluis domi natis factisque & vilioris pretii, quæ apud exteros majori pretio veneunt, quam parata pecunia, ad exteros exportata non sine damno civitatis. De aliis eodem facientibus suo dicetur loco. Generatim ipsa pugna publicorum institutorum inter se & cum salute publica arguit defectus formales.

§. 66.

Hi gradus diversi locum habent in omni bonorum & malorum genere. Locum enim habent tum in bonis malisque internis ani-

Dantur gradus omnium

bonorum & malorum. animi & corporis (§. 57.); tum in externis fortunæ bonis & malis, item in utriusque generis consensu & dissensu seu pugna inter se & cum fine civitatis (§. 56. *seqq.*). Item in salute civitatis primaria (§. 39. *seqq.*) & secundaria (§. 42-47.). Nascuntur noscunturque iidem gradus aut ex eorum seu multitudine seu magnitudine, qua res, in quibus continetur; aut ex eorundem seu consensu seu dissensu diverso inter sese & ratione finis civitatum (§. 58. & 61.). Quare in omnibus bonis ac malis civilibus gradus diversos dari, nequit esse obscurum.

Porro omnium bonorum & malorum eadem est notio & ratio, ut illa nos statumque nostrum perficiant, hæc eum reddant imperfectiorem deterioremve, ac alias esset futurus (§. 554-557. & 565-568. *Psych. empir.*); perfectio autem vel vera est vel apparens (§. 510. *ibid.*), aliaque aut major aut minor est, saltem esse videtur (§. 516. *ibid.*), eoque majorem creat voluptatem, quo certius de illa judicium est aut esse saltem videtur (§. 517. *ibid.*). Quæ de imperfectione & tædiis inde obortis pariter sunt evicta (§. 521. *seq. ibid.*). Sed perfectio in genere aut major est aut minor (§. 519-522. *Ontol.*) æque ac imperfectio (§. 523. *ibid.*). Quamobrem omnium bonorum & malorum diversos dari gradus liquet.

Satis constat inter omnes, res ejusdem essentiæ & naturæ gradibus tamen perfectionis essentialis ita discrepare ut innumera inde prodeant individua, quæ vocantur, vel res singulares v. c. singulares homines, rosæ &c. Neque minus differunt a se invicem gradibus suis perfectiones accidentes & mutabiles vel in eadem re singulari. Vti diversi modi & habitus mentis atque corporis, diversæ artes & scientiæ non tantum in diversis hominibus tempore eodem, sed & diverso tempore in eodem homine, v. c. in ejus infantia, pueritia, virili ætate ac senectute observantur. Qui in prima infantia loqui nondum possunt, saltem incipiunt, illi in adultiori ætate perfecte vernaculam loquuntur.

§. 67.

§. 67.

Admodum diversi dantur gradus felicitatis civilis. Felicitas civilis est ipsius civitatis salus primaria (§. 39.), & continet summi hominum ac civium boni consecutionem, aut non melius, aut non nisi conjunctis omnium viribus parabilem, tutamque illius fruitionem (§. 35.). Quia vero omnium bonorum gradus admodum diversi dantur (§ 66.); prono fluit alveo, felicitatis quoque civilis diversos admodum dari gradus; *neque ideo perinde esse, quonam illius gradu civitas tuto fruatur.* Vbicunque enim plus boni minusve haberi, plus mali arceri potest, ibi unum idemque esse nequit, pluribus & majoribus constantioribusque gaudeas, an contrariis; neque num certior & tutior, an incertior aut dubia sit illorum possessio fruitioque. Et sponte sua natura humana majorem felicitatem & perfectiorem præfert minori imperfectiorique; & lex naturæ quoque nos obligat ad præferendum melius deteriori (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). *Diversi dantur gradus felicitatis politicæ.*

§. 68.

Neque minus diversi dantur gradus fortunæ publicæ, tranquillitatis, securitatisque civilis. Fortuna enim civitatis secunda potissimum constituit ipsius salutem secundariam (§. 47.), bonorumque externorum ampliorem proventum & fructum, cum immunitate a malis externis continet (§. 42.). Illa externa bona involvunt amicitiam, honores opesque, vel copiam rerum ad vitæ necessitatem, commoditatem voluptatemque innocuam facientium (§. 43.) itaque & affluentiam & tranquillitatem securitatemque civilem (§. 45. *seq.*), cum vacuitate a contrariis (§. 44.). Sed omnium bonorum dantur gradus bene multi (§. 66.). Non minus ergo affluentiæ bonorum fortunæ externorum, item tranquillitatis ac securitatis publicæ, quam *Item diversi sunt gradus fortunæ civilis.*

bonorum internorum ſeu felicitatis (§. 67.), gradus admodum diverſi dentur neceſſum eſt.

Patet quoque indidem, æque ac (§. 67.), minime poſſe tantumdem idemve judicari, utrum hoc vel illo gradu civitas fortunata ſit dicenda. Ad florem enim civitatis ejusque ſalutis requiritur, ut quanta haberi poſſit copia bonorum fortunæ comparetur diligenterque conſervetur. Singuli enim gradus aliquid addunt ipſius fortunæ optatæ, æque ac ſinguli fortunæ adverſæ gradus aliquid detrimenti proſperitatis afferunt, minuuntque res ſecundas. Ob tam diverſos fortunæ ſecundæ gradus, atque ob tam diverſos adverſarum rerum gradus, quæ ſecundis admiſcentur, pleniſſime perſpicitur, non poſſe non civitates etiam fortunæ nomine differre, aliasque eſſe minus, alias magis fortunatas (§. 47.), ſeu fortunatiores, & a fortunatis usque ad fortunatiſſimam innumera dari graduum divortia ordinesque mirum quantum differentes. Dici enim nequit, quanta civitatibus diſpendia oboriantur etiam ubi ſe compendia ſua ſectari ſibi perſuadent.

§. 69.

Quænam ſalus civitatis eſſet omnium perfectiſſima?

Omnibus numeris abſoluta ſeu *prorſus perfectiſſima foret ſalus publica*, quæ omnigenam proſperitatem ac omnem contineret bonorum internorum externorumque & numerum ſeu cumulum & magnitudinem ſeu præſtantiam, & conſenſum, qui in genus humanum cadere poſſet. Ea igitur omnes perfectæ ſalutis gradus complecteretur, omnesque vel minimos malorum gradus excluderet.

§. 70.

Quid illa contineret?

Salus publica omnibus numeris abſoluta, complecteretur ſummum gradum ſummi hominum boni, ſummamque felicitatem vel beatitudinem, ſummam affluentiam, tranquillitatem ſecuritatemque civilem omnigenamque proſperitatem. Contineret enim omnium bonorum internorum externorumque omnem & cumulum & præſtantiam & conſenſum, qui in civitatem cadere poſſit (§. 69.). Sed inter

bona

bona interna habentur tum bona animi tum corporis (§. 555. *seq. Psych. empir.*). Bonorum animi fastigium tenet bonum summum, pro diverso hominum captu gradibus differens (§. 67.), ideoque tunc omnibus numeris suis absolutum, quum, quantum pro civium modulo potest, summum obtinuit gradum. Hinc summam infert civium omnium ac singulorum felicitatem beatitudinemque (§. 39.). Similiter censendum est de bonis corporis, quotquot salva civium diversitate capi a singulis possunt, item conjunctim ab omnibus, nec non de copia rerum necessariarum, commodarum, utilium & jucundarum de immunitate a metu injuriarum ac violentiæ internæ & externæ seu hostilis, quando & in his summum illud habetur, quod haberi potest & de omnigena prosperitate (§. 45.). Liquet igitur adsertum.

§. 71.

Imperfectissima immo nulla foret salus publica, cui inessent & omnia & summa mala. Imperfectæ enim salutis civitatum gradus æstimantur partim ex malorum, quibus laborat, multitudine & magnitudine, partim ex eorum inter se & a fine civitatis dissensu (§. 61.). Inde quo plura, quoque majora illi insunt mala, & quo magis sibi invicem & fini civitatis repugnant, eo majori illius salus laborat defectu, seu eo illa est imperfectior, eoque majori in periculo interitus civitas versatur. Progrediendo ulterius innotescit, imperfectissimam h. e. nullam tum civitati salutem superesse posse, quando cum omnibus publicis malis, summisque iisdem conflictatur. *Quænam salus civitatis imperfectissima & nulla foret?*

§. 72.

Laboraret misera ejusmodi civitas summo hominum malo, summa infelicitate, summo infortunio, summisque injuriis & effrænata ferocitate interna & externa ipsiusque interitus acceleratione. In casu enim & conditione præsenti nulla ipsi foret salus publica, potius omni- *Quid illa inferret?*

 bus

bus ſummisque malis obnoxia foret (§. 71.). Sed inter ſumma mala primo ſtat loco ſummum animi humani malum, quod ſummam involvit infelicitatem (39.) Summis rebus ſecundis opponuntur ſummæ adverſitates vel ſummum infortunium. Hinc quando nulla eſt civitati ſalus, tum illa ſummo quoque premitur infortunio. Sicuti ſecundaria civitatis ſalus includebat immunitatem ab injuriis internis & externis earundemque metu (§. 44.); ita ſumma civitatis miſeria involvit ſummas injurias ferociasque internas & externas, cum certiſſimo ulteriorum ſubinde metu, una cum pendente ex præmiſſis hiſce certiſſima interitus acceleratione.

§. 73.

Quænam civitas dicenda perfectiſſima prorſus?

Civitas abſolute perfecta ſeu perfectiſſima foret, quæ gauderet ſalute publica omnibus numeris abſoluta. Quando in gradibus perfectionis procedimus quousque valemus, non poſſumus in rebus finitis progredi ad infinitum (§ 93. *Co mol.*). Subſiſtendum ergo in aliquo, quod inter alia ita eminet, ut majora & meliora in datis conditionibus haberi nequeant. Idem contingit in civitatis perfectione, quæ tum abſolute perfecta aut perfectiſſima foret, quando ſalus ejus foret, quanta eſſe poteſt dum eſt perfectiſſima. Abſolute perfecta autem non eſſet, quæ tantum quadamtenus, & in comparatione cum aliis certi generis perfectiſſima dici poſſet.

§. 74.

Notæ civitatis prorſus perfectæ.

Abſolute perfecta civitas gauderet tanta, quanta in homines caderet, felicitate, fortunæ affluentia, tranquillitate, ſecuritate proſperitateque. Gauderet enim ſalute publica omnibus numeris ſuis abſoluta (§. 73.). Sed ſalus publica omnibus numeris abſoluta complectitur ſummum gradum ſummi hominum boni, ſummamque felicitatem & beatitudinem, ſummam rerum affluentiam, tranquillitatem & ſecuritatem omnigenamque proſperitatem

tatem (§. 69.). Quare cum ſumma felicitas hominum ſit ea, quæ tanta eſt, quanta in homines cadere poteſt, quod & in cæteris bonis ſummis ſimilem in modum habet (§. 69.): confectum habetur, abſolute perfectam civitatem tanta gaudere felicitate, rerum ſecundarum affluentia, tantaque tranquillitate & ſecuritate civili, quanta in homines cadat. Vnde eadem involveret immunitatem a peccatis omnibusque calamitatibus (§. 40-42.).

§. 75.

Civitas perfectiſſima non datur in hac, quam experientia docet, generis humani pravitate. Nimirum civitas prorſus perfectiſſima gauderet tanta, quanta in homines cadere poteſt felicitate, affluentia, tranquillitate, ſecuritate & proſperitate civili (§. 74.). Quanta felicitas involveret immunitatem a peccatis omnibus calamitatibusque fortunæ (§ 41.43. *ſeq*). Enimvero teſtatur fidiſſima rerum magiſtra, experientia, hominem quemque ſæpe transgredi leges naturales, ideoque peccare § 440. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quapropter omnes homines obnoxii ſunt peccatis, & nequaquam a pravitate actionum immunes. In hac ergo hominum depravatione, quam cujusvis atteſtatur experientia indubitata, fieri nequit, ut detur civitas abſolute perfecta.

Cur civitas abſolute perfecta non detur?

Supra uſi ſumus exemplo horologii ad illuſtrandos gradus perfectionis ſalutis publicæ in nota (§. 63.). Quo rurſus uti licebit ad perfectiſſimam civitatem illuſtrandam. Facile imaginamur & mente informamus horologium perfectiſſimum, ſecundum tempus medium ita inſtructum, ut a principio usque ad finem ſæculi tam exacte indicet, atque per omnes ſæculi dies ne unico quidem ſecundo ſcrupulo ab illo tempore medio vero aberrarit. Sed ubi exiſtit nunc aut extitit olim, aut exiſtet unquam ejusmodi horologium? Patiturne & horologiopœorum & cæterorum hominum, qui illo uterentur, & rerum indoles ta-

lem horologii fabricam tantamque perfectionem? Aut jure nostro infitiamur, unquam tam perfectum horologium extitisse aut extiturum esse?

§. 76.

Nec speranda sit? *Ejusmodi perfectissima civitas nec in posterum speranda est, quamdiu eadem, quæ nunc est, manet hominum natura.* Neque enim patitur hæc, quam experientia evincit, hominum pravitas, ut absolute perfecta civitas detur (§. 75.). Sed quamdiu eadem manebit hominum, quæ nunc est, natura, tamdiu eadem in ipsa depravatio superabit. Idcirco prorsus perfectissima civitas speranda non est quousque eadem, quæ nunc est, hominum natura manebit.

§. 77.

Quæ civitas imperfectissima. *Civitas absolute imperfecta esset*, quæ laboraret omnibus summis malis publicis, hinc & summo salutis defectu, cuique nulla foret salus publica. Si nulla salus bello esse recte statueretur, in ejusmodi civitate foret perpetuum bellum omnium in omnes, quale in statu naturali commentus est *Hobbesius.*

§. 78.

Ejusdem criteria. *Absolute imperfecta civitas nulla gauderet parte nec felicitatis, nec prosperitatis aut affluentiæ rerum, nec tranquillitatis, nec securitatis civilis.* Laboraret enim deterrima civitas omnibus iisque summis malis publicis, summoque salutis publicæ defectu (§. 77.). Sed saluti publicæ inest felicitas (§. 39.), affluentia rerum omnium, tranquillitas & securitas civilis (§. 45.). Deficit ergo in absolute imperfecta civitate omnis felicitas, affluentia, tranquillitas & securitas publica. Itaque civitas deterrima nulla gaudet parte vel felicitatis, vel affluentiæ & prosperitatis, vel tranquillitatis securitatisque civilis.

§. 79.

Esset miserrima omnium. *Foret civitas ejusmodi omnium & infelicissima & infortunatissima,*

ma, ideoque miserrima. Nulla quippe gaudens parte felicitatis, foret infelicissima, nulla parte prosperitatis fortunæque vel qua bonorum fortunæ affluentiam, vel qua malorum fortunæ internorum externorumque profligationem, infortunatissima (§. 78.). Cumque eo ipso esset deterrima omnium, nec ex summis hisce malis eluctari suo marte posset, omnium miserrima esset censenda. Neque amplius pro civitate habenda videretur, si eousque degenerare posset.

§. 80.

Non datur civitas infelicissima simul & infaustissima, ideoque omnium miserrima. Si enim esset infelicissima, ejus cives ad unum omnes perpetuo transgrederentur leges naturales, nihilque boni agerent (§. 41.). Vnde an homines amplius dici, aut existere plane possent, dubitaretur. Si infaustissima esset, nec alimentis, nec aliis necessariis vitæ præsidiis gauderet (§. 43.), ideoque non possent non omnes illius cives, ipsaque civitas interire. Taceo, quod & nulla immunitate a vi interna & hostili gaudens (§. 44.), vel internis seditionibus, vel hostium infestatione perimeretur. Constat igitur, civitatem infelicissimam infaustissimamque seu miserrimam omnium non dari nec subsistere posse. *Cur civitas miserrima non detur?*

§. 81.

Furum, latronum, prædonum, piratarumve globus seu colluvies, non est civitas sed conspiratio nefanda. Civitas enim est societas vicorum provehendæ salutis causa contracta (§. 31.). Salus vero illa continet commune bonum conjunctis viribus procurandum (§. 35.) & in primis summum bonum promovendum (§. 37.), quod non nisi virtutibus quibuscunque melius excultis fieri potest (§. 40.). Sed furta, latrocinia, deprædationes, invasiones violentæque ereptiones alieni sunt actus vitiosi, sceleratorum hominum, qui virtutibus e diametro repugnant, *Cur sceleratorum sodalitia non sint civitates?*

gnant, per demonſtrationes Philoſophiæ moralis ipſumque Jus naturæ. Proinde furum, latronum, ſicariorum, prædonum, piratarum, ſimiliumque ſceleratorum globi vel cohortes ſacrilegorum non ſunt civitates, ſed nefariæ colluvies, conſpirationes, conjurationesque.

§. 82.

Cujusmodi ſint obviæ civitates?

Quæ dantur vel obviæ civitates, & quæ dari poſſunt, illæ inter feliciſſimam infeliciſſimamque velut mediæ interjacent. Neque enim datur civitas abſolute perfecta feliciſſimaque in hacce, quam experimur, hominum depravatione (§. 75). Neque datur civitas abſolute imperfecta infeliciſſimaque (§. 80.). Quare obviæ civitates, quæ dantur, quæque dari in hac hominum ſorte poſſunt, illæ neque ſunt feliciſſimæ, neque infeliciſſimæ omnium. Vnde neceſſum eſt, ut ſint inter illas interjectæ, ſeu intermediæ ſortis.

Addi etiam poſſet, neque feliciſſimis infeliciſſimisque proximas aut admodum propinquas dari, ob rationes easdem. Quare quia innumeri ſunt gradus ab infeliciſſima ad feliciſſimam civitatem, per medias non reſtricte innuuntur, quæ ab utraque extrema æqualiter diſtant, ſed quæ illis nec nimis propinquæ, nec ab illis nimis remotæ intelliguntur; ideoque aut mediocris ſunt circiter ſortis, aut propius a feliciſſima diſtant, quam ab infeliciſſima & vice verſa. Quatenus enim hi gradus nondum exacte menſurari poſſunt, oportet in paullo laxiori æſtimatione adquieſcere.

§. 83.

Quænam ſit civitas obviarum optima?

Obviarum civitatum optima ſalutatur, quæ tam perfecta gaudet ſalute publica, quanta in hac hominum conditione haberi poteſt. Obviæ enim civitates nec ſunt omnium perfectiſſimæ, nec imperfectiſſimæ deterrimæque (§. 82). Quoniam ideo inter illas interjacent, abſolute optima nulla eſt, ſed comparate inter obvias alia erit aliis præferenda, eaque optima dicenda, quæ

quæ minus abest a perfectissima, ac cæteræ. Hinc obviarum civitatum ea salutari poterit optima, quæ quanta haberi in hac hominum sorte potest, tanta seu tam perfecta fruitur publica salute.

Fingi homines non possunt votis, quales vellemus ut essent, sed oportet quidem operam dare, ut perficiantur quantum fieri potest, vel quantum obsequi volunt; quatenus nolunt meliores fieri, eatenus utendum ipsis est, uti haberi possunt, ad commune bonum prosequendum. Et quemadmodum vitiis sine nemo nascitur, sed optimus est, qui minimis urgetur: ita & civitas nulla malis omnibus vacat, sed optima dicenda, quæ in suo genere minus, quam cæteræ iisdem laborat. Talis vero est, quæ tanta prædita est salute publica, quanta in hac hominum sorte, si omnia diligentissime curentur, haberi potest. Conferantur superius notata §. 51. ex Aristotele adducta.

§. 84.

Quænam bona meliorve civitas?

Idcirco bona erit civitas, quæ quadamtenus satis perfecta salute gaudet; melior quæ gaudet salute bonis aliis perfectiore. Optima quippe civitatum obviarum erat, quæ tanta gaudebat salute, quanta in hac hominum sorte haberi potest (§ 83.). Comparate igitur illius salus tam perfecta erat, ac esse in hac imbecillitate potest, atque minus aberat a perfectissima salute, quam reliquæ quotquot dantur (*ibid.*). Quapropter quæ optima non est, ea vel bona erit dicenda, vel melior pluribus, si mala dici non meretur. Hinc bona erit, quæ quadamtenus perfecta seu ea, quam optat, salute fruitur, melior vero, quæ præstantiore aliis, non tamen omnibus, salute est potita. Bona igitur civitas non erit, nisi quæ sic satis perfecta; melior vero quæ multis aliis iisdemque bonis perfectiore gaudet, salute, felicitatem pariter ac prosperitatem involvente (§. 45. *seqq.*)

§. 85.

Dantur civitates & bonæ & aliis meliores.

Dantur civitates bonæ, aliæque aliis meliores. Appellantur enim civitates bonæ, quæ ſatis reſpondente votis ſuis proſperitate, vel ſatis perfecta gaudent ſalute (§. 84). Enimvero quotquot civitates adquieſcunt in ea, qua utuntur, ſalute publica, totidem ſatis perfecta gaudent ſalute, ſaltem ſua opinione (§. 32.). Dantur autem teſte experientia civitates, quæ in ſorte ſua adquieſcunt; neque deſunt rationes, per quas oſtendatur non eſſe, cur aliam affectent, quia bene vivere in illa modo velint poſſint. Bonas igitur dari civitates concedendum eſt, tum opinione ſua, quæ revera tales vix ſunt, tum re ipſa.

Enimvero quia diverſi dantur gradus felicitatis proſperitatisque civilis (§ 67. *ſeq.*); & bonæ civitates gaudent ſatis reſpondente ſuis optatis felicitate & fortuna ſecunda, ut modo evicimus: bonarum quoque civitatum gradus dentur oportet. Si vero gradus diverſi bonarum civitatum negari nequeunt, aliæ quoque civitates aliis erunt meliores, deterioresve. Id quod confirmatur attenta civitatum comparatione, inter quas aliæ majori minorive affluentia rerum optatarum; aliæ majori minorive tranquillitate ſecuritateque præditæ; denique aliæ magis minusve congruere & contendere ad tutam jurium ſuorum fruitionem; aliæ vero magis minusve in ea impediri deprehenduntur.

Omni ævo hiſtoriæ nobis offerunt civitates, quæ aliis feliciores fortunatioresque fuere, ideoque præſtitiſſe cæteris feruntur. Quæ aliis longe potentiores extitere, quæ majori virtutum laude excelluere, quæ affluentia rerum uberiori, quietiori rerum ſuarum poſſeſſione & diſpenſatione gaviſæ ſunt, quæ hoſtibus adeo formidabiles fuere, ut nihil ab illis timendum ipſis fuerit: quis eas non cenſeat cæteris meliores, quibus minor tantum obtigit gradus eorum, quæ commemoravimus bonorum?

rum? Exempla quum ſua ſponte plura ſint in mentem ventura, mea non indigent recenſione.

§. 86.

Nec repugnat, dari civitatem obviarum cæterarum optimam, ſed potius enitendum eſt, ut illa potiamur. Dantur nempe aliæ civitates aliis meliores (§. 85.). Quæ comparatio bonarum civitatum continuari eousque poteſt, donec perveniatur ad eam, quæ omnibus cæteris obviis ſit melior judicanda, per naturam comparationis accuratæ. Sed ſi comparatio civitatum meliorum eousque continuetur, donec perveniatur ad eam, quæ cæteris obviis melior ſtatuenda eſt, tum habetur civitas obviarum omnium optima. Non repugnat igitur, dari civitatem, inter obvias omnes, optimam. *Studendum eſt optimæ civitati.*

Enimvero obligat nos Jus naturæ, ut quæ meliora ſunt & haberi poſſunt, cæteris præponamus (§. 192. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Quam ob rem quia non repugnat dari civitatem obviis omnibus anteferendam, per modo adducta: manifeſtum ſimul eſt, enitendum eſſe, ut obviarum optima civitate potiamur fruamurque. Neque recte inſtructa ſibique conſtans animi ſententia alia exoptare ſibique cupere ſolet, quam quæ melior cæteris eſſe intellexit.

Singulari caſu illud oſtendit Socrates, ut in Ciceronis fragmentis legimus hunc in modum: Dic mihi quæſo Xenophontis uxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrumne illius, an tuum malis? illius inquit. Quid ſi veſtem & cæterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne, an illius malis? illius vero reſpondit. Ageſis inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum virum malis, quam illius? Hic mulier erubuit, & merito. Male enim reſponderat ſe malle alienum aurum, quam ſuum: nam eſt id improbum. At ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet, potuiſſet pudice reſpondere, malle ſe virum ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet.

Alibi fertur uxor ſupervenientem maritum ſimilibus quæſtionibus de equo aliisque ad uxorem quoque deduxiſſe: quibus tandem præſens adhuc Socrates dixerit, ne quis alium conjugem optare poſſet, operam eſſe dandam utrique, ut ſe nec melior maritus nec uxor habeatur. De his quidquid ſit, poſſumus jure noſtro contendere, pro eo, quem quælibet civitas ſibi proponit fine conſequendo, opus eſſe, ut ſtudeat quam optima & eſſe & haberi.

§. 87.

Quæ civitas in ſuo genere optima ſit?

In ſuo genere vocatur *civitas optima*, qua perfectior in tali determinatione non datur. Non unum eſſe genus civitatum infra dilucidabitur, & hic tanquam notum ex *cap. 2. P. VIII. Jur. nat.* ipſaque experientia adhibetur. Quemadmodum igitur de optima civitate ex omnibus civitatum generibus ſtatui poteſt (§. 83): ita quoque de ea, quæ in certo civitatum genere, v. c. in Ariſtocratia, optima cenſenda ſit, non inutilis erit disquiſitio, ſed ſuis locis temporibusque iis perquam ſalutaris, qui contra abuſus ſibi ſuæque civitati rectius conſultum cuperent.

Vſitatum eſt, ut pictor in certo picturarum genere excellat, in alio ſit mediocris, in alio nullus; item ut muſicus in tibiis transverſis inflandis parem non habeat; in tubis ſit permodicus, in aliis inſtrumentis nihil præſtet. Hi in ſuo genere, quod excoluere, poſſunt optimi dici muſici & pictores, omnesque reliquos multis poſt ſe pava ſangis relinquere. Itidem in civitatibus gradibus valde diſcrepantibus alia in ſuo genere anteire alias poteſt.

§. 88.

Dantur civitates in ſuo genere optimæ.

Optimas in ſuo genere civitates dari, facile poteſt evinci. Dantur enim civitates bonæ, aliæque aliis meliores (§. 85.). Neque repugnat, dari civitatem obviarum ſuo aut & omni tempore præterito optimam (§. 86.). Mirum igitur eſſe nequit, in

in suo quoque genere civitates obvias, aliis, seu eodem seu præterito tempore usitatis, anteponendas dari, optimasque eatenus esse dicendas. Idem corroborat experientia exemplis civitatum, quæ in suo vitæ genere cæteras vincunt aut olim vicerunt.

Facilius est, dari in suo genere optimos artifices opificesque, uti v. g. Cicero Romanorum summus fuit orator, quam universim optimos. Sic & civitates in suo genere optimas dari, multo est facilius, quam omnium, quotquot existunt, optimam dari, de quo tamen desperandum non esse, si obvias actu, non fictas civitates, inter se contendemus (§. 86.(.

§. 89

Defectus salutis publicæ sunt incommoda & nocumenta publica, periculaque evitabilia civitatis, *invalescendo* in exilium ejus tendentia & facile abitura. Possunt defectus facile æstimari ex absentia vel negatione eorum, quæ salutem publicam absolvunt (§. 36. *seq.*). Hinc defectum felicitatis atque virtutis (§. 39. 40) item rerum secundarum, tranquillitatis securitatisque (§. 46) & his contraria infert, uti paulo post ostendetur. Quæ si jam adsunt, nocent, saltem incommoda creant civitati; si impendent, ut futura, pericula vocantur, quibus civitas est exposita & quæ ipsi plura minantur mala, immo interitum ipsummet si invalescunt. *Defectus salutis publicæ qui sint?*

Periculi dilucidandi causa monendum videtur, illud (§. 371. *P. I. Jur. nat.*) ubi de periculo vitæ agitur, accipi pro ejusmodi determinatione, in qua vitæ jactura fieri potest. Dicitur enim in periculo vitæ constitutus ejus jacturam facere posse. Hinc periculum erit status in quo jactura boni, quo gaudere possumus, fieri potest. Quoniam absentia boni est malum (§. 754. *ibid.*), & jactura tanquam amissio infert absentiam seu privationem boni, quo gaudebamus, saltem gaudere poteramus: periculum est malum impendens seu imminens. Quod, uti alia mala, aut evitari potest, aut nequit (§. 370, *ibid.*). Quia ab

ab evitabilibus malis animi, corporis & fortunæ cavendum eſt, quantum in noſtra eſt poteſtate (§. 182. *ſeq. ibid.*): de periculis evitabilibus hic potiſſimum ſermo eſt. Exilium vero interitum notat præſentem ſeu actualem, quo deſinit exiſtere, quod antea exiſtebat.

§. 90.

Sunt mala publica vel interna vel externa.

Incommoda & damna civitatis vel ſunt mala publica interna vel externa. Sunt enim nocumenta publica, defectum ſalutis publicæ parientia, & creantia in civitate, quæ ſaluti ejus ſunt contraria (§. 89.). Sed a quo proficiſcuntur quæ omnibus nocent, quæ derogant ſaluti publicæ, eique contraria inferunt, reddentia ſtatum civitatis deteriorem, ac alias eſſet futurus, illud eſt malum (§. 565. *Pſychol. empir.*) idque in noſtro caſu publicum (§. 34.). Quare quia mala vel ſunt interna vel externa (§. 566. *Pſychol. empir.*): hæc quoque publica mala vel interna ſunt, vel externa. Quatenus ex illis alia naſci & imminere ſolent atque evenire, niſi illis occurratur, pericula quoque iisdem una inſunt, eaque vel interna vel externa: quia temporis præſentis & ſequentis diverſitas per ſe nihil in rebus immutat.

§. 91.

Interna ſunt infelicitas civitatis ex vitiis orienda.

Mala publica interna ſunt infelicitas civitatis, illiusque vitia cujuscunque generis. Bona nempe interna perficiunt, mala vero interna deteriorem reddunt ſtatum civitatis internum (§. 566. *Pſychol. empir.*). Ea vero, quæ ſtatum uniuscujusque civis deteriorem reddunt ſeu depravant, ſunt actiones legibus naturalibus contrariæ, ideoque malæ (§. 55. *P. I. Phil. pract. univ.*). Actiones malæ cujuscunque generis frequentiori exercitio in vitia abeunt, & tum ex vitiis gignuntur (§. 322. *ſeq. P. I. Phil. pract. univ.*), redduntque hominem infelicem (§. 405. *ſeq. ibid.*). At ſi cives vel omnes & ſinguli, vel plerique ſunt infelices, ipſa

ipsa civitas est infelix dicenda, quemadmodum in casu contrario, felix erat (§. 34.). Constat igitur, mala publica interna pendere a vitiis cujuscunque generis, & inferre infelicitatem civitatis.

Quatenus aliorum civium actiones pravæ & vitia sunt causa injuriæ aliis illatæ & malorum inde pendentium in statu civitatis interno, eatenus & ea civitatis infelicitas a vitiis concivium cujuscunque generis oritur, intelligiturque ex modo allatis argumentis.

§. 92.

Mala publica externa sunt quælibet res adversæ civitatis, uti inopia rerum civilium, plagæ publicæ, calamitates, vexationes & infestationes. Externa videlicet mala reddunt statum externum deteriorem, ac alioquin esset futurus (§. 566. *Psych. empir.*). Sed quemadmodum opes, vel affluentia rerum ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatemque facientium, statum privatum; aliorumque benevolentia & auxilium item tranquillitas securitasque civilis etiam statum communem seu publicum perficiunt: ita ex adverso inopia rerum familiarium, plagæ publicæ, calamitatesque, vexationes intus, & infestationes extus illatæ, statui externo vulnera infligunt, sæpe remediis majora. *Quæ sint mala publica externa?*

§. 93.

Mala vocatur *civitas*, quæ laborat defectibus salutis publicæ evitabilibus ideoque sedulo evitandis. Simili modo ac scripturam dicimus malam ratione literarum exaratarum, quæ & in illis deficit, quæ facile evitari possunt v. c. in lineis rectis oblique admodum positis: civitatem excusare facile non solemus, quando quæ in ipsa vituperari merentur potuissent evitari, aut plane facilia evitatu fuissent. *Quænam civitas sit mala?*

§. 94.

§. 94.

Quæ civitas aliis pejor? *Quo plura quoque majora incommoda civitas experitur, eo deterior seu pejor est dicenda.* Mala enim est civitas, quæ laborat ejusmodi salutis publicæ defectibus, qui facile possunt evitari (§. 93.). Illi vero defectus una important incommoda & damna quævis publica (§. 89.). Hinc quo plura quoque graviora damna seu nocumenta publica civitas experitur, eo illa deterior pejorque erit dicenda.

§. 95.

Quæ pessima sit civitas? *Pessima erit civitas, quæ pluribus gravioribus publicis malis laborat, quam ulla alia.* Si civitas eo pejor est, quo pluribus gravioribusque malis laborat (§. 94.); aliter statui nequit, quam pessimam esse civitatem, quæ plurimis summis gravissimisque malis affligitur. Hujusmodi mala vero insunt civitati, quæ pluribus gravioribusque laborat incommodis, quam alia ulla.

Vti in perfectione respicitur ad finem omniumque eorum, quæ insunt cum illo consensum ideoque res tum absolute in se tantum spectatur: ita in bono habetur ratio rei alterius potissimum & uniuscujusque, quod illam perficit. Res dicitur bona, quatenus aliam perficit, vel aliquid confert ad ejus finem ex asse consequendum. Et quidquid inest rei, bonum vocatur, quatenus aliquid facit ad finem rei obtinendum. Similiter censendum de imperfectione & malo. Hinc una eademque res absolute considerata habet & essentiam & attributa, quæ sunt in ipsa tam necessaria, ut sine illis haberi ea res perficique nequeat. Quare & essentialium & attributorum quodlibet bonum dicitur; consensus vero omnium inter se & in finem obtinendum efficit rei perfectionem. Rursus quatenus res integra sufficit ad finem suum obtinendum, eatenus bona dicitur. Inde civitas quoque imperfecta dicebatur ob dissensum eorum, quæ ipsi insunt, ratione salutis publicæ (§. 57.); mala autem ob defectum salutis quemlibet, qui derogat seu nocet saluti ejus.

Potest

Potest vero perfectio etiam considerari ratione intellectus, nihil deprehendentis, quod rei deesset ad omnia, quæ illius ope esse & fieri possunt, consequenda. Ideo omne perfectum est approbandum ac meretur præferri iis, quæ perfecta non sunt. Bonitas autem refertur ad voluntatem, quam invitat ad rem appetendam, unde omne bonum dicitur appetibile. Sic patet, cur quod approbamus, etiam expetamus & quod in approbatione aliis præferimus, e pluribus eligamus. Contra ea, quod imperfectum esse perspicit intellectus, id improbat & perfectiori postponit. Voluntas idem illud improbatum ab intellectu sibi malum nec esse appetendum sed aversandum statuit, ideoque inter plura optione gaudens illud repudiat, melius eligendo. Patet ex hisce, cur & alia civitas deterior seu peior, id est, magis aversanda, alia vero pessima seu maxime abominanda sit fugiendaque.

§. 96.

Quod proxima sit exitio.

Pessima civitas periculo exitii obnoxia est præ cæteris cunctis. Pessima enim civitas pluribus gravioribusque malis publicis laborat, quam ulla alia (§. 95.). Mala autem publica detrahunt saluti publicæ, & invalescendo in exitium ejus conspirant & facile abeunt (§. 89.). Quamobrem quia exitium notat interitum actualem (§. 89.), periculum exitii est impendens exitium. Quo majora autem & graviora sunt mala, & quo plura vexant civitatem, eo illa propior est exitio (§. 94.). Manifesto igitur patet, pessimam civitatem non posse non præ cæteris cunctis exitio esse proximam.

§. 97.

Quæ civitas pessima in suo genere.

In suo genere pessima erit civitas, qua peior in illo genere non datur nec exitio vicinior. Generatim enim pessima civitas dicebatur, quæ pluribus gravioribusque malis publicis laborat, quam alia ulla (§. 95.). Quapropter in suo genere pessima erit civitas, quæ pluribus gravioribusque malis publicis laborat,

quam ulla alia generis ejusdem. Hoccine vero eſt, qua pejor in ſuo genere non datur? Quam ob rem ipſam ſuo exitio proxime imminere, palam eſt ex §. 96.

§. 98.

Dantur civitates in ſuo genere peſſimæ.

Dari civitates in ſuo genere peſſimas, ipſo earum exitio, quod hiſtoriarum fides docet, comprobatur. Sunt nobis civitates peſſimæ ſui generis non niſi illæ, quibus pejores in eodem genere non dantur, quibusque ſuum impendet exitium (§. 97.). Sed civitates exitium paſſas ſuo interitu, tandem imminuiſſe proxime, dubium eſſe nequit. Teſtatur autem hiſtoriarum fides civitatum non paucarum interitum tam evidenter, ut de illarum exitio dubium ſupereſſe poſſit nullum. Obvias ergo fuiſſe ſeu extitiſſe civitates in ſuo genere peſſimas, ipſo earundem exitio luculenter comprobatur.

Si quis attentius conſideret, quæ hic ſtatuuntur, is animadvertet diſcrimen civitatum peſſimarum, quæ dantur, & extitere ſæpius, ſi vel de nunc exiſtentibus concedere vellet, talem nunc nuſpiam exiſtere; & imperfectiſſimarum, quæ non dantur (§. 80.). Quia ſingulares quoque homines unico crimine capitali ultimum merentur patiunturque ſupplicium; nec ad interitum ſibi accerſendum opus eſt, ut omnibus graviſſimisque ſimul vitiis laborent: ita patet civitates licet non omnibus graviſſimisque malis publicis laborent, tamen uni alterive tali implicari poſſe, quod ad afferendum ipſis interitum valeat.

§. 99.

Quæ civitas ſit magna?

Magna vocatur *civitas* tum ratione potentiæ, tum cæteris paribus ratione amplitudinis ditionum. Potentia enim civitatis æſtimatur ex viribus ad reſiſtendum injuriæ idoneis, vel ad repellendam vim externam ſuffecturis (§. 69. *Jur. Gent.*). Vires illæ ſitæ ſunt partim in defenſorum civitatis peritia militiæ & fortitudine, partim in eorum multitudine & conſenſu; ſaltem in divitiis, quarum ope tales ali & haberi poſſunt (*ibid.*).

(*ibid.*). Quo amplioribus civitas gaudet ditionibus, eo longius fines imperii ipsius patent, seu eo plures regiones ipsius imperio subsunt, eoque plures alere potest fortes defensores. Redit igitur amplitudo ditionum cultarum fortibusque præditarum civibus, si, uti par est, omnes in defensionem civitatis rite consentiant, itidem ad augendam civitatis potentiam, ideoque & ad illius magnitudinem. Vnde perspicitur, quamlibet civitatem sua gaudere magnitudine, potentia & amplitudine.

Non ex sola amplitudine regionum, quæ imperio subsunt, nec ex sola multitudine militum, seu magnitudine exercituum potentiam gentis æstimandam esse, & antiquiores docent & recentiores res gestæ. Quod ad magnitudinem civitatis illustrandam, satis constabit ex *Miltiadis* & *Themistoclis* vitis, quorum ille Marathonia pugna decemplicem hostium numerum, hic apud Salamina parvo numero navium maximam post hominum memoriam classem Xerxis devicit.

§. 100.

Quo intensior est potentia, quo vastior ditionum ejus amplitudo, eo major cæteris paribus aptiorque tuendæ saluti suæ ipsa est civitas. Magnitudo enim civitatis redit ad ejus potentiam & amplitudinem cæteris paribus (§. 99.). Quare quo major est potentia & amplitudo civitatis, eo ipsa civitas major est dicenda. Sed quo intensior est potentia, quo vastior amplitudo ditionum & multitudo civium militumque, eo est potentia & amplitudo civitatis major. Constat igitur, recte statui, quo intensior est civitatis potentia & fortitudo in repellenda vi aliorum, & quo vastior est amplitudo ditionum ejus, eo cæteris paribus majorem esse civitatem ipsam, aptioremque saluti suæ adquirendæ tuendæque.

Gradus magnitudinis civitatis.

Vti supra gradus perfectionis & bonitatis exhibuimus, ita hic quoque gradus magnitudinis civitatum non fuerunt prætereundi. Ad quam quia nudus civium numerus, & nuda regio-

num vaſtitas non ſufficit, oportuit hic exponere id, quod veram efficit civitatis magnitudinem, potentiam ſcilicet, ex fortitudine, peritia militiæ, vel prudentia imperantium & obſequio parentium amicoque in defenſionem conſenſu oriundam.

§. 101.

Quæ civitas maxima ſit? *Maxima dicenda foret civitas, quæ omnium civitatum ſocietatem complecteretur.* Quo major enim eſt civitatis potentia & amplitudo cæteris paribus, eo civitas eſt major (§. 100.). Inde ſi cujus civitatis potentia & amplitudine nulla major eſſet, illa maxima omnium foret dicenda. Sed ea civitate, quæ omnium civitatum ſocietatem complecteretur, nulla nec major potentia, nec amplitudo eſſe poſſet. Quæ ambo per ſe liquida ſunt ex (§. 99. *ſeq*). Sibi ergo conſtat, quod poſuimus, maximam & univerſalem fore civitatem, quæ omnium civitatum ſocietatem complecteretur.

§. 102.

Involvit univerſitatem generis humani. *Si univerſitas generis humani conſociata concipiatur, illa non foret niſi omnium civitatum ſocietas.* Vniverſitas totius generis humani omnes ſimul complectitur civitates, neque aliter dici univerſitas ejusdem poſſet. Quæ ſi conſociata ſit, habetur omnium civitatum ſocietas (§. 31.), quam civitatem civitatum dicere liceret, eodem jure, quo civitas maxima ſalutatur (§. 101.).

Quando (§. 10. *Jur. Gent.*) civitas maxima ea dicitur, in quam gentes coiviſſe intelliguntur, & cujus ipſæ gentes ſunt membra vel cives: aliis verbis idem, quod hic ſtatuitur, dici patebit, ſi conſideremus, gentem ibi non eſſe, niſi multitudinem hominum in civitatem conſociatorum (§. 5. *P. VIII. Jur. nat.*), ſeu civitatem quamque, pro eo, quod continet, acceptam h. e. pro populo (§. 31.).

§. 103.

Quæ civitas maxima ſtri- *Omne genus humanum maximam conficit civitatem partim ſtrictius*

ctius ratione omnium simul viventium, partim latius ratione omnium & mortuorum usque adhuc, & nascendorum in posterum. Si nempe universitas generis humani consociata concipitur, illa non est nisi omnium societatum societas (§. 102.): seu civitas omnium maxima (§. 101.). Potest autem universitas generis humani bifariam accipi, scilicet pro viventibus tantum, vel pro his simul & pro omnibus mortuis, nascendisque postea hominibus. Priori casu patet strictius illam universitatem adhiberi, dum tantum vivos homines denotat; posteriori latius, dum præter vivos etiam mortuos omnes, omnesque necdum natos involvit. Ergo omne genus humanum maximam conficit civitatem tum strictius, tum latius acceptam. *ctior, quæ latior.*

In citato *jure gentium* gentes spectantur tanquam viventes (§. 2.), itaque maxima societas strictior ibidem innuitur. Quod tamen & latioris nonnulla habenda sit ratio, suo deinceps loco ostendetur. Hic strictiorem eo nomine compellamus.

§. 104.

Maxima civitas omnium civitatum est potentissima amplissimaque. Continet enim omnes, quotquot vivunt homines (§. 103.). Quorum cum sit omnis potentia omnisque opulentia (§. 99.), quæ inter homines datur est ea omnium civitatum potentia junctim sumta (§. 101.). Qua consentiente quia major inter homines actu non habetur: maximæ civitatis maxima est potentia, ideoque maxima civitas omnium civitatum est potentissima, in debito consensu spectata. *Civitas quæ potentissima & amplissima sit?*

Quoniam eadem omnes complectitur homines & civitates, ubicunque terrarum degentes (§. 103.), civitas maxima omnem involvit orbem habitatum, omnesque regiones, ubi homines vivunt. Sed major amplitudo civitatis in terra non datur ea, quæ omnes involvit regiones ditionesque, ubi homines degunt (§. 99.); & civitas maximæ amplitudinis voca-

tur civitas amplissima. Itaque maxima civitas omnium quoque civitatum amplissima est censenda.

§. 105.

De salute civitatis maximæ.

Salus maximæ civitatis est salus publica totius generis humani. Maxima enim civitas est universitas generis humani consociata (§. 102.); ideoque complectitur totum genus humanum, ubivis terrarum degens (§. 103.). Quapropter quum salutem civitatis salutem publicam recte dicamus (§. 36.): maximæ civitatis salus non est alia quam salus publica totius generis humani.

Intelligi hoc potest uti de civitate maxima strictiori, ita & de ampliori (§. 103.). Artes & scientiæ ad felicitatem generis humani facientes, non eodem ævo omnes, sed alias alia tulerunt secula & millennia. Quis neget, illas facere in recto usu ad salutem generis humani.

§. 106.

Quæ civitas sufficiat ad salutem hominum universam.

Non nisi maxima civitas latior ad omnem sufficit salutem generis humani consequendam, si omnes civitates suis partibus rite fungerentur. Si omnes civitates suis partibus rite fungerentur quælibet earum conjunctis viribus omne id recte quæreret & consequeretur, quod ad suam faceret salutem (§. 35.). Ita omnes civitates sigillatim sua potirentur salute; seque invicem in ea amplianda adjuvarent, quantum fieri posset. Enimvero quia experientia docet, alia sæcula alias tulisse artes & scientias (§. 105.); & nonnisi per inventa priora progressus datur ad posteriora: cogitur, strictiorem civitatem maximam nondum sufficere ad omnem generis humani salutem adipiscendam. Vnde sequitur, non nisi latiorem maximam civitatem ad omnem generis humani salutem consequendam esse suffecturam, si omnes ac singulæ civitates suis partibus rite fungerentur.

§. 107.

Quid sit vera ratio status?

Ratio status κατ' ἐξοχὴν dicta, pro genuina ratione finali civi-

civitatis, *non est nisi salus publica, saltem quidpiam sub ea comprehensum.* Status enim civitatis præsentem illius faciem notat, determinatione mutabilium prodeuntem (§. 705. *Ontolog.*). Hinc ratio status erit ratio ex statu civitatis interno vel externo (§. 706. *ibid.*) petita. Quæ vera & genuina non erit, nisi ex vera & legitima ratione finali civitatis derivetur (§ 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Vera autem ratio finalis h. e. verus finis civitatis non est, nisi salus publica (§. 36.) Genuina igitur ratio status (Staats-Grund vel Ursache) non est nisi salus publica, suprema omnium in civitate gerendorum lex; saltem quidpiam sub ea comprehensum.

§. 108.

Spuria vero est ratio status, quando nescio quid seu quidpiam erronei & pravi sonat. Etenim si quid erronei notat, id verum non est. Hinc si pro bono habetur, non est verum bonum, sed malum; uti si pro malo habetur, non est verum malum, sed bonum. Si quid pravi notat, aut culpam ex errore, ignorantia & præcipitantia profectam continet, aut dolum legibus adversum. Quæ cum genuina h. e. vera & legitima ratio non sit, spuria est. Quapropter spuria erit ratio status, quæ quidpiam erronei aut pravi sonat, hinc saluti publicæ est adversa. *Quænam ratio status spuria.*

Hujusmodi foret lucrum aut commodum ex aliorum damno captatum, vel conservatio status, licet per nefas periclitata, vel ampliatio ditionum vi aut fraudibus utens in aliorum injuriam; violatio fidei, inani obtentu facta, v. c. hæreticis non esse servandam fidem, vel, promissum esse vi bellica extortum &c.

§. 109.

Secundum genuinam rationem status agens recte agit; male vero agit spuriam sequens. Genuina enim ratio status ex vera & legitima ratione finali ejusdem proficiscitur, estque ipsa salus publica, & quidquid sub ea continetur (§. 107.). Sed quisquis in *Quomodo secundum rationem status agatur.*

in civitate non agit, nisi quæ salus publica requirit, is verus est probusque politicus (§. 21.) ideoque recte agit. Vnde relinquitur, secundum genuinam rationem status agentem in civitate id agere quod in ea agendum est, ideoque sive imperet, sive pareat, recte se gerere. Quisquis vero spuriam sequitur rationem status, is nescio quid erronei & pravi, itaque semper aliquid erronei & pravi sectatur agitque contra salutem publicam (§. 108.). Enimvero nec ex errore, nec ex pravitate, sive culpam sive malitiam complectente, agens recte agit (§. 80. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Et quisquis non agit recte, is prave seu male agit (§. 53. 64. *ibid.*). Constat igitur male agere eum, qui non agit nisi secundum spuriam rationem status.

Cujusmodi sunt pseudopolitici, cum dispendio salutis publicæ privatis rebus studentes (§. 24.).

§. 110.

Quatenus utilitas & salus publica conveniant.

Vtilitas publica si licita sit, sub salute publica continetur, & eatenus est ipsa publica salus. Negari nequit, homines in civitatem coëuntes utilitate juris permotos fuisse ad constituenda sibi jura utilitatis publicæ causa. Enimvero cum sola utilitas jus dare nequeat (§. 265. *P. I. Phil. pract. univ.*) & quilibet fur atque latro dicere posset, furta & latrocinia mihi sunt utilia, ergo jure meo illa facio: distinguendum est, inter utilitatem licitam & illicitam, quarum hæc legibus est prohibita, illa non est prohibita sed permissa (§. 170. *ibid.*). Hinc utilitas civitatis licita continetur sub publica salute, nec ab ea differt reapse; itaque utilitas publica si licita sit, ipsammet notat civitatis salutem, quæ non potest non civitati expedire.

Equidem definitio utilitatis ita comparari potest, ut illa non nisi licita esse intelligatur. Nempe si usum ab abusu probe discernimus, uti fit (§. 646. *P. I. Theol. nat.*) & utilitatem ponimus in præstatione usus cujusdam, aut in indole rei idonea usui

cuidam

cuidam præstando (§. 262. *P. I. Phil. pract. univ.*) evidens est, utilitatem esse licitam. Sed quoniam abusus vel usus pravus a multis confunditur cum usu rei recto (§. 61. *P. I. Jur. nat.*), inde & utilitas illicita habetur pro licita: præstat addita limitatione obicem ponere pravæ interpretationi publicæ utilitatis.

§. 111.

Cur sola utilitas publica non sit finis civitatis.

Sola utilitas publica non est finis civitatis. Sola enim utilitas publica jus dare nequit (§. 265. *P. I. Phil. pract. univ.*). Posset quippe ad publicam referri utilitatem ampliatio finium imperii per oppressionem illicitam civitatis alterius debilioris, locupletatio civitatis per rapinam ex alia civitate petitam &c. Quare sola utilitas publica actionem, ipsius causa susceptam, licitam facere, ipsaque licita dici nequit. Si vero sola utilitas publica licita dici nequit, illicita erit (§. 28. *Ontol.*). Si illicita est, non est idem quod salus publica, nec sub eadem continetur (§. 110). Quare quia salus publica est finis civitatis (§. 36.): solam utilitatem publicam non esse finem civitatis liquet.

Si clarius hoc enuntiare libet, dici potest, illicitam utilitatem publicam non esse finem civitatis vel dici non posse salutem publicam. Quo facto per se fere patebit veritas, axiomatis instar. Sed quoniam tam aperte vix quisquam veritati contradicet, ut sub specioso utilitatis publicæ (des Staats vel des gemeinen Bestens) pallio melius occultari malitia & se venditare potest: satius visum fuit, fucum utilitatis publicæ sic ostendere, si evinceremus, solam utilitatem publicam non esse finem vel supremam legem civitatis.

§. 112.

Quænam sit gloria publica genuina?

Gloria civitatis genuina individuo nexu cohæret cum publica salute. Gloria enim est consentiens laus bonorum & peritorum, quæ solida vel genuina nequit dici, nisi virtutum præstantiæ debeatur (§. 47. *Jur. Gent.*). Hinc genuina civitatis gloria infert laudem consensu peritorum eidem tributam ob facta

civium, ex insignibus virtutibus profecta (§. 48. *ibid.*). Enimvero salus publica, inprimis primaria, obtineri nequit, nisi virtutibus quibuscunque (§. 40.). Genuina igitur gloria civitatis vel publica inest iis, quibus salus publica obtinetur, itaque individuo nexu cohæret cum publica salute.

Vrgere solent politici, hoc vel illud gloriæ civitatis convenire, seu requiri a gloria publica; alia vero eidem repugnare. Quando id non immerito statuatur, definiri ex hoc criterio poterit, si gloria civitatis indivulso nexu cum salute publica sit conjuncta. Quando enim saluti publicæ repugnat id, quod gloriæ status deberi dicitur, ea non erit gloria civitatis genuina (der wahre Staats-Ruhm). Conjungi illam cum dignitate & decore civitatis patet (§. 194. *P. I. Phil. pract. univ.*).

§. 113.

Cur sola gloria publica non sit finis civitatis?

Sola civitatis gloria non est finis civitatis, nec norma in ea tolerandorum, vel ab ea gerendorum. Sola enim civitatis gloria non est nisi laus communis peritorum & bonorum (§. 47. *Jur. Gent.*). Sed quia boni etiam & periti errare ac decipi possunt, experientia teste: solida illa laus dici nequit, nisi veris insignibusque debeatur virtutibus intellectus pariter ac voluntatis. Hinc nec gloria civitatis sola, h. e. fine illis virtutibus spectata, genuina erit (§. 112.). Quam ob rem quia non nisi genuina civitatis gloria cum salute publica arctissime cohæret (§. 112.); & salus publica est finis civitatis ac norma in & ab illa agendorum fugiendorumque (§. 36): effatum elucet, solam civitatis gloriam non esse finem civitatis, itaque nec normam in & ab ea agendorum, tolerandorum, omittendorumque.

Aliter comparata est gloria divina, aliter humana. Illa summa nititur majestate divinitatis, virtutumque & omnium & infinitarum. Idcirco ipsius laus peritorum nisi solida & genuina esse nequit. Gloria igitur divina finis totius civitatis Dei seu Universitatis rerum conditarum, isque ultimus, jure meritoque

que nuncupatur. Humana vero etiamsi publica gloria infinitis intervallis ab illa divina est remota. Vnde simulacris virtutum, splendidisque vitiis tribui potest vel a bonis & cæteroquin peritis, sed hac in re deceptis aut errantibus, vel a corruptis & suam pravitatem sub pulcra specie simul commendaturis.

§. 114.

Quomodo potentia civitatis ad finem ejus referatur?

Potentiæ civitatis incrementum licitum consentit cum publica salute. Potentia civitatis inservit arcendis a se injuriis internis & externis, si viribus ad hæc idoneis recte utatur (§. 99.); ideoque facit ad civitatis tranquillitatem securitatemque (§. 45.), involvitque civitatis opulentiam (§. 43. & 45.). Atqui affluentia opum, tranquillitas & securitas civilis constituunt salutem civitatis secundariam (§. 46.), quæ cum primaria ad majorem ipsius usum consentit (§. 48.). Quam ob rem quia salus primaria & secundaria in civitate est conjungenda (§. 51.); & quo potentia est validior, eo cæteris paribus aptior est civitas saluti suæ adipiscendæ tuendæque (§. 100.): licite augendam esse civitatis potentiam apparet, ejusque incrementum licitum cum salute publica amice consentire.

§. 115.

Solius potentiæ incrementum quærere, nefas.

Solius potentiæ augendæ causa civitas illicite agit. Potentiæ enim publicæ incrementum licitum saluti publicæ apprime respondet, nec legibus divinis repugnat (§. 114. & §. 170. *P. I. Phil. pract. univ.*). Si vero incrementum potentiæ licitum non est, illud legibus naturalibus repugnat, ipsique publicæ saluti. Quia incrementa potentiæ augent potentiam, & potentia civitatis non nisi licite est augenda (§. 114.): manifestum est, si civitas solius potentiæ augendæ causa agit, eam non curare, utrum licite agat, nec utrum illud suæ saluti conveniat. Relinquitur ergo, illicite agere civitatem, solius potentiæ augendæ causa agentem, inque alios injuria molientem.

Quoniam ad potentiam civitatis quoque opulentia refertur (§. 43.), quæ ex opibus tum civium, tum peregrinorum haberi poteſt: duplici ratione erga alios civitatem illicite agere poſſe pateſcit, videlicet in perfecta tum peregrinorum, tum civium ſuorum jura graſſando & involando. Sed de his plura nunc exponere nondum attinet. Agendum enim hic tantum fuit de fine civitatum, propter quem conſtitui adminiſtrarique debent. Hunc non eſſe niſi ſalutem publicam edocuimus, ſpuriosque eſſe, qui ab ea recedunt, ſive rationis, ſtatus, ſive utilitatis, gloriæ & potentiæ publicæ nominibus inſigniantur.

POLITICAE P. I.
CAPVT II.
DE
CIVITATVM NECESSITATE.

§. 116.

Neceſſarium eſt, quidquid ſalus humana requirit.

Quidquid ſalus humana requirit, illud in hominum ſocietate moraliter eſt perneceſſarium. Societas hominum eſt pactum de fine quodam conjunctis viribus conſequendo (§. 1. P. VII. Jur nat.). Finis autem, cujus gratia ſocietas contrahenda, eſt commune bonum ſocietatis: nec impeditus ad illud conſequendum progreſſus fructusque, eſt ipſius ſalus (§. 11. *ibid.*). Obligantur homines per eſſentiam & naturam ſuam ad commune bonum conjunctis viribus proſequendum (§. 221. *P. I. Philoſ. pract. univ.*) inde quoque ad ſalutem humanam promovendam. Id vero, ad quod homines natura ſua obligantur, eſt moraliter perneceſſarium (§. 118. *ibid.*). Ita pateſcit, quidquid ſalus humana requirit, illud in hominum ſocietate moraliter eſſe perneceſſarium.

Quia

Quia moraliter necessarium in liberis actionibus non nisi hypothetice necessarium est (§. 116. *P. I. Phil. pract. univ.*), & hypothesis seu conditio, quæ hic adhibetur, est legitima nec licita tantum, sed & cum obligatione divina conjuncta: indoles hujus obligationis moralis minime vulgaris prodit in conspectum. Datur nempe necessitas moralis alia, quæ a fine libere electo, nec præcepto, sed licito tantum oritur; alia vero, quæ nititur fine præcepto itaque omnino eligendo. Prioris exemplum esse potest, si quis mercator lucri causa nundinas sibi statuit adeundas; postea vero viæ & tempestatis incommoda, una cum parvitate lucri sperandi expendens, vix operæ pretium se facturum credit & consilium mutat. Quo casu nullam violat legem. Si vero ponamus, eidem simul diem in foro istius loci esse dictum, ut præsenti sit comparendum aut causa cadendum: tum si nollet judicio se sistere, ageret contra officium promeritamque incurreret pœnam. Hæc obligatio comparendi in judicio, humana quidem tantum est, quatenus tamen perfecta est, ejusque transgressio pœnam effugere nequit: eatenus inservit illustrandæ obligationi divinæ, quæ ordinis est longe superioris, inde & majorem multo parit necessitatem moralem.

§. 117.

Si quid facit ad augendam licito modo salutem humanam, id etiam in hominum societate est necessarium. Etenim quidquid salus humana requirit, illud in societate hominum est moraliter necessarium (§. 116.). Sed humana salus simul omnia, quæ requirit, capere nequit, sed non impeditum ab aliis bonis communibus ad alia progressum involvit (§. 11. *P. VII. Jur. nat.*). Requirit ergo bonorum communium & conservationem, & incrementa idemtidem nova. At quoniam legibus divinis prohibita sunt illicita, & moraliter necessariis plane adversa (§. 107. *ibid.*): incrementa salutis humanæ non nisi licito modo sunt quærenda. Relinquitur inde, quidquid facit ad augen- *Et quidquid illam licite auget.*

 dam

dam licito modo salutem humanam illud itidem in hominum societate moraliter necessarium esse.

§. 118.

Vici sunt velut familiæ segreges.

Vici seorsum sumti, vel non sunt nisi domus per colonias ampliatæ, familiæque segreges, vel instar illarum habendi sunt. Vici enim sunt societates domorum (§. 862. *Oecon.*) & ratione ortus vel ejusdem vel diversi sanguinis coloniæ (§. 863.). In utroque casu si quilibet vicus separatim cogitetur, est ille veluti domus, sobole aut germana aut pacto adoptata, jam propagata & multiplicata, hinc veluti familia numerosa (§. 858. *seqq.*). Plures igitur vici seorsum sumti, vel non sunt nisi domus per colonias ampliatæ, ac familiæ segreges, vel instar illarum habendi, quando vicani diverso sanguine creti sunt.

Proprie vitam segregem agere dicuntur animalia, sic a natura armata, ut societate sui similium non egeant, sed solitaria sibi consulere possint. Domus vero & familiæ segreges vocantur, quæ sociatæ non sunt, separatimque degunt. Per consociationem enim veluti congregantur & coalescunt. Possent hodieque hujusmodi vici oriri, si quidam homines naufragio aliove modo venirent in insulam incultam, ibique per necessitatem sedes suas figerent. Si consanguinei forent, successu temporis constituerent vicum profectitium. Si nulla cognatione gauderent, vel consanguineis postea alii accederent, vicus oriretur adventitius. Si in alia insulæ parte alius esset vicus, antea aut postea ortus, quorum adhuc nulla esset societas, segreges illi forent vici, familiæque segreges, aut earum loco habendi.

§. 119.

Vici singuli suæ non sufficiunt felicitati.

Hominibus dudum valde auctis, æque ac domus singulæ, vici singuli sibimet non sufficiunt ad quasvis salutis & affluentiæ partes comparandas. Postquam enim genus humanum valde fuit multiplicatum, tum in beluina vitæ simplicitate officio naturali satisfacere, tum omnia sibi vitæ cultioris subsidia præstare non potuere

tuere (§. 79. *P. II. Jur. nat.*) (§. 861. *Oecon.*) & (§. 1. *P. VIII. Jur. nat.*). Jam singuli vici seorsum sumti vel non sunt nisi domus & familiæ segreges, vel earum instar habendi sunt (§. 118.). Licet igitur ponamus, vel in mille pluresve domos vicum excrevisse; nullo tamen negotio perspicitur, salutis humanæ vitæque cultioris tot esse partes, ut ne illæ quidem domus, conjunctis quanquam viribus, cunctis parandis sibique communicandis pares sint. Quam ob rem æque ac singulæ domus sibi non sufficiebant, nec singuli vici sibi sufficiunt ad quasvis salutis felicitatisque suæ partes sibi abunde comparandas.

Evadent hæc eo lucidiora, quo distinctius recordamur, salutem humanam omnium & singulorum involvere felicitatem (§. 39.), quæ non nisi virtutibus quibuscunque obtineri potest (§. 40.). Quam pauci vero sunt, qui una alterave virtute ita excellunt, ut alios eam præceptis, & exemplo suo docere possint? Præterea recto usu conferunt aliquid ad felicitatem humanam illæ res, quibus necessitati, commoditati, decori voluptatique vitæ innoxiæ consulimus. Quotnam vero illarum sunt, quarum adquisitio & comparatio ad usus nostros exquisitior plurimorum hominum opera & arte indiget? Qui fieri igitur posset, ut vici segreges vel maximi sibi ad omnes felicitatis suæ partes obtinendas sufficerent? Ita *Plato Dial. 2. de rep.* recenset, quam necessaria sit alimentorum adquisitio & præparatio, ut simus & vivamus; item habitationis, vestitus? Vnde opus agricolis, pastoribus, venatoribus, piscatoribus, textoribus, sutoribus, sartoribus, fabris lignariis, ferrariis aliisque opificibus, mercatoribus, mercenariis, artificibus, musicis, poëtis, medicis *&c.*

§. 120.

Neque suæ tranquillitati. *Multo minus singuli vici pares sunt quietæ jurium suorum fruitioni & præstationi ab aliis consequendæ.* In vico enim curandum est, ut tutior sanctiorque sit jurium fruitio, quanta junctis ipsius viribus haberi potest (§. 878. *Oecon.*). Enimvero vires vici

non

non plus valent, quam conſentientes in eo domus (§. 862. *Oecon.*). Diſſentientibus igitur domibus, pauciores a pluribus ſibi debita non conſequentur, nec tutæ erunt, nec quieta gaudebunt jurium fruitione; conſentientes vero omnes tamen deſtituuntur jure vitæ necisque (§. 894. *Oecon.*), & propterea vix ac ne vix quidem pares erunt ſuæ tranquillitati, adverſus nefarios vel rebelles vicanos ſatis tuendæ; aut conſequutioni eorum, quæ ſibi ab aliis ſunt præſtanda. Contingere enim facile poteſt, ut refractarii nec ſponte obtemperare velint, nec mitioribus modis adigi ſe patiantur ad ſuum officium, aliorum ſui ſimilium, vel cognatorum & affinium præſidio gaudentes. Proinde uti felicitati (§. 119.), ita & tranquillitati ſuæ ſinguli vici impares deprehenduntur.

Si quis excipiat vicos non indigere jure vitæ necisque (§. 895. *Oecon.*), is facile convinceretur, ibi ſermonem eſſe de vico, qua tali, ubi nil eſt niſi vicus, inſtar familiæ ſegregis conſiderandus (§. 118.). Hic autem de eo quæritur, quid vicus obtinere poſſit, ſi deſinat eſſe nudus vicus, fiatque pars majoris ſocietatis. Uti enim neceſſe non eſt, ut ſocietas ſimplex maneat ſimplex, ſed poteſt ac plerumque debet coaleſcere in domum; domus in vicum: ita quoque nulla obligatio adeſt, ut vicus ſemper maneat vicus, ſed quando id fieri & ſaluti melius conſuli in majori ſocietate poteſt, tum civitas erit præferenda (§. 31.). Si quod reſtat dubium, num vicus in majori ſocietate omnem tranquillitatem ſit adepturus, illi facile occurretur vel hoc reſponſo, de omnibus non eſſe quæſtionem, ſed de probabili & uſitata plurium conſecutione, quam in ſimplici vico haberi poſſunt.

§. 121.

Neque ſuæ ſecuritati. *Omnium minime ſinguli vici adverſus vim hoſtilem ſua majorem ſe tueri valent.* Singuli enim vici plus valere nequeunt, quam vires domorum, quæ ipſi ipſunt, conjunctim ſumtæ

(§. 862.

(§ 862. *Oecon.*), adhibita quoque militiæ peritia, fortitudine, abundantia rerum & consensione (§ 99.). Quibus omnibus si majores sint vel alterius vici, vel plurium vicorum aliorum vires; imparem fore vicum suæ defensioni, manifestum est. Sed si unum vicum cum hujusmodi aliis compares, frequenter admodum idem casus occurret. Patet igitur, singulos vicos omnium minime adversus vim hostilem sese defendere posse.

Hinc *Plato* bellorum origine exposita *Dial. 2. de rep.* docet, ex bellorum ortu civitatibus & privatim & publice mala potissimum emergere, ad quæ depellenda opus sit, toto exercitu colligendo, qui adversus hostes incurrentes fortiter depugnet. Pariter *Xenophon de Proventibus* agens, pacem esse magnopere colendam ostendit, addens tamen: Si quis autem me interroget, an etiam, aliquo injuria civitatem afficiente censeam cum eo pacem esse colendam; equidem id dicere nolim, sed hoc potius affirmo, nos hostes facilius ulcisci posse, siquidem a nobis autor injuriæ nullus existat. Si experientia teste ne civitates quidem semper belli expertes esse possunt, quid vicis singulis a bello metuendum sit, nisi cum aliis vicis consocientur, apertissimum est.

§. 122.

Neque sufficit, dictos fines obtinendi causa, vicos coire in pagos, vel in oppida. Vici enim simplices vel sunt dediti quæstui naturali vel artificiali, & priori casu fiunt pars pagorum, posteriori oppidorum (§ 862. *Oecon.*) mixti sunt rariores, nec novi quidquam habent. Enimvero quamvis vici coëant in pagos & oppida, neutra tamen societas tanta est, ut suæ sufficiat felicitati, rerum copiæ, tranquillitati, securitatique, ob rationes (§. 119-121.). Id quod comprobat usus rerum ubivis obvius, quo nec oppida sine pagis, nec hi sine illis satis florere deprehenduntur. Civitas tantum & ne quidem omnis vel exigua, ad dictos fines obtinendos pro humanæ sortis con- *Neque pagi & oppida huc sufficiunt.*

ditione ſufficere poteſt (§. 31.). Licet igitur vici agricolarum in pagos, & opificum artificumque in oppida vel & mixtim conſocientur, nondum tamen eos ſufficere ad fines memoratos, quantum conjunctis plurium viribus fieri poteſt, conſequendos, in aprico eſt.

Primævo hominum ſtatu, aut hodierno eidem ſimili, tamdiu adquieſcendum fuit eſſetque in vicorum, pagorum, oppidorumque conditione, quamdiu major ſocietas haberi non potuit vel poteſt, neque exterior vis fuit vel eſt extimeſcenda. Aucto fere in immenſum genere humano, alia eſt ſocietatum ratio, alia & multo plura ſunt illarum ope procuranda.

§. 123.

Quid ſit urbs, metropolis, ſuburbium?

Si oppida propinqua coaleſcant in ſocietatem, illa oppidorum ſocietas vocatur *urbs*. Perinde eſt, utrum oppida ſint contigua, an parum diſtantia a ſe invicem, modo in unum coierint corpus morale ſeu unita ſint. Hinc urbs multitudo eſt oppidorum ſibi adjacentium unitorumque, atque oppidum compoſitum dici poſſet. Vrbs primaria vero *metropolis* appellatur, uti appendices urbis *ſuburbia* dicuntur.

Olim urbes & oppida promiſcue dicebantur, quod ex *Cicerone* liquet, in fragmento *de Rep.* aſſerente, conjunctionem tectorum locis manuque ſeptam majores oppidum vel urbem appellaſſe. Frequenter quidem uſu venit, ut oppida ſint mœnibus ſepta ſeu munita. Vrbs muris, Roma autem continentibus ædificiis finitur, *t. 2. ff. de verb. ſignif.* Monuit vero dudum *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 3.* quæ civitas una ſit, non mœnibus definiri: quia liceret Peloponeſum totum uno circumdare muro. Cujusmodi Babylon feratur fuiſſe, quæ capta cum eſſet ab hoſtibus, id tamen aliquam ejus partem tertia die nondum ſenſiſſe. Sparta tamen mœnibus deſtituta fuit, teſte *Livio L. 39. c. 38.*, militibus civibusque armatis munita. Germanis nullæ urbes habitabantur, teſte *Tacito de mor. Germ. c. 16.* Luteriæ Pariſiorum, Londino, aliis nûlla ſunt pomoeria. Contra

tra villa munita oppidum non est, sed castrum vel castellum. Alii non tantum fossa immo vel vallo & propugnaculis munita ponunt oppida, sed & jure consociata. Quod plerumque ita habet, licet quoque dentur urbes, quarum oppida diverso utuntur jure. Cæterum urbes aliæ constant ex oppidis suis quoque nominibus distinctis, uti Londinum, Berolinum, Regiomontum &c. aliæ tantum ex vicis partibus, regionibusque diversorem nominum, oppidorum more, uti Roma sub Augusto XIV regionibus distincta est autore *Suetonio c. 31.*

§. 124.

Quæ societas sui vel alieni juris sit?

Societas sui juris vocatur, quæ alterius societatis potestati subjecta non est; *alieni* vero *juris societas* est, cui alterius societatis imperio est parendum.

Sic (§. 135. *P. I. Jur. nat.*) sui juris vocatur is homo, qui alterius potestati non est subjectus, & liber inde appellatur. Alieni autem juris dicitur, in quem alius jus perfectum habet (§. 141. *ibid.*). Simili modo societates dividi possunt in eas, quæ sui, & quæ alieni sunt juris. Quarum illæ etiam liberæ, hæ vero subjectæ dici possunt.

§. 125.

Definitio Provinciæ.

Societas urbium, oppidorum & pagorum alieni juris, appellatur *provincia.* Hinc forma provinciæ est ipsa provinciæ Essentia, seu id ipsum, quo provincia ab aliis societatibus discernitur.

Nomen ipsum docet, a vincendo dictas esse provincias, quia ante vincebantur, quam alterius societatis potestati subjiciebantur. Neque tamen necesse est, ut victa sit provincia, quia & sua sponte in clientelam alterius concedere potest.

§. 126.

Definitio regionis vel pagi compositi.

Ampliori sensu usurpatur *regio* pro limitato terræ habitatæ complexu, vel tractu pagorum aut & oppidorum quodammodo sociatorum accipitur. Quanquam Cæsar & *pagi* nomen eo extendit, ut societatem pagorum plurium usitatio-

rum complectatur, quem discriminis causa pagum compositum vocare liceret. Cæterum dantur & pagi mixti, oppidis similiores, uti Ctesiphon antiquorum & Haga comitum Belgarum.

Regiones enim quoque partes urbis designare, notavimus ad §. 123. quemadmodum roma antiquitus 4 regiones habuisse legitur, & multæ etiam nunc urbes in quatuor regiones (Quartiere) dispescuntur, quas urbanas dicere possumus, ne cum regione latius dicta confundantur. Vulgo quartæ appellantur, nempe urbis partes. *De Bello Gallico Cæsar L. I. c. 12* scribit, totam Helvetiam in quatuor pagos fuisse divisam. Et *c. 37.* item *L. IV. c. 1.* Suevi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula armatorum millia bellandi causa educunt. Helvetii pagorum (Cantons) nominibus hodieque discernuntur.

§. 127.

Cur urbes regionesque sibi non sufficiant?

Nec urbes, nec regiones singulæ, sibi sufficiunt, ad omnia, quæ haberi possunt, bona communia adipiscenda & per se tuenda. Sunt enim urbes tantum oppida composita seu consociata (§. 123.). Quæ quantumvis amplificatæ sint, rarissime tamen in se tantum habent, unde cives perpetuo alantur, quod de Babylone metropoli relatum legimus. Sed uti Babylon olim interiit, nec interiisset, si sibi ad omnia suffecisset: ita de aliis urbibus vel maximis, quæ ne quidem agros, unde alantur, & aquam quæ adimi ipsis nequeat, complectuntur, multo certius tenendum est, ipsas sibi neutiquam ad omnia sufficere.

Regiones vel pagi ampliores non sunt nisi societates quædam pagorum vulgarium vel & oppidorum (§. 126.). Ideo urbibus comparari possunt, tum eo casu, quando includunt, continent in suo complexu homines, qui ipsis sint loco opificum & artificum rudiorum; tum quando illis carent. Priori casu eo facilius ab aliis superari poterunt, quo remotius a se invicem degunt, qui se mutuo defendere debent, item quo sunt

ſunt militiæ imperitiores, & excubiarum nudiores. Poſteriori caſu deerunt quoque illa, quibus indigent ad ſe ſuſtentandum, defendendumque, v. c. arma. Pateſcit inde minori vi externa ſub jugum mitti poſſe regiones & pagos ampliores, quam urbes, inde & minus illas ſibi ſufficere, quam haſce.

Item urbes regionesque ſingulæ non poſſunt naturaliter tantum valere, quantum plures aliæ ipſis aut majores per ſe, aut per ſocietatem cum pluribus aliis (§. 100.). Inde nec tantam rerum abundantiam, nec tantam tranquillitatem ſecuritatemque obtinere poterunt, quantam illæ Oborta igitur lite quacunque de cauſa, facile major ſocietas ſibi ſubjiciet minorem imbecilloremque, quæ impar erit reſiſtentiæ & defenſioni ſuæ. Vniverſim ipſa natura hujusmodi regionis aut urbis, aut & conjunctim utriusque, recte conſiderata per ſe loquitur, poſſe tali ſocietate aliquid melius haberi, inde eamdem ſibi neutiquam prorſus, hoc eſt tantum ſufficere, quantum fieri in alia ſocietate poteſt.

Quæ de Babylone excipi poſſent, eam non fuiſſe urbem ſolitariam, ſed metropolim regni, neque eo ſecius interiiſſe: ea concederemus, ſalvo argumento. Si interiit, utut metropolis eſſet, multo magis interiiſſet, ſi urbs fuiſſet ab aliis ſegregata. Nam nec civitates omnis interitus expertes eſſe, Hiſtoriarum monumenta docent. Sufficit alias proſtare urbes recte conſociatas, quæ ætatem aſſequutæ ſunt longe majorem.

§. 128.

Singulæ urbes atque regiones aut ſponte ſua aliis ſe aſſociare poſſunt, aut ſerius aliæ, aliæ ocyus in provinciæ formam rediguntur. *Singularum urbium & regionum aſſociatio duplex.* Neque enim ſibi ſufficere poſſunt ſingulæ urbes regionesque (§. 127.). Quare ſi ponamus, eas ſui juris aliquamdiu fuiſſe, aut ipſæ animadvertent periculum, in quo verſantur, aut neutiquam illud animadvertent. Priori caſu ſolicitæ erunt,

de tali cum aliis consociatione, qua periculum a se amoliantur, ideoque se sponte aliis associabunt. Posteriori casu impeditæ vi aut dolis aliorum imperio subjicientur, itaque tunc redigentur in provinciæ formam (§. 125.). Alterutro igitur modo fieri poterit ac solet, ut singulæ urbes regionesque ocyus aliæ, aliæ vero serius in provinciæ formam abeant.

Non diffitemur & integras civitates ac regna interdum bello succubuisse, & in provinciæ formam fuisse redactas. Prouti Romanis Macedonia, Gallia, Asia, Judæa, Ægyptus &c. uti provinciæ consulares, prætoriæ, imperatoriæ suberant. Prima extra Italiam Sicilia se ad amicitiam fidemque populi rom. applicuit & provincia est appellata, teste *Cicerone in Verrem II. c. 1.* De hujusmodi vero commutationibus civitatum, per quas, quæ sui fuerant juris, alieni deinceps fiunt, suo differendum erit loco.

§. 129.

Civitatem requirit libertas vicorum.

Si qua vicorum copia sui cupit esse juris, illi ineunda est civitas. Si qua vicorum multitudo sui vult esse juris, ea non vult esse juris alieni, nec alii societati subjecta (§. 124.). Inde ipsius est, operam dare, ut non tantum primariæ, sed & secundariæ saluti suæ prospiciat (§. 38.). Sed id fieri nequit, nisi in societate vicorum libera, quantam optat salutis causa contracta, h. e. in civitate (§. 31.). Ea propter si qua vicorum copia sui juris esse cupit, illi ineunda est civitas.

Satius visum est vicorum nomen adhibere, quam regionum, urbium, oppidorum & pagorum. Est enim illud genus, omnia reliqua complectens; est usitatum inde ab Alexandri M. ævo, estque aptum etiam ad ejusmodi civitates denotandas, quales olim fuere Germanorum, de quibus *Tacitus de Germ. c. 15. seq.* Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus dona. - - Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem junctas inter se sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos

eos locant non in noſtrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis. Suam quisque domum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi. Qui locus jam tum Germanis vicos fuiſſe diſperſos, nulla vero oppida, & tamen ex vicis diſperſis civitates eorum conſtitiſſe. Pagorum ne nomen quidem affert, licet Helvetiorum, tanquam gallicæ gentis, meminerit *c. 29.* Si vero ſummum autorum *Julium L. VI. de bello Gall.* conſulimus, is *cap. 26.* (Germanorum) civitatibus, inquit, quam latiſſimas circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere - - - in pace nullus communis eſt magiſtratus, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt. - - - Quibus verbis partes civitatum germanarum vocat regiones & pagos, eo, ut patet, ſenſu, quem innuimus §. 126.

§. 130.

Civitatem requirit vicorum perfectio.

Copiæ vicorum ſe invicem quam fieri poteſt plurimum perfecturorum neceſſaria eſt civitas. Vicos ſe invicem adjuvare poſſe in communi bono conſequendo, omni dubio eſt majus. Oſtendi vero & inde poteſt, quia quilibet vicus ut perſona moralis eſt ſpectandus (§. 900. *Oecon.*) ideoque ut una perſona alteram, & domus domum, itaquoque vicus vicum perficere valet. Quo plures igitur vici ſe mutuo adjuvare ſtudent, eo plus conferre poſſunt ad commune bonum augendum & ad ſe invicem perficiendum. Sicubi igitur magna vicorum copia ſe invicem quam plurimum fieri poteſt perficere velint, ineunda ipſis eſt in hunc finem contendens ſocietas. Sed hujusmodi ſocietas non eſt niſi civitas (§. 31.). Quamobrem vicorum tantæ copiæ, quanta ſe invicem plurimum ac fieri poteſt perficere velit, ineundam eſſe civitatem, infitiari nemo poteſt.

§. 131.

Civitas requiritur communis

Si plures vici communi ſaluti, quantum conjunctis viribus valent proſpicere cupiunt, coaleſcere debent in civitatem. Si enim vici ſe invicem quam plurimum fieri queat, perficere volunt, id

fieri

salutis causa. fieri aliter aut melius nequit, quam inita civitate (§. 130.). Sed si plures vici suæ salutis sint amantes, eique quantum conjunctis ipsorum viribus fieri potest, prospectum cupiunt, tum sese mutuo perficere volunt quam plurimum fieri queat (§. 36.). Proinde si plures vici suæ saluti communi tantum adjungere cupiunt, quantum conjunctis eorum viribus fieri potest, id aliter saltem melius fieri nequit, quam si rite coalescant in civitatem.

§. 132.

Civitas requiritur officio vicorum naturali. *Nisi plures vici suis erga se invicem officiis deesse, sibique ipsis nocere velint, redigendi sunt in civitatem.* Quilibet vicus est societas (§. 862. *Oecon.*) unaquæque societas habenda est pro una persona (morali) (§. 161. *P. VII. Jur. nat.*). Inde quilibet vicus spectandus est instar unius personæ. Plures igitur vici spectandi sunt tanquam personæ singulares liberæ, in statu naturali degentes (§. 168. *ibid.*). Sed ipsa natura obligat nos ad perfectionem status nostri conjunctis viribus promovendam (§. 221. *P. I. Phil. pract. univ.*) & ad perficiendum alterum, ut nos ipsos, quatenus alter id non habet in sua potestate, nos autem salvis officiis in nos id ipsi præstare possumus (§. 608. *P. I. Jur. nat.*). Obligat igitur eadem quoque unumquemque vicum ad perficiendum alterum tanquam se ipsum, quatenus alter id sibi ipsi præstare nequit, ipse vero hoc citra neglectum officiorum erga se ipsum id illi præstare valet, & ad perficiendum se quoque conjunctis aliorum viribus. Sed actiones ad quas obligamur sunt officia (§. 224. *P. I. Phil. pract. univ.*); & quisquis officium suum non præstat, nec se debite perficit, is deest suo officio, sibique ipsi nocet. Hinc nisi plures vici suis erga se invicem officiis deesse, sibique ipsis nocere velint, redigendi sunt in civitatem.

Fatentur omnes, id esse moraliter necessarium, ad quod obli-

obligamur. Salva enim manere felicitas nequit, si non fiat id, ad quod illius causa obligamur. Quisquis non agit id, adquod obligatur, is contra officium suum agit, leges divinas transgreditur, & peccat. Jam ostendimus, nisi vici coëant in civitatem, eos peccare in officia erga alios vicos, quorum perfectioni ut suæ non student, neque minus eos peccare in officia erga sese, dum suam perfectionem eo non perducunt, quo in societate cum aliis vicis perduci posset.

§. 133.

Si præstat sui esse juris, quam alieni, quamdiu id fieri potest, segregibus vicis ineunda est civitas. Si vici sui cupiunt esse juris, illis ineunda est societas civilis (§. 129.). Si præstat, sui esse juris, quam alieni, donec id fieri potest, & vici de eo convicti sunt, utique cupiunt esse sui juris (§. 904. & 937. *Psychol. empir.*). Patet igitur, si præstat sui esse juris, quam alieni, utique vicis segregibus præoptandam ineundamque esse civitatem. *Præstantia libertatis commendat civitatem.*

Enimvero societas, quæ sui juris est, gaudet libertate; quæ alieni juris est, illa subjecta est imperio alterius, cui ipsi est parendum (§. 124.). Libertas autem est independentia ejus actionum ab alterius voluntate; & subjectio est dependentia actionum ab alterius voluntate (§. 153. *P. I. Jur. nat.*). Illa est hominis naturalis (§. 154. *seq. ibid.*) estque inter jura hominum connata (§. 28. *ibid.*) & jus perfectum (§. 858. *ibid.*). Quare quia subjectio aliquem infert defectum hujus Juris in civitate evitabilem; status libertatis præstare intelligitur statui subjectionis. Hinc efficitur, statum civitatis potiorem esse statu segregum vicorum.

§. 134.

Civitates prorsus liberæ sunt moraliter necessariæ. Vici enim cujuscunque nominis segreges sibi nondum sufficiunt, neque ad salutis primariæ & affluentiæ (§. 119.); neque ad tranquil- *Civitatum necessitas moralis.*

litatis (§. 120.) neque ad securitatis suæ (§. 121.) omnes partes, quæ humanis viribus haberi possunt, consequendas. Neque ad dictos fines obtinendos sufficit, si coirent tantum in pagos & oppida (§. 122.) in urbes (§. 123.) & regiones seu pagos ampliores (§. 126. *seq.*). Potius si vici cupiunt esse sui juris (§. 129.) & præstantiam libertatis præ subjectione exploratam habent (§. 133.), si se invicem perficere (§. 130.), communique saluti tantum prospicere cupiunt, quantum conjunctis eorum viribus fieri potest (§. 131.); si denique suis officiis erga se & alios vicos deesse seu peccare nolunt in propria & aliorum emolumenta (§. 132.): contrahenda ipsis est societas libera provehendo quoad fieri potest & consultum videtur, communi bono intenta, hoc est civitas, eaque prorsus libera (§. 31.). Dum igitur salus humana per expositas rationes civitates requirit, civitates moraliter sunt necessariæ (§. 116. *seqq.*).

Quod de singulis domibus ostenditur (§. 1-3. *P. VIII. Jur. nat.*) eas nempe sibi non sufficere in iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatem & felicitatem singulorum faciunt, nec quiete frui suo jure & quod ab aliis ipsis tribuendum est satis tuto consequi, seque adversus vim externam aliorum defendere valere, nisi ineant societatem de hisce conjunctis viribus sibi parandis, quæ civitas appellatur (§. 4. *ibid.*): illud hic ad vicos applicandum, pluribusque rationibus communiendum duxi. Cæterum suffecisset quidem asseruisse civitatum moralem necessitatem, inter eos, qui civitatis definitioni rite attendunt, quam exhibuimus (§. 31.). Vt tamen aliis subveniremus non æque attentis, qui forte societatem alieni juris, & civitatem, quæ in formam provinciæ abiit (§. 125.); cum ea confunderent; diximus civitatem liberam, & ne hæc idem indicare videretur ac civitates liberæ, quæ in imperio romgermanico, aliisque regnis habentur, quæ utique regno sunt subjectæ & tantum aliquatenus, scilicet ratione aliorum civitatis

tis membrorum liberæ dicuntur, maluimus illam dicere prorsus liberam, id est tanta & tam perfecta libertate præditam, quanta cadere in societatem humanam potest.

§. 135.

Civitates omnino liberæ aliæ aliis sunt potentiores, debilioresve. Civitates suæ salutis causa sunt necessariæ (§. 134.); & ad salutem ipsarum pertinet immunitas a vi interna & externa (§. 44.) quæ tranquillitatem & securitatem civilem complectitur (§. 45.). Ad utramque requiruntur vires resistendi illis, qui salutem earum diminuere aut evertere nitantur, quæ vires potentiam civitatis constituunt (§. 99. & §. 69. *Jur. Gent.*). Atqui potentia suos habet gradus, a quibus alia major, alia minor est censenda (§. 100.). Quia potentia insignite major efficit civitatem potentiorem; & aliis multo minor debiliorem civitatem: dubio caret, civitates omnino liberas alias esse potentiores, alias vero debiliores.

Civitates vel sunt potentiores vel debiliores.

§. 136.

Civitates debiliores minus sibi sufficiunt, cæteris paribus, quam potentiores Civitates enim debiliores multo minori gaudent potentia, quam validiores, ideoque non tantum virium habent ad resistendum malis injuriisque internis & externis, quantum hæ (§. 135.). Ideo nec tranquillitati nec securitati suæ tuendæ æque pares sunt illæ atque hæ, licet cætera utrobique sint paria. Quamobrem quia tranquillitas securitasque æque ac rerum affluentia virtutibus paranda & administranda fini civitatis insunt (§. 38.) civitates debiliores non tam facile & certo fine suo potiuntur, ac potentiores. Sed civitates fini suo consequendo impares sibi vel suæ saluti non sufficere dicuntur (§. 32.). Palam igitur est civitates debiliores minus sibi sufficere, quam potentiores.

Debiliores sibi minus sufficiunt quam potentiores.

§. 137.

Et majoribus obnoxiæ sunt incommodis ac periculis.

Debiliores civitates majoribus exposita sunt incommodis & periculis ab hostibus, quam potentiores. Etenim debiliores civitates minus sufficiunt, ac potentiores (§. 136.). Dum minus sibi sufficiunt, non tantum conferre possunt ad salutem suam adipiscendam, quantum potentiores. Idcirco nec tantum bonorum internorum & externorum sibi adquirere, nec tantum malorum arcere a se possunt, quantum potentiores. Sed illa mala sunt incommoda civitatis interna & externa (§ 90.) & pericula pariter defectus salutis & mala imminentia inferunt (§. 89.). Apertum inde est, debiliores civitates magis expositas esse incommodis & periculis, quam potentiores.

Confirmant hæc omnia, bene multa exempla potentiorum debiliorumque civitatum omnis ævi; neque opus est, ut vel antiquiora, vel recentiora fusius commemoremus, cum vix quispiam hæc legat, cui non sua sponte succurrant, quæ dictis lucem affundere possint. Quisquis civis est potentioris civitatis, is multis gaudebit bonis, quibus carent debiliores civitates. Debilioris autem civitatis membrum expertus erit defectus, quibus aliæ potentiores civitates non laborant, cæterorum posita paritate.

§. 138.

Quomodo debilitati medendum.

Vt debiliores civitates magis sibi sufficere possint, adjungere sibi debent, unde habeant, quæ ipsis desunt. Civitates enim debiliores sibi minus sufficiunt, quam potentiores (§. 136.), majoribusque, quam hæ incommodis & periculis sunt obnoxiæ (§. 137.). Vtrumque illis accidit ob justo minorem potentiam (§. 135.). Si ergo magis sibi sufficere velint, oportet, ut majorem adquirant potentiam, per quam accedere illis possit, quod antea deerat. Proinde, ut debiliores civitates magis sibi sufficere possint, curandum ipsis est, ut majorem sibi adjungant potentiam, unde nanciscantur, quæ ipsis desunt.

§. 139.

Quoniam debilioribus civitatibus curandum est, ut sibi adjungant, unde habeant, quæ sibi desunt (§. 138.). Alii vero vici aut ex vicis compositæ societates (§. 123. & 126.) aliæque civitates augere ipsarum potentiam & subministrare illa possunt, quæ ipsis desunt, quod inter omnes constat. Ea propter *civitatibus debilioribus opera est navanda, ut alios sibi vicos, aliasque civitates adjungant, si mederi suæ debilitati velint.* *Alias civitates sibi adjungendo.*

§. 140.

Quo plures consociantur civitates, cæteris recte se habentibus, eo major fit civitatis compositæ potentia ejusdemque recto usu & salus publica. Gaudet enim unaquæque civitas sua potentia (§. 99.). Inde si plures coalescunt civitates in unam, uniuscujusque potentia associatur potentiæ alterius vel reliquarum, itaque potentia unita evadit fortior majorque. Quo plures itaque civitates consociantur, eo major evadit potentia compositæ civitatis. Hinc cæteris recte se habentibus, potentia unita recto usu ad salutem publicam augendam valebit. Ideoque & salus publica compositæ civitatis eo evadet auctior, tutior majorque (§. 100.). *Quantum sic augeatur potentia.*

§. 141.

Quo magis civitates saluti suæ prospicere, quantum valent cupiunt, eo magis invicem consociandæ sunt. Quo plures enim civitates consociantur, eo fit ipsarum potentia major, ejusdemque recto usu & salus publica (§. 140.). Quare quia finis, ad quem respicere debent civitates, est salus publica (§. 36.): etiam in ulteriori civitatum consociatione ejusdem finis ampliandi ratio habenda, ut salus publica evadat eo plenior tutiorque. Quo magis igitur civitates saluti suæ consulere cupiunt, quantum valent, eo erunt studiosiores consociationis cum aliis, eoque *Consociationis civitatum finis.*

magis & arctius invicem consociandæ erunt, prout omnibus rite excussis consultum deprehendetur.

Major consociatio vel respicit numerum civitatum sociandarum, de qua egit §. 140.; vel modum & gradum consociationis, de quo hic sermo est. Datur enim & latior, & strictior intimiorque consociatio. In latiori generalia tantum atque indefinita continentur. Strictior autem lucidius determinat & officia, & modum ea invicem præstandi. Quarum posterior hic commendatur.

§. 142.

Divisio consociationis civitatum.

Consociatio civitatum vel tendit ad omnia, vel ad nonnulla tantum civilia bona invicem communicanda; seu vel relinquit civitates separatas, vel unit easdem. Vti in singulorum hominum arbitrio est, quo usque societatem inire velint: ita quoque in civitatum arbitrio est, consociationem suam determinare, prout illis visum fuerit. Hinc vel ad omnia bona communia, vel ad nonnulla tantum conjunctis viribus consequenda & defendenda consociari possunt. Priori casu consociatio erit tota vel integra, posteriori aliquanta. Hæc igitur relinquit civitates segregatas suique juris, illa eas congregat unitque ad bonorum pariter ac malorum civilium communitatem.

Similia perspiciuntur in pactis singulorum hominum, quorum alia relinquunt homines liberos, alia eos subjiciunt aliorum imperio. In societate vel æquali singuli socii se subjiciunt universis eorumque legibus & pœnis (§. 55. P. VII. Jur. nat.).

§. 143.

Quid sit corpus civitatum?

Consociatio civitatum integra efficit civitatem compositam, seu corpus civitatum. Tendit enim ad omnia bona civilia conjunctis viribus consequenda, tuenda & invicem communicanda, ut communia ipsis sint & bona omnia & mala communicabilia (§. 142.). Quare quia non possunt amplius esse civitates separatæ, coalescunt in civitatem eandem, constituuntque civitatem

tatem compositam vel corpus civitatum conjunctarum. Vel, integra civitatum consociatio non relinquit illas separatas civitates (§. 142.). Conjungit ergo illas sic, ut quæ plures antea erant, jam non sint nisi una eademque civitas. Quæ quia ex pluribus civitatibus minoribus constat, & major quam antea facta est, civitas composita vel corpus civitatum jure meritoque dicetur.

Quando civitates appellantur, illæ etiam regna includunt (§. 139. *P. VIII. Jur. nat.*). Cui ignotum est, quot civitates complexum sit imperium romanum, & quot etiam nunc includat imperium romano germanicum, regnum Hispaniæ, magnæ Britanniæ, Poloniæ, aliaque regna? Quæ, ut nunc sunt, magna exhibent civitatum corpora, seu compositas vel magnas admodum civitates (§. 45. *not. P. VIII. Jur. nat.*).

§. 144.

Quæ civitates sint fœderatæ?

Consociatio civitatum ad nonnulla tantum communia bona sibi conjunctis viribus procuranda, civitates relinquens separatas suique juris, non facit nisi civitates fœderatas. Est nimirum hæc consociatio tantum aliquanta, relinquitque civitates separatas & sui juris (§. 142.). Quia igitur non coëunt in unam civitatem, manent liberæ disjunctæque, pacto tamen sibi invicem obligantur, ad quædam communia bona sibi conjunctis viribus procuranda. Pactum vero civitatum communis boni cujusdam causa initum, appellatur fœdus (§. 369. *Jur. Gent.*), & conjunctæ fœdere civitates dicuntur fœderatæ. Constat igitur consociationem civitatum aliquantam efficere civitates fœderatas.

Plerumque nominari etiam solent civitates fœderatæ, inter quas duntaxat fœdus intercedit (§. 379. *Jur. Gent.*); sicubi tamen usus a genuina notione recedit, non ex nomine sed re ipsa judicandum est. Ita fœderatum dici solet belgium, quasi tantum mutuæ defensionis fœdere conjungerentur, cum revera compositam constituat civitatem seu unum corpus civile.

§. 145.

Quando civitates plures in unam sint sociandæ?

Conjunctio civitatum minorum in majorem est necessaria, quando illius ope plus conferri potest ad salutem publicam, quam fœdere nudo. Etenim quidquid salus humana requirit, illud in societate hominum est necessarium (§. 116.). Sed quando plena civitatum consociatione, qua e pluribus major coalescit civitas, plus boni communis obtineri, & salus civitatis major haberi potest, quam nudo fœdere, tum requirit humana salus ejusmodi unionem (§. 117.). Prouti igitur generatim obligamur ad melius præferendum (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*): ita & in nostro casu ea consociatio plena & intimior præferenda erit, qua plures civitates coëant in unam majorem.

§. 146.

Quando fœderandæ tantum sint civitates.

Quatenus vero nudo fœdere saluti publicæ melius prospiciatur ac intimiori conjunctione, eatenus civitates separatas & sui juris manere præstat. Id quod simili modo comprobari potest, ac (§. 145.).

Neque privati homines aliter judicant de pactis inter se ineundis. Si pacisci cum aliis suæ felicitatis causa sic possint, ut salva ipsis maneat libertas naturalis, tum recte aversantur pactum subjectionis. Ast si priori modo felicitati suæ satis consulere nequeunt, melius vero eidem in herili aliave prospicere possunt, hujusmodi præferunt societatem, in qua ex parte aliorum voluntati parendum (§. 579. *seqq. Oecon.*). Civitates vero spectandæ sunt tanquam singuli homines (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 147.

Quæ fœdera sint laxiora & arctiora.

Fœdera civitatum aut plura aut pauciora tantum bona communia tuenda sibi proposita habent, quorum illa *arctiora*, hæc *laxiora* dici possunt. Vnde arctiora fœdera civitates ad plura officia obligare intelliguntur, quam laxiora.

Inhæremus usui loquendi, quo civitates, quæ antea pauciora tantum sibi invicem spoponderunt, postquam deinde plura invicem

vicem sibi promisere & recepere, arctius intimiusque colligatæ & conjunctæ dicuntur. Solent arctiora fœdera quoque strictiorem inferre consociationem, qua modum officia invicem præstandi (*not.* §. 141.). Licet & laxius fœdus v. c. tantum circa commercia, strictiorem involvere possit consociationem. Cæterum & arctiora fœdera non faciunt, ut civitas tantum una e pluribus fiat, sed tantum, ut civitates sint arctius fœderatæ.

§. 148.

Fœdera arctiora quando præferenda sint laxioribus & v. v.

Prout salus publica flagitat, civitati modo arctiora, modo laxiora cum aliis fœdera sunt pangenda. Etenim salus publica est suprema lex in civitate, ad quam omnia sunt dirigenda & instituenda (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Quam ob rem etiam fœdera civitatum non sunt aliter pangenda quam ipsarum salus publica ea exigit. Proinde si salus publica arctiora flagitet fœdera, hæc erunt ipsis ineunda; si vero tantum laxiora postulet, in illis sanciendis erit adquiescendum. Hinc & pro temporum, hoc est aliarum civitatum, diversitate, inter easdem civitates modo laxiora sufficient fœdera, modo arctiora salutis publicæ causa requirentur.

§. 149.

Quæ sint civitates quadamtenus liberæ?

Civitates quadamtenus liberæ dicuntur, quæ ex parte sunt sui, ex alia vero parte alieni juris. Vti enim prorsus liberæ sunt civitates, quæ nulla ex parte alii civitati subjectæ sunt (§. 134.), ideoque plenissime, vel quantum fieri potest, sui sunt juris: ita quadamtenus liberæ erunt, quæ non ex omni parte sui sunt juris, ideoque una saltem ex parte alieni sunt juris. Quatenus sunt alieni juris, eatenus patiuntur diminutionem sui imperii. Hujusmodi fœdera esse inæqualia, liquet ex (§. 399. *seq. Jur. Gent.*).

§. 150.

Quando civitates debi-

Si civitates debiliores circumdatæ sunt civitatibus probis, illæ fœderibus, quantum opus est, saluti sui prospicere obligantur. Etenim si ci-

liores fœderibus securæ fiant. si civitates debiliores circumdentur civitatibus probis, ab illis injuriam cur metuant, non habent, per conditionem probitatis (§. 6. *Jur. Gent. in not.*). Inde securitati ipsarum per hoc ipsum consultum est (§. 45.). Superest igitur, ut suæ rerum affluentiæ, quantum opus est, fœderibus consulant (§. 138.). Quatenus tamen fieri potest, ut mutetur unius vel alterius civitatis probitas, & ut cæteræ aliis distineantur negotiis, per quæ resistere bellum inferenti nequeant: eatenus & in hujusmodi eventum fœdere stipulari sibi debent, quæ tum ipsis saluti sunt futura. Concludendum ex dictis apparet, civitatibus debilioribus inter probas civitates positis, curandum esse, ut fœderibus quantum opus est, saluti suæ consultum eant.

Hominum singulorum in statu naturali eadem est ratio, ut, si nihil metuendum habeant, amicitia aliorum utantur mutuo ad suam felicitatem.

§. 151.

Quomodo periculum oppressionis avertendum. *Si civitates debiliores non vanum oppressionis periculum prævideant, rectius sibi consulere non poterunt, quam adjungendo se sic potentiori, ut libertatis suæ, & jurium quantum fieri potest, compotes maneant & securæ.* Ut civitates debiliores magis sibi sufficere possint, adjungere sibi debent, unde habeant, quæ ipsis desunt (§. 138.). Enimvero eædem majoribus expositæ sunt periculis ab hostibus, quam potentiores (§. 137.). Quum pericula sint mala impendentia (§. 89.) eaque quatenus fieri potest evitanda (§. 33. *Jur. Gent.*), etiamsi in eo, quod impendeant, error committatur (§. 669. *P. II. Phil. pract. univ.*): nihil est evidentius, quam civitates debiliores, non vanum oppressionis suæ periculum prævidentes, rectius sibi consulere non posse, quam sibi comparando protectionem potentiorem, ita tamen, ut suæ libertatis, juriumque suorum, quantum fieri potest, compotes maneant & securæ (§. 34.).

Quia

Quia quælibet civitas consideranda est, ut persona moralis, & civitates singulæ, ut singuli homines in statu naturali (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*): non aliud hic inculcatur officium, quam quod singulis incumbit hominibus, sibi non defuturis. Ibi vero quilibet alium quemcunque ope ipsius indigentem juvare debet, ut ea consequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum est in sua potestate (§. 612. *P. I. Jur. nat.*). Quilibet porro, quantum in se est, cavere debet, ne alius quisquam incidat in mala animi, corporis & fortunæ (§. 613. *ibid.*). Cui ergo mirum videri possit, civitates quoque debiliores alius aut aliarum civitatum potentiorum protectione uti, quando non vanum oppressionis suæ periculum experiuntur. Quoniam conservationi suæ operam dare debent, quanta licet (§. 31. *Jur. Gent.*), & jure gaudent ad licita quævis adhibenda, sine quibus se conservare nequeunt, (§. 32. *ibid.*): patet luculenter, debiliores civitates adjungendo se potentiori, vel aliis se consociando, id agere simul debere, ut libertatis suæ juriumque suorum, quatenus fieri potest, compotes maneant & securæ, si præstat, ut quadamtenus liberæ sint, quam penitus alienæ voluntati subjectæ (§. 149. & 133.). Quomodo vero se adjungere aliis præstet, subjectione quadam, nec ne, e re præsenti statuendum.

§. 152.

Quæ civitas sit sapiens.

Civitas vocatur sapiens, quæ saluti publicæ tam recte & plene consulit, quam fieri conjunctis viribus potest, & quam felices aliæ simi- les civitates. Sapiens enim vocatur quisquis sapientia est præditus recteque utitur. Est vero sapientia habitus actionibus liberis fines naturæ ipsarum convenientes præstituendi, eligendi causas medias finibus consequendis idoneas, finesque in eum redigendi ordinem, ut sequentes adjuventur per præcedentes (§. 678. *Psychol. ration.*). Civitatis finem esse novimus salutem publicam (§. 36). Quæ quia tantam boni communis consecutionem, fruitionemque ejus quietam infert, quanta conjunctis viribus haberi potest (§. 35.): patescit, civitatem

eſſe ſapientem vocandam, quæ ſuæ ſaluti publicæ tam recte ac plene conſulit, ac conjunctis omnium viribus fieri poteſt, quod vel inde liquere poteſt, ſi aliæ ſimiles civitates ita fuerint vel ſint etiam nunc felices.

Inde relinquitur, quæ civitates ſapientes dici nequeant, ſed inſipientes ſint appellandæ?

§. 153.

Quæ ſapientior?

Quo rectius pleniusque civitas ſaluti ſuæ proſpicit, quoque tutius ea gaudet, eo eſt ſapientior dicenda. Civitas enim vocatur ſapiens, quæ ſaluti publicæ tam recte pleneque conſulit, ac fieri conjunctis poteſt viribus, vel ac aliæ ſimiles civitates felices (§. 152.). Quare quo rectius, quoque plenius civitas ſaluti ſuæ conſulit, quoque tutius eadem fruitur, eo illam eſſe ſapientiorem appellandam. Vera igitur inſtituta comparatione, quæ accurata nititur civitatum comparandarum perſpicientia, & ipſa civitas judicare poteſt, ſitne alia ſimili vel ſapientior dicenda, vel inſipientior, & alius probe gnarus civitatum comparandarum.

§. 154.

Quanto felicior tanto ſapientior.

Quo felicior eſt civitas, quoque diutius ſuam conſervat felicitatem, eo illa ſapientior eſt ſtatuenda. Quanto rectius pleniusque civitas ſaluti ſuæ conſulit, quoque tutius eadem fruitur, tanto illa eſt ſapientior cenſenda (§. 153). Sed quanto civitas eſt felicior, quantoque diutius ſuam conſervat felicitatem, tanto rectius pleniusque ſaluti ſuæ conſulit, tantoque diutius eadem fruitur (§. 39.). Hinc perſpicitur, tanto ſapientiorem eſſe civitatem, quanto illa eſt felicior, quoque diutius ſuam conſervat felicitatem. Item ſapientia eſt ſcientia felicitatis, *Leibnitio* autore. Quo major ideo ſapientia, eo major & ſcientia & ardor adipiſcendæ conſervandæque felicitatis.

Si cui

Si cui in mentem veniat, salutem publicam plus inferre, quam felicitatem, qua etiam solus quisquam gaudere posset, non vero salute publica, cujus causa opus sit civitate: admonendum erit, omnino plus inferre salutem publicam, quam unius hominis felicitatem. Sed hoc plus situm est, partim in omnium & singulorum felicitate, partim in majore illius gradu, quam qui viribus non dicam solitarii hominis, aut simplicis societatis, sed vel domus aut vici, oppidi, urbis, aut regionis cujusdam haberi potest (§. 36. 126. 127.). Præterea salus quoque secundaria, in rerum utilium affluentia, quibus vitæ necessitati, commoditati, jucunditatique consulitur, in immunitate ab internis externisque læsionibus, quanta haberi potest, conspicua (§. 42. *seqq.*), felicitati primariæ non tantum non repugnat, sed & recto usu amice cum illa conspirat (§. 48.).

§. 155.

Quo sapientior est civitas debilior, eo magis consociatione cum aliis saluti suæ consultum ibit. Quo sapientior enim est civitas debilior, eo amantior est illa suæ salutis (§. 153.), eoque melius diutiusque suæ felicitati cavebit (§. 154.). Sed quo magis civitates hæ saluti suæ, quantum valent, prospicere cupiunt, eo magis invicem sunt consociandæ (§. 141.). Quapropter quanto civitas debilior est sapientior, tanto magis illa consociatione cum aliis saluti suæ consultum ibit. Itaque & prudenter quæret ejusmodi consociationem, & repertam sanctius conservabit. *Quo sapientior, eo studiosior consociationis.*

Possunt huc quoque cætera de gradibus sapientiæ exposita (§. 679-688. *Psychol. empir.*) accommodari, qua opera brevitatis studio nunc supersedemus.

§. 156.

Quo magis civitas satisfacit officiis erga Deum, se & alios homines atque populos, eo rectius illa consulit saluti publicæ, & vice versa. Primaria civitatis salus non nisi virtutibus quibuscunque obtineri potest (§. 40.), legumque divinarum custodia indiget per- *Officiorum quorumvis præstandorum?*

petua (§. 41.). Secundaria autem ſalus publica continetur in bonorum inferiorum copia parabili tuto perfruenda (§. 37.), itaque tum bona corporis, tum bonorum externorum tutam fruitionem, & a contrariis malis immunitatem involvit (§. 42. *ſeqq.*). Quorum rectus uſus quia ab officiis pendet (§. 646. *P. I. Theol. nat.* & §. 416. *P. I. Phil. pract. univ.*): innoteſcit veritas effati, quo magis civitas ſatisfacit officiis erga Deum, ſe & alios homines atque populos, eo rectius illam conſulere ſaluti ſuæ.

Contra ea, quo rectius civitas publicæ conſulit ſuæ ſaluti, eo illa eſt ſapientior (§. 153.). Quo eſt ſapientior, eo quoque eſt felicior (§. 154.). Felix eſſe ſine obſervantia legum naturalium nequit (§. 41.). Cuſtodia vero legum naturalium ſatisfacit officiis erga Deum, ſe ipſum, aliosque homines & populos (§. 376. *ſeqq.* & 396. *ſeqq. P. I. Phil. pract. univ.*) & (§. 4. *ſeq. P. II. ibid.*). Hinc quo civitas rectius ſaluti publicæ conſulit, eo magis ſatisfacit officiis erga Deum ſe aliosque quoscunque.

§. 157.

Augendorum bonorum verorum.

Quo plura majoraque vera bona civitas eſt adepta, eo melius ſaluti ſuæ proſpexit. Salus enim primaria continet bonum hominis ſummum, ſecundaria vero complectitur quævis bona inferiora tuto perfruenda (§. 37.), quæ ſuis differunt gradibus (§. 57. *ſeqq.*). Quo plura igitur quoque majora bona civitas tuto poſſidet, eo melius ipſius ſaluti proſpectum eſſe, pervidet quisquis attendit. Quo ipſo & ſtudium bonorum veri nominis civitati commendatum eſſe debere patet.

§. 158.

Quando civitas ſecura dici poſſit.

A metu hoſtili libera ſatis & ſecura erit civitas, quæ omnibus vel ſociatis hoſtibus ſuis aut invidis par eſt. Metus enim hoſtilis non imminet, niſi ab hoſtibus civitatis, aut conjunctis pluri-

um civitatum viribus, quod per se notum est. Si igitur civitas omnibus vel sociatis hostibus suis invidisque par est, non habet, cur sibi ab iisdem metuat suæque saluti (§. 9. *P. VIII. Jur. nat.*). Quando igitur civitas omnibus vel sociatis hostium viribus par est, resistere illis poterit, ne noceant suæ saluti, ideoque a metu hostili libera satis erit & secura (§. 12. *ibid.*).

Privati etiam homines tunc se ab aliorum hostili impetu liberos dicunt & securos, quum pares se sentiunt viribus eorum repellendis. Vt enim pravitas humana nihil tentet in alios vel innocentes, per hanc hominum, qua nunc laborant, conditionem fieri nequit. Hinc immunitatem a metu læsionum (§. 44.) diximus, quanta conjunctis civitatis viribus haberi potest.

§. 159.

Quo melius consociata est civitas debilis cum aliis potentioribus, eo illa cæteris paribus erit securior. Sunt nempe civitates debiliores obnoxiæ periculis, eorumque metui (§. 137.); ideoque ut magis sufficere sibi possint, adjungendæ sunt aliis, unde habeant, quæ ipsis desunt (§. 138.). Hujusmodi in casu metus periculorum sunt civitates potentiores, quod probatione nulla eget. Ea propter quo melius consociata est civitas debilis aliis potentioribus, per quas abunde par sit omnibus vel sociatis viribus hostium invidorumque, eo cæteris paribus securior illa erit (§. 158). *Quando debilis civitas?*

Melior consociatio, de qua hic sermo, partim plures infert, partim tam potentes civitates, quæ abunde pares sunt depellendo periculo ab hostibus imminenti; partim denique fidem intemeratam in servandis debiliori civitati promissis. Quia hic non sermo est, nisi de eo, ad quod obligantur civitates debiliores, generatim indicando, de modis id conficiendi nondum est, cur simus soliciti.

§. 160.

Civitates dicuntur *malevolæ*, quæ aliarum juribus & saluti *Quæ civita-*

detra-

tes sint malevolæ? detrahere student, vel si eas plane sibi subjicere nequeant, tamen earum damno se locupletare & corroborare audent. Latius & *dissentientes* vocantur, quatenus sibi invicem sunt contrariæ sive per odium & invidiam in alia omnia ferantur, sive ob alias quoque causas jure sibi invicem diffidere & adversari videantur (§. 634. *Jur. Gent.*).

Quemadmodum bene velle sibi dicuntur homines, quorum alter alterius felicitati conservandæ augendæque intentus est: ita malevoli contra sunt, qui sibi non bene cupiunt, quacumque de causa id fiat, ideoque sibi invicem reluctantur. Sed usu recepto malevolentia malignitatem invidiæ innuere solet. Vnde præstabit dissentientium nomine uti, quando in medio relinquitur, ob quam causam & num bona an mala fide sibi invicem sint adversæ.

§. 161.

Securitas civitatum dissentientium. *Quando civitatum dissentientium potentia & virtus sibi invicem par est, tum a se invicem, quod metuant magnopere, non habebunt.* Nimirum a metu hostili satis tuta est civitas, quæ omnibus vel sociatis hostibus suis par est (§. 158.). Sed dissentientes dicuntur civitates, quæ sibi invicem sunt contrariæ, quacumque de causa, justa an injusta id fiat (§. 160.). Proinde dissentientes civitates, quarum par est potentia & virtus, a se invicem quod metuant magnopere, non habebunt.

Virtutem non accipimus in tam angustis cancellis, quibus fortitudinem notare consuevit, licet hanc minime excludamus. Potius eandem in toto ambitu suo adhibemus, quo omnes complectitur habitus, actiones suas legibus divinis conformandi. Ab hac enim pendet divini numinis propitia voluntas, quatenus illa viribus humanis sibi relictis, seu naturalibus obtineri potest. Similiter patet, quando civitates non habent, quod a se invicem sibi magnopere metuant, tum pari illas esse potentia & virtute.

§. 162.

§. 162.

Ubi contraria sunt civitatum studia, ibi opera danda est æquilibrio potentiæ & virtutis, consociatione idonea firmando. Vbi enim occurrunt contraria civitatum studia, ibi sunt civitates dissentientes (§. 160.). Jam quando civitatum dissentientium potentia & virtus sibi invicem est æqualis, tum a se invicem quod magnopere metuant, non habebunt (§. 161.). Exserentibus igitur sese contrariis civitatum studiis, omnis securitatis causa (§. 158) movendus erit lapis, ut æquilibrium potentiæ & virtutis consociatione idonea firmetur (§. 159.). *Ubi æquilibrium civitatum necessarium?*

§. 163.

Quo magis student civitates dissentientes æqualitati potentiæ & virtutum, eo tutiores erunt a se invicem. Vidimus enim, contraria civitatum studia requirere, ut æquilibrium potentiæ & virtutis inter eas firmetur (§. 162.). Ipsa autem earum securitas hoc requirebat (§. 158). Hinc si civitates dissentientes æqualitati potentiæ & virtutis operam dantes non habent, quod magnopere a se invicem sibi metuant (§. 161.): quo magis eædem student æqualitati modo dictæ, eo necesse est, ut sint tutiores a sese invicem. *Fructus illius æquilibrii.*

§. 164.

Etiam ubi facile nasci possunt contraria civitatum studia, æquilibrium politicum mature est quærendum stabiliendumque. Si enim facile nasci possunt contraria civitatum studia, melius est prævenire, quam præveniri. Nil sane nocet, si per errorem statuatur, malum esse eventurum, quod eventurum non est; noceret autem, si opinio, id non esse venturum falleret (§. 669. *P. II. Phil. pract. univ.*). Præterea consociatio inita prudenter, reddit civitatem potentiorem tutioremque (§. 159.). Sed ope consociationis idoneæ æquilibrium politicum est firmandum (§. 162.). Restat igitur, mature æquilibrium civi- *Mature circumspiciendum æquilibrium.*

tatum esse quærendum stabiliendumque, etiam ubi nondum aperta sunt, sed nasci facile possunt civitatum studia adversa.

Non videtur esse necessarium, ut pluribus hic evincatur necessitas æquilibrii politici, quod ab aliis factum esse constat. Multo minus de aliis rebus, ad æquilibrium illud referendis, hic disputandum fuit.

§. 165.

Suis officiis non sunt pares nisi civitates omnes. *Si omnibus erga Deum, se ipsam, aliasque civitates officiis par esse velit civitas, conjunctis id fieri debet viribus omnium civitatum humanarum.* Vnaquæque enim civitas non continet nisi suos cives, vel degentes in ipsa homines (§. 31.). Præter quos in alia qualibet civitate alii plurimi continentur: quia & harum quælibet est civitas. Vnusquisque vero homo sua debet Deo, sibi, aliisque officia quævis, quæ nemo præter ipsummet loco ipsius Deo præstare potest (§. 166. *P. I. Jur. nat.*) & (§. 226. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare quia quælibet civitas spectari potest, ut homo moralis (§ 54 *P. VIII. Jur. nat.*), quælibet quoque civitas sua debet Deo, sibi aliisque civitatibus officia, non nisi a sese exacte præstanda. Manifestum igitur est, nec unam, nec alteram, nec multas civitates junctim sumtas sufficere omnibus officiis, Deo sibi aliisque præstandis.

Præterea versantur quoque officia nostra circa res etiam minimas, in mundo existentes (§. 346. *P. IV. Ethic.*). Quæ omnes in hominum usus quotquot habere possunt reique celebrationem sunt adhibendæ (§. 346. *seqq. ibid.*). Id vero fieri nequit nisi habeantur, noscantur & a peritis recte tractentur (§. 456. *P. III. Ethic.*). Sed nec ubique illæ res habentur, dum aliæ in aliis tantum regionibus & civitatibus proveniunt aut reperiuntur; nec ubi habentur, ibi vel noscuntur illico & æstimantur, uti par est; nec si noscuntur utcunque, recte tractari in fines dictos omnesque usus transferri possunt, nisi peritio-

ritiores sagacesque scrutatores illis potiantur, qui ubique non prostant, experientia teste. E quibus in summam collectis denuo patescit, nec unam alteramve civitatem, nec multas sufficere omnibus erga Deum, se aliosque homines officiis. Quare conjunctis omnium civitatum humanarum viribus incumbendum est in eam curam, ut quantum fieri potest, pares fiant singulis officiis erga Deum se aliosque homines, aliasque civitates. Si ergo omnibus erga Deum, se aliasque civitates par esse velit civitas, conjunctis utendum est viribus omnium civitatum humanarum, vel conjungendæ sunt illarum omnium vires.

§. 166.

Salus generis humani, quanta haberi potest, postulat, ut omnium civitatum societas colatur. Si generis humani salus tanta esse debet, quanta haberi potest, satisfaciendum est omnibus erga Deum se aliosque officiis (§. 106.). Sed si omnibus erga Deum se aliosque officiis satisfaciendum est, conjungendæ sunt vires omnium civitatum (§. 165.). Ut conjunctis viribus illud a civitatibus fiat, societas earum colenda est & perficienda (§. 1. P. VII. Jur. nat.) & (§. 262. Oecon.). Si igitur tanta, quanta haberi potest, generis humani salus expetatur, necessum est, ut omnium civitatum societas colatur. *Nec saluti generis humani.*

§. 167.

Sic patet necessitas moralis civitatum minorum, majorumque in suo genere optimarum & maximæ omnium. Sunt enim civitates prorsus liberæ moraliter necessariæ (§. 134.). Sed earum aliæ sunt minores debilioresque, aliæ potentiores ac majores (§. 135. seqq.); alia maxima omnium (§. 101. seqq.) item aliæ sunt deteriores, aliæ meliores vel in suo genere optimæ dicendæ (§. 87. seq.). Quamobrem, quia e pluribus, quæ haberi possunt, obligamur ad præferendum id, quod cæteris est melius *Quarum civitatum moralis detur necessitas?*

(§. 192. *P. I. Philoſ. pract. univ.*); obligamur ad eligendas colendasque civitates minores, majoresque in ſuo genere optimas (§. 831. 86. *ſeqq.*). Quia porro ſalus generis humani quærenda eſt quanta haberi poteſt, eaque flagitat, ut omnium civitatum ſocietas, quæ maxima eſt (§. 101. *ſeq.*), colatur (§. 166.): liquet etiam obligatio ad colendam omnium civitatum ſocietatem. Obligatio naturalis ipſa eſt moralis neceſſitas, de qua hic agitur (§. 118. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Confecta igitur & evicta eſt neceſſitas moralis civitatum tum minorum majorumque in ſuo genere optimarum, ipſiusque maximæ civitatis.

POLITICAE P. I.

CAPVT III.

DE CIVITATVM ORIGINE.

§. 168.

Quid ſit civitatum origo?

Origo civitatum eſt determinatio exiſtentiæ earum, ſive ratio, qua eſſe incipiunt. Oriri enim dicitur quidquid exiſtere incipit, ubi antea non exiſtebat (§. 541. *Ontol.*). Prout ſol dicitur oriri, quando ſupra horizontem mane incipit exſiſtere, ubi ante non erat nec viſebatur. Si quid exiſtere incipit, illud initium habet. Vnde origo quoque initium exiſtentiæ dici poſſet. Patet igitur ejus, quod oriri debet, exiſtentiam eſſe determinandam, vel eam rationem eſſe ponendam, qua eſſe incipiat. Civitatum origo ſi inveſtiganda ſit, quærenda erit in iis, unde civitates ſuam habent exiſtentiam, vel in quibus ratio continetur, cur ſint, & tales potius ſint, quam aliæ.

Impro-

Improprie *Micrælius* vocat originem viam a primo principio ad id, quod inde deducitur; ſive illud principium ſit cauſale, ſive careat influxu cauſali. Reſpexit in hiſce ad modum, quo aliquid ex principio derivatur, quem per viam innuere videtur. Fatendum eſt, referri originem quoque ad cauſam, ſæpius tamen ad ipſum initium rei & rationes initii. Ita *Cicero*: doloris hujus origo (hoccine eſt ratio et initium ?) nobis explicanda eſt, vel ut ipſe ſubjicit, id eſt cauſa efficiens ægritudinem. *Tuſculan. Qu. III. c. 11.* Cæterum origo verbotenus notare videtur id, unde aliquid oritur producιturque, vel quod facit, ut res oriatur, quod ortum rei facit; uti vertigo, quod facit ut vertatur, rubigo, quod facit ut rubeat, ſcaturigo, quod facit, ut ſcaturiat, &c. Ortum vero initium atque exordium eſſe, vel hæc *Ciceronis* loca docent, quod ſemper eſt, nullum habet ortum; quæ ortum habent, gignique diximus. *de Vniverſ. c. 2.* ortus naſcentium &c.

§. 169.

Duplex autem civitatum origo ſtatui poteſt, prima altera ſeu *primaria*, altera *ſecundaria.* Prior voluntate divina perſpicienda vi naturali, nititur; poſterior voluntate humana, ſeu facto humano. *Origo vel primaria eſt vel ſecundaria.*

Simili fere ratione in *Matthiæ ſyſt. polit. L. 2. Sect. 3.* Reip. cauſa efficiens ponitur duplex, primaria & ſecundaria. Primaria, a qua resp. primario dependet, quæ tum univerſalis eſt, tum particularis. Ab illa origo Reip. remote & univerſaliter dependet, quæ eſt Deus, ſummus mundi monarcha. Hæc eſt cauſa propinqua, quam & impellentem internam vocant; ea ibi dicitur vel naturalis, vel voluntaria, ſive voluntas humana. Nam ſecundariam cauſam impellentem externam autor ſtatuit. Satius viſum eſt, ante hæc inſpecta, humanam voluntatem referre ad cauſas ſecundas vel ſecundarias; quia cauſa prima hinc & primaria Deus eſt.

§. 170.

Prima atque primaria civitatum origo eſt divina. Dependet *Primaria*

 enim

origo est divina. enim a voluntate divina (§. 169.). Quidquid vero Deus voluit ut esset, adhuc vult ut sit, & omnia sic constituit, ut esse deberent, ejus origo est divina, dum ejus existentiæ constitutio, & ratio, qua esse inciperet, in Deo est (§. 168.). Manifestum igitur est, primam civitatum originem esse divinam.

Nemo dubitat, hominem esse autorem eorum, quæ dum nondum sunt, vult ut existant, & omnia sic comparat, ut illa sint vel fiant. Si velit, ut ædificium struatur, & omnia comparat, quæ necessaria sunt ad illius constructionem, omnes originem ædificii merito ad ipsum referunt, & quia ejus voluntas humana est, humanam ædificio tribuunt originem. Quæ facillime ad divinam voluntatem, qua civitates esse voluit, & ut essent omnia comparavit immo effecit, applicantur, ut primariam civitatum originem non esse nisi divinam appellandam, evidenter perspiciatur.

§. 171.

Pendens a decreto Dei æterno. *Primaria civitatum origo remotior pendet a decreto Dei æterno.* Dependet enim primaria civitatum origo a voluntate divina (§. 169.). Sed quidquid voluntas divina vult, illud vult ab æterno (§. 319. *Theol. nat. P. I.*), & quidquid Deus vult, ut extra se existat, illud inest ipsius unico & æterno decreto (§. 504. & 520. *ibid.*). Hinc prima civitatum electio & constitutio, qua esse debent, ideoque prima earum & remotior origo pendet a decreto Dei æterno.

§. 172.

Ejusque exsecutione. *Propior civitatum origo primaria continetur in hominum ac mundi creatione, conservatione & gubernatione.* Quæ enim æterno Dei decreto insunt, ea se constanter velle creatione ac conservatione mundi, tanquam exsecutione decreti, testatum facit (§. 525. 597. *P. I. Theol. nat.*). Sed civitates sine conditis, multiplicatis conservatisque hominibus, & mundo, in quo degant, locum habere nequeunt (§. 31.). Propior igitur civita-

vitatum origo primaria a voluntate divina pendens (§. 169.) atque divina (§. 170.), ſic continetur in decreti divini exſecutione per hominum & mundi creationem, conſervationem, gubernationemque; uti remotior in ipſo decreto æterno (§. 171.).

Nempe quæ Deus ab æterno decrevit, ea & ratione & ſcriptura ſacra duce certo exſequitur ſuo quæque tempore (§. 597. *P. I. Theol. nat.*). Quare quum ante exiſtere nequeant civitates, quam mundus detur, & homines tot, quot ad civitatem ineundam requiruntur, quod per ſe lucet: mirum non eſt, creationem mundi, ejusque conſervationem & gubernationem propius influere in civitatum originem, quam æternum Dei decretum.

§. 173.

Cujusmodi civitates Deus eſſe velit?

Quia voluntas divina non vult niſi optimum in ſe (§. 383. *P. I. Theol. nat.*), item ratione ſui (§. 385. *ibid.*) & ratione totius mundi (§. 551. *ibid.*); vult autem ut ſint civitates (§. 170. *ſeqq.*): eadem velle intelligitur, ut civitates ſint quam optimæ. Itaque *primaria civitatum origo requirit civitates optimas, cum in ſe, tum ratione Dei, totiusque mundi* (§. 86. *ſeq.*).

§. 174.

Homines obligantur ad colendas civitates optimas.

Lex naturæ eſt lex divina (§. 277. *P. I. Phil. pract. univ.*) continetque Dei voluntatem (§. 152. 223. 254. 284. *ibid.* & (§. 905. 909. & 918. *P. I Theol. nat.*). Omnis autem homo obligatur ad legem naturæ ſervandam (§. 276. *P. I. Phil. pract. univ.*) & ad ſuas actiones voluntati divinæ conformandas (§. 278. *ſq. ibid.*). Quare quia Dei voluntas optimas requirit civitates (§. 173.): patet, *homines obligari ad eligendas, condendas, colendasque optimas civitates.*

Poteſt illud etiam ſic oſtendi: Homines obligantur ad determinandas ſuas actiones per easdem rationes finales, per quas determinantur divinæ naturales (§ 976. *P. I. Theol. nat.*) & ad melius præferendum deteriori (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*).

univ.). Sed Deus ideo vult ut civitates ſint optimæ (§. 173.); quia hæ cæteris ſunt meliores. Ergo & homines obligantur ad eligendas colendasque civitates quam optimas.

§. 175.

Secundaria origo conformanda eſt primariæ.

Eo quod a voluntate divina dependet civitatum origo primaria, & a voluntate humana origo ſecundaria (§. 169.); & voluntas humana obligatur, ut ſe conformet divinæ voluntati, eligatque, ut illa, optimas civitates (§. 174.): innoteſcit, *originem civitatum ſecundariam eſſe conformandam origini primariæ*, ſeu primariam eſſe normam ſecundariæ.

§. 176.

Quatenus id fit, ſe recte habebit.

Quatenus ſecundaria civitatis origo conformata eſt origini primariæ, eatenus illi convenit cum voluntate divina & recte ſe habet. Quatenus origo civitatum eſt ſecundaria, eatenus nititur voluntate humana. Quatenus vero eſt primaria, eatenus nititur voluntate divina (§. 169.). Hinc quatenus conformata eſt origo ſecundaria primariæ, eatenus conformata eſt voluntas humana voluntati divinæ. Quatenus conformata eſt voluntas humana voluntati divinæ, eatenus convenit voluntati hominum cum Dei voluntate. Nihil igitur liquidius eſt, quam quatenus ſecundaria civitatum origo conformata eſt primariæ, eatenus illam convenire voluntati divinæ.

Enimvero voluntas divina non vult niſi optimum (§. 383. *P. I. Theol. nat.*) ideoque convenit eſſentiæ Dei & attributorum majeſtati, rectiſſimeque ſe habet dum determinatur per ipſam veræ bonitatis præſtantiam (§. 89. *P. I. Phil. pract. univ.*) & (§. 950. *P. I. Theol. nat.*). Quatenus igitur voluntas humana reſpondet voluntati divinæ & ſecundum hanc eſt determinata, eatenus & hæc, & ſecundaria civitatis origo recte ſe habebit.

§. 177.

In contrario

Contra ea quatenus ſecundaria recedit a primaria, aut plane eidem

dem repugnat, *eatenus non conveniet voluntati divinæ, a qua nisi impeditur, aliquamdiu permittetur.* Scilicet quatenus secundaria origo recedit a primaria, eatenus humana voluntas recedit a voluntate divina (§. 169.). Quatenus recedit a voluntate divina voluntas humana, eatenus in hac aliquid deest, quod in illa continetur ideoque eatenus illi non respondet (§. 176.). Et quia divina voluntas non nisi rectissima vult, humana tum eatenus minus recte seu prave aget (*ibid.*). *casu quid fiat?*

Quemadmodum in hoc casu omittitur tantum id, quod in origine civitatis statuenda attendi deberet: ita committi quoque potest aliquid, cujus contrarium fuisset constituendum. Quando contrarium ejus committitur quod fuisset committendum, tum repugnat voluntas humana voluntati divinæ (§. 311. *Log.*). Quæ vero repugnant voluntati divinæ, eadem ipsi neutiquam convenire, manifestissimum est. Ea de re quatenus repugnat secundaria civitatis origo illius origini primariæ, eatenus illa voluntati divinæ convenire nequaquam potest.

Exemplo sit nobis cultus veri Dei, qui primariæ civitatum origini non potest non inesse, quum Deus velle nequeat, ut homines in civitatem coëuntes ab ipsius cultu alieni sint (§. 1121. *seqq. P. I. Jur. nat.*). Patetne vero, si cives a cultu Dei recedant, omittendo sive externum tantum, sive & internum, quod officio suo erga Deum desint ejusque iram & vindictam mereantur? Multone gravius tum peccarent, si loco veri Dei falsum Deum aut idolum sibi colendum sumerent? Apertumne ex his est, & recedentes a voluntate divina, & multo magis eidem repugnantes in civitate instituenda, voluntati divinæ nequaquam satisfacere, sed officio suo deesse & adversari?

Quæ voluntati divinæ non conveniunt, ea Deus vel impedit, si hoc præstet permissioni, vel permittit si permissio præferenda sit impeditioni (§. 676. 733. 736. *Theol. nat.*).

Quam ob rem si non impedit, certum est, a posteriori, permissionem meruisse præferri impeditioni. Quamdiu vero illa permissio sit præferenda, id omniscientia docet & summa sapientia definit statuitque. E quibus efficitur, si sapientia divina non impedit originem civitatum secundariam, a mente divina alienam, aut eidem plane adversam, illam eamdem permittere aliquamdiu, vel quamdiu permissio præstat pœnæ immittendæ & impedituræ istum libertatis abusum.

Habent hæc suum usum in dijudicandis civitatibus paganis, idololatriam, superstitionem, aut falsorum Deorum, v. c. astrorum cultum, aliaque scelera foventium. Vbi enim sunt florentissimæ olim civitates paganæ Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, Græcorum, aliorumque? Aliquamdiu durarunt permissu divino, postea perierunt. Quemadmodum enim singulis hominibus interdum permittit, ut peccent, v. c. Adamo & Evæ, ut arboris vetitæ fructu vescerentur; interdum non permittit, sed impedit, v. c. ne deinceps vescerentur fructu arboris vitæ: ita civitates ipsi quoque sunt instar singularum personarum, quibus pariter limites ponit, quousque concedere ipsis abusum libertatis velit, & quando impedire illum decreverit, exemplo mundi ante diluvium Noachicum. Exstructionem Turris Babel nonne Deus aliquamdiu permisit, postea vero inhibuit? Genes. XI. 6. 7. Non est hic locus, ea fusius deducendi, unde suffecerit dubio occurrisse, quod inde formari posset, quia in *P. I. Theol. nat.* §. 716. *seq.* Deum non posse abusum libertatis impedire nisi per miraculum, nec decere ipsum, ut hoc faciat. Sed in §. 716. additur limitatio, quando homo sua libertate actu jam abutitur; & in *Scholio* §. 717. subjungitur, sermonem hic esse de abusu libertatis universe non autem quandoque impediendo. Simpliciter non repugnare, ut Deus ope miraculi seriem rerum immutet in meliorem, sed hoc relinquendum esse ipsius summæ sapientiæ. Dari posse casus, ubi impeditio abusus libertatis miraculosa faciat ad majorem

jorem hujus universi perfectionem. Quæ multo magis de impeditione naturali & morali valere liquet.

§. 178.

Origo civitatum primaria est naturalis legis, seu debetur legi naturæ præcipienti. Debetur enim voluntati divinæ, vi naturali perspiciendæ (§. 169.). Enimvero lex naturæ continet illam Dei voluntatem, quæ naturali ratione perspici potest (§. 174.), eaque nos obligat ad ineundam colendamque civitatem optimam (*ibid.*). Quis ergo dubitet, originem civitatum primariam deberi legi naturæ præcipienti, & præcipiendo nos obliganti? *Origo primaria debetur legi naturæ præcipienti.*

Aliter id sic capiatur: Civitates sunt moraliter necessariæ (§. 167.). Earum vero necessitas moralis est obligatio passiva, qua nos obligamur ad optimas ineundas colendasque (§. 118. *P. I. Phil. pract. univ.*). Passiva autem obligatio proficiscitur ab obligatione activa, actiones cum felicitate sic connectente, ut hæc sine illis haberi nequeat, seu actionem cum felicitate arctissime connectente (§. 119. *ibid.*). Hanc vero obligationem activam voluntati divinæ in lege naturæ occurrenti deberi (. 275. *seqq. ibid.*) evictum est. Quapropter quum lex præcipiens nos obliget ad aliquid agendum (§. 164. *ibid.*): conficitur hisce, originem civitatum primariam legi deberi naturali præcipienti.

§. 179.

Quoniam origo civitatum primaria pendet a lege naturali, eaque præcipiente & injungente eam hominibus (§. 178). Lex naturæ autem rationem sufficientem habet in ipsa hominis rerumque essentia & natura (§. 135. *P. I. Philos. pract. univ.*), ut posita hominis rerumque natura, ponatur & constituatur simul lex naturæ (§. 136. *ibid.*): intelligitur, cur olim ipsa na- *Ideoque est naturalis.*

tura dicatur instituisse hominum societatem civitatemque, & quo sensu natura dicatur homines obligare ad societatem colendam (§. 138. *P. VII. Jur. nat.*). Nihil impedit ergo, quo minus *origo civitatum primaria dicatur naturalis, ipsaque hominum multiplicatorum natura constituta* (§. 172.).

Non præteriit illud Alexandri magni formatorem, *Lib. I. Polit. c. 2.* scribentem: Omnis civitas natura est, siquidem & primæ societates, nam hæc illarum finis. Natura vero finis est. Quale enim unumquodque est generationis perfectæ, hanc uniuscujusque naturam esse dicimus, ut hominis, equi, domus. Insuper id, cujus gratia, & finis est optimum. Sufficientia vero ipsa est finis (civitatis), & optimum. E quibus manifestum est, civitatem esse ex his, quæ natura sunt, & quod homo natura sit animal civile (πολιτικον ζωον). Qui vero per naturam, non vero per fortunam tantum, (ἀπολις) nullius est civitatis, aut nequam (φαυλος) est, aut melior (κρειττων) quam homo - - - Ex quo patet, sociale animal esse hominem magis, quam omnes apes, & quam omne gregarium animal. Nihil enim frustra natura facit. Quem locum etiam *Cicero* urget *L. IV. de Finibus Bonor. c. 23.*: In omni autem honesto nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quasi quædam societas, communicatio utilitatum & ipsa caritas generis humani, quæ nata a primo satu, quo a procreantibus nati diliguntur - - serpit sensim foras, - - & civibus, iisque, qui publice socii atque amici sunt, deinde totius complexu gentis humanæ, suum cuique tribuit, atque hanc, quam dico, societatem conjunctionis humanæ munifice & æque tuetur - - - Nam cum sic hominum natura generata sit, ut habeat quiddam innatum quasi civile atque populare, quod græci πολιτικον vocant, quidquid agit quæque virtus, id a communitate, & ea, quam exposui, caritate atque societate humana non abhorrebit.

§. 180.

Immutabili- *Primaria civitatum origo & obligatio ad eamdem est immutabilis.*

bilis. Est enim primaria civitatum origo legis naturalis præcipientis (§. 178.). Sed Lex naturæ est necessaria & immutabilis, ideoque & ejus præcepta, & obligatio naturalis mutari nequeunt (§. 142. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Concludi ergo aliter nequit, quam primariam civitatum originem esse immutabilem, æque ac hominum obligationem eidem se conformandi (§. 174.). *tas primariæ originis.*

Quia origo civitatum primaria est naturalis (§. 178.) eo quod in ipsa essentia & natura hominum rerumque cæterarum habet rationem sufficientem (§. 509. *Cosmol.*); natura vero & essentia rerum est immutabilis (§. 300. *Ontol.*) propter immutabilitatem voluntatis divinæ, quæ illam elegit (§. 368. *P. I. Theol. nat.*): constat, originem quoque civitatum primariam aliter habere non posse, ut sit adhuc maneatque divina. Melius certe habere non potest, quia non complectitur nisi civitates omnium optimas, cum in se ipsis, tum ratione Dei, quem hæ maxime decent, ejusque gloriam maxime illustrant, tum ratione totius mundi conjunctis viribus perficiendi (§. 173.). Addi etiam potest civitatum necessitas moralis, capite præcedenti eruta. Nam quidquid necessarium est, id quoque est immutabile (§. 292. *Ontol.*). Vnde & civitates moraliter necessariæ, moraliter quoque, h. e. salva omni felicitate & salute, quæ haberi potest, immutabiles erunt censendæ.

§. 181.

Civitatum origo primaria & obligatio ad eandem salva manet, sive accedat secundaria sive minus. Est nimirum origo civitatum primaria, & obligatio ad eandem legis naturalis (§. 178.) ipsaque hominum & rerum natura instituta (§. 179.) ideoque immutabilis (§. 180.). Quapropter humana voluntas nec determinationem illarum a Deo factam, nec earum necessitatem moralem suamque obligationem sese eidem conformandi ullatenus mutare valet sive eidem se conformet, sive minus. Sed *Sive accedat secundaria, sive minus.*

ſecundaria civitatum origo nititur voluntate humana, uti primaria conſtituitur voluntate divina (§. 169.), & conſtitutio exiſtentiæ, ſive rationis, per quam exiſtant, eſt earum origo (§. 168.). Quid hæc aliud loquuntur, quam civitatum originem primariam, una cum obligatione ad eandem ſalvam relinqui, ſive accedat ſecundaria ſive minus. Quod aliis verbis ſic efferre licet, ſocietatem ipſamque civitatem inter homines dari & ſubſiſtere, ſive velint id homines, ſive nolint.

Nullus dubito fore, quibus hoc ſecus habere videatur. Exiſtimabunt fere, ante initum pactum, vel quaſi, nullam dari poſſe nec ſocietatem, nec civitatem. Sed hos rogarem, ut rationes eorum, quæ ſciſcuntur a nobis, penitius meditari dignentur, antequam illa damnent. Si forte præconceptæ opiniones obſtant, quo minus illas comprehendant aut ſufficere largiantur: hoc conſuluero, ut ſecum reputent, quid reſpondendum illi ducerent, qui contendere vellet, non obligari ſe vel ad dandam pauperi eleemoſynam, vel ad inſerviendum alteri, niſi id ipſi antea promiſiſſet. Si ne hoc quidem ipſis ſatisfaciat, penſitent hunc caſum, ſi quid rerum ſuarum perdiderint, ſibine id reddi vellent ab inventore, vel obligatum illum ſtatuant ad reddendam ſibi rem ſuam, etiamſi nihil de hoc caſu cum ipſo pepigiſſent? Si quid ſcrupuli vel poſt hæc reſtet, illi poſtea occurretur. Procul autem faceſſat hinc transgreſſio obligationis, qua non tollitur nec tolli obligatio poteſt v. c. ad fugienda furta, adulteria, homicidia, cultum falſi Dei, idololatriam.

§. 182.

Datur ſocietas naturalis generis humani.

Inprimis datur naturalis ſocietas inter omnes gentes & obligatio ad eam colendam, etiamſi de illa pacto ineunda homines ſoliciti fuerint nunquam, nec in poſterum ſint cogitaturi. Origo enim civitatum primaria pendet a voluntate divina (§. 169.), quæ per ipſam hominum eſſentiam & naturam eadem in ſtatu naturali ipſis jura conſtituit officiaque connata (*P. I. Jur. nat.* §. 31. 27. & 57.). Sed ſocietas eſt juſtæ conjunctionis (moralis) ſtatus, vel communi-

munitas jurium & officiorum (§. 31. *not.*) ad quam colendam omnes obligantur (§. 166. *seq.*), quæ obligatio utique ſalva manet velint nolint (§. 181.). Ea propter datur ſocietas naturalis inter omnes gentes, & obligatio ad eam colendam, ſive homines eam cogitent, ſive minus; ſive unquam de ea pacto ineunda & colenda ſoliciti fuerint, ſive nunquam; ſive in poſterum ejus ſtudio flagrabunt ſive vacabunt.

Aliter illud deducetur hunc in modum: ipſa natura ſocietatem inter homines inſtituit, eosque obligat ad illam colendam (§. 138. *P. VII. Jur. nat.*). Quam ob rem eadem quoque ſocietatem inſtituit inter omnes gentes, easdemque obligat ad illam colendam (§. 7. *Jur. Gent.*). Quæ obligatio quam ſit neceſſaria & immutabilis, nec ulla gens ſe ipſam, nec alia aliam ab eadem liberare valet (§. 6. *ibid.*). Salva inde manet hæc obligatio & origo civitatum primaria, ſive ad eam accedat ſecundaria, ſive minus (§. 181.). Salva igitur manet primaria origo civitatis maximæ, ſalvaque manet ſocietas naturalis omnium gentium & obligatio ad eandem colendam, etiamſi de illa ineunda colendaque homines nunquam fuiſſent ſoliciti, nec in poſterum de ea eſſent cogitaturi.

Ita non eſt, cur implicemur illorum litibus, qui hanc ſocietatem ideo negare ſuſtinent, quum ſocietas ſit pactum, aut quaſi pactum, quod ſpecioſius quam verius negant inter omnes gentes dari poſſe. Vnde jam in *Scholio* (§. 9. *Jur. Gent.*) monitum eſt, ſi quibus quaſi pactum gentium minus arrideat, iis ſufficere, ut agnoſcant ipſam naturam gentes redegiſſe in civitatem vere catholicam, & impoſuiſſe ipſis neceſſitatem eam colendi.

§. 183.

Dum deus & natura nos obligat ad officia charitatis erga universum genus humanum & ad nosmet ipsos ope quorumque aliorum perficiendos, & ad gloriam Dei summopere illustrandam; nosque in eum perducit statum, ut illis exhibendis pares simus: adest civitas maxima, *Quomodo illa constituatur citra pactum?*

degi-

degimus in illa, nec alio opus est pacto, quo obligemur ad officia illa universalia explenda. Dum Deus, ipsa rerum nostraque natura nos obligat ad ipsius gloriam summopere illustrandam, ad perficiendum nos ipsos, etiam aliorum quorumvis ope, & ad mutua charitatis officia erga universum genus humanum, nosque in eum perducit statum, ut præstandis illis officiis pares simus: in eo homines statu sunt, in quo ipsis est satisfaciendum perfectæ erga Deum obligationi (§. 143. 236. & 276. 318-20. *P. I. Philos. pract. univ.*). Hanc conjunctionem hominum ab ipso Deo institutam esse justam, communitatemque jurium & officiorum inferre, dubio caret. Idcirco iste status hominum est societas, provehendo communi bono, quoad conjunctis viribus fieri potest, intenta, ideo civitas (§. 31.). Quæ quoniam universum genus humanum obligat, ejusque salutem quærit, maxima est civitas (§. 102. *seq.*) eaque datur, perstat & salva manet, etiamsi homines de illa pactis ineunda nec soliciti unquam fuerint, nec futuri sint (§. 182.). Constat igitur maximam civitatem adesse, & homines in illa degere naturaliter, nec alio opus esse pacto, quo illa constituatur, sufficiente jam naturali obligatione ad officia universalia mutuo sibi invicem ab omnibus præstanda, ut quantam possunt salutem omnes adipiscantur, adeptaque tranquille perfruantur (§. 165. *seq.*).

Vnumquemque hominem lege naturali obligari ad se statumque suum perficiendum, quantum suo marte aliorumque auxilio potest, constat ex (§. 175. & 180. *seq. P. I. Jur. nat.*). Quod vero eadem charitate, qua se ipsum, alios quoscunque homines complecti & perficere debeat (§. 614. & 621. *ibid.*) ostenditur. Si quis dubitet, an perfecta erga Deum hæc obligatio naturalis ad societatem colendam sufficiat: is concipiat monarcham quemdam, subditis sibi injungentem lege promulgata, ut exorto bello sibi mutuo opem ferant in hostibus a se quantum fieri potest arcendis, ut dato signo armis accurrant ex omni

omni vicinia, quousque ſigna continuata fuerint. Eruntne ſubditi per legem eique adjectas ſanctiones pœnales ſatis obligati ad hæc officia mutua ſibi invicem præſtanda? An invalida erit tamdiu obligatio legis, donec mutuo pacto cives inter ſe de his ſtatuerint? Si ejusdem cives illa lege perfecte ſic erga ſe invicem obligentur, eccur opus eſſet conventione inter ſe ineunda, qua nil niſi eadem perfecta obligatio erga ſe invicem obtineretur? In noſtro caſu monarcha ſummus eſt Deus. Ipſius lex promulgatione nulla indigens, eſt lex naturæ. Ea lege homines non Deo tantum, ſed & per eandem erga ſe invicem perfecte obligantur, ad alteri cuicunque homini eadem præſtanda, quæ ſibimet ipſis debent, quatenus alter id non habet in ſua poteſtate, ipſi autem citra neglectum officii erga ſe id illi præſtare poſſunt (§. 608. *P. I. Jur. nat.*). Adeſt igitur jam connata & perfecta ad id omne obligatio, quod pacto ſibi promittere poſſent, eaque obligatione ſe nemo liberare valet (§. 68. *ibid.*). Si per judicis ſententiam debitor jam perfecte obligatus eſt ad ſolvendum, num is, cui debetur ſolutio, de pacto ineundo laborabit, quo ſolutio ipſi promittatur? Quis neget, Deum judicem eſſe omnium hominum, juſtiſſimis pœnis immorigeros coërcentem?

§. 184.

Non ſolum nullo opus eſt pacto ad civitatem maximam conſtituendam, ſed & vix ac ne vix quidem ejusmodi pactum inter omnes homines iniri poteſt. Quod non opus ſit pacto, ad ſocietatem totius generis humani conſtituendam, evictum eſt (§. 183.). Quod vero nec iniri tale pactum inter eos poſſit, ſic oſtendemus. Civitas maxima modo ſtrictius modo latius accipiatur §. 103.). Poſteriori caſu complectitur omnes homines, qui unquam extitere, exiſtunt nunc, & extituri ſunt in poſterum (*ibid.*). Cui vero non per ſe notum eſt, nec vivos cum mortuis, nec cum naſcituris, nec mortuos cum naſcituris paciſci

Impoſſibilitas pacti univerſaliſſimi.

posse? Ergone luculentissimum est, maximam civitatem latissime dictam, pacto coalescere non posse?

Si maxima civitas strictius dicatur, tum notat omnes, quotquot usquam terrarum vivunt homines (§. 103.). Enimvero cui ignotum est, quod nec dum omnes terræ, ubi homines degant, exploratæ sint? Quid? quod vel ad notas tantum terras habitatas peragrandas nulla spes, nulla securitas itineris; ob defectum linguæ inter omnes notæ nulla ne propositio quidem conditionum pacti ineundi, multo minus consensus, pro præsenti rerum & hominum facie, exspectari potest. Vnde manifestissimum est, ad constituendam maximam civitatem pactum ab omnibus populis ineundum vix ac ne vix quidem adhiberi posse. Quæ jam ita abunde conficiunt adserta, ut ne urgenda quidem videatur summa inutilitas & supervacua plane constitutio pacti tam universalis, nihilo plus valituri, quam valet per se obligatio naturalis.

§. 185.

An atheismus tollere possit originem civitatum primariam?

Etiamsi atheæ darentur gentes, naturalis tamen obligatio ad colendam societatem & salutem generis humani inter ipsasmet admittenda esset. Ex eo enim, quod atheus fingit seu erronee ponit, non dari Deum, minime sequitur, non dari legem naturæ, quippe quæ posita hominis rerumque essentia & natura una ponitur (§. 245. *P. I. Philos. pract. univ.*). Manente lege naturæ, quamdiu homo nequit hominem exuere, manet etiam obligatio naturalis, manet discrimem boni atque mali, recti & pravi, liciti & illiciti, justi & injusti, æqui & iniqui, honesti & turpis, decori & indecori (§. 246. *seqq. ibid.*). His vero manentibus manet etiam gentium athearum, si quæ dari possent, aut fingantur, obligatio ad mutua officia justitiæ, humanitatis & decoris, ideoque ad se mutuo perficiendum juvandumque, quantum salvis officiis erga seipsas fieri, altera ista ope indigente potest

poteſt (§. 156. *Jur. Gent.*). Ratum igitur firmumque eſt, etiamſi darentur atheæ gentes, illas tamen vel in errore tanto obligationem ad ſectandam colendamque generis humani ſalutem & ſocietatem diffiteri non poſſe.

Eſt hypotheſis atheorum abſurda, neque hic adſtruimus, vel dari gentes atheas, quod nonnulli perſuadere ſibi aliisque voluerunt, vel tantum dari illas poſſe. De eo tantum agimus caſu, quo quis fingit, ejusmodi dari gentes, num inter eas nulla civitatis ſocietatisque cum aliis gentibus ratio ſit ſuperfutura. Quod merito negamus. Dum humanam naturam exuere, dum res ſuo errore mutare nequeunt, ſi cæteroquin uſu rationis gaudent, intelligent naturalem obligationem ad officia erga alios homines aliasque gentes tolli non poſſe per id, quod Deum dari negant. Pœnas dari naturales pravarum actionum vel ſenſus earum indubium reddit, etſi atheus neget, eas eſſe divinas, ſed ad inevitabile fatum easdem referat.

§. 186.

Quia in poteſtate noſtra eſſe dicuntur, quæ facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu, aliorumque ope conſequi vel evitare poſſumus (§. 175. *P. I. Jur. nat.*), & quemadmodum nemo obligatur ad ea conſequenda vel vitanda, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 176. *ibid.*), ita naturalis cuique incumbit obligatio, ad omnem faciendum facultatum, virium & rerum ſuarum, opisque alienæ uſum, quem officia requirunt (§ 172. *ibid.*); certum eſt, eo majorem eſſe uniuscujusque obligationem naturalem ad commune bonum conjunctis viribus proſequendum, quo plura habet in ſua poteſtate (§. 179. *ibid.*). Sed quo propiores ſibi invicem ſunt vici, quo plura habent in ſua poteſtate, quo proniores ad ſibi invicem opitulandum, quoque plures eorum circumquaque habentur eadem poteſtate, vel ſimili ſibi invicem proficua, mutuaque propenſione in communia bona gaudentes: eo major adeſt obligatio naturalis ad plura *Civitatum uſitatarum origo primaria.*

illa majoraque bona ſibi invicem communicanda, & ad ſocietatem inter ſe colendam, quæ inter ipſas dari poteſt, quam optimam, conſtantiſſimamque, ſi ſuæ ſaluti ſapienter conſultum cupiunt quam maxime fieri poteſt (§. 152. *ſeqq.*). Cujusmodi ſocietas quum ſit civitas uſitata (§. 31.): apparet luculenter, *primariam civitatum uſitatarum originem repetendam eſſe ex majori obligatione, quanta haberi poſſunt, communia bona, conjunctis vicorum viribus ſibi invicem quam optime procurandi.*

Dum civitates uſitatas hic innuimus, intelligimus eas, quæcunque ubivis terrarum obviæ ſunt, quoquo nomine veniant, & qualibet gaudeant magnitudine aut parvitate. Attentius rationes libranti patebit, ſimul quoque in his contineri rationem civitatum fœderatarum (§. 159.). Neque fieri aliter poteſt, quam ut quidquid rectum & ſalutare eſt, a primo fonte ſalutis rectæ indolis, Deo ſcilicet, originem ducat. Si omnes ſua vera bona intelligerent, eaque quanto par eſt ardore ſectarentur; non alia re opus foret ad civitatum cultum floremque iſta naturalis obligationis, iſtaque ejus arctiſſimæ cum ſalute humana copulationis neceſſitatisque perſpicientia. Sed non incongruum videtur, iſta commemorare adjumenta, quibus natura in commendanda hominibus civitate abundat.

§. 187.

Inſitus naturæ civitatis appetitus.

Præter evictam civitatum in præcedenti capite neceſſitatem, *inſitum eſt mortalium animis tantæ felicitatis ſalutisque ſtudium, quantam haberi conjunctis viribus poſſe intelligunt.* Nullius rei homines ad unum omnes ſunt appetentiores quam ſuæ felicitatis publicæque ſalutis ad ſe pertinentis, quod uno omnes ore profitentur. Nihil magis omnes exoptant, nihil acceptius nihilque jucundius ipſis accidit, quam ſi plurimi ipſorum inſerviant affluentiæ, tranquillitati, ſecuritatique augendæ. Qui appetitus quoniam omnibus ex æquo ineſt, ſatiarique ab omnibus cupit, intelligunt quotquot recte intellectu ſuo utuntur, neceſ-

necessum esse, ut quidquid jure sibi ab aliis fieri cupiunt, idem aliis vicissim & ipsi, itaque omnes sibi invicem præstent (§. 99. *P. I. Jur. nat.*). Quemadmodum indidem quoque perspicitur, id nemini esse faciendum, quod sibi quisquam fieri ab alio recte aversatur (§. 98. *ibid.*). Sed quid inde evidentius est, quam hoc, ad id consequendum, quod quisque in sui gratiam ab aliis fieri cupit, necessarium esse, ut eodem modo in ipsos sit vicissim animatus, seu eorundem studiosus officiorum erga illos? Invitat igitur & obligat natura homines ad colendas civitates insito tantæ felicitatis salutisque appetitu, quanta conjunctis plurimorum vicorum viribus recto earundem usu haberi posse intelligitur.

Non abs re dico *intelligitur*, ut distinctam innuam cognitionem, qua homines cæteris præstant animalibus. Neque enim negari potest, inesse quoque reliquis animalibus gregariis, quorum vita conjunctione indiget & delectatur, instinctum naturalem congregationis, simulacrum societatis offerentis. Sed nascitur iste instinctus duntaxat e confusa eorum, quæ ipsis expediunt, sensione. Attamen & iste instinctus naturalis, sapienti numinis consilio ipsis inditus, confirmat id ipsum, quod hic de primaria civitatum origine prædicamus. Non obligantur gregales animantes, uti apes, ad vitam gregalem, sed feruntur in illam naturali impetu. Homines autem rationis usu recto intelligunt suæ felicitatis salutisque partes, intelligunt, quænam actiones ad illam consequendam, tuendamque valeant, quæque eidem officiant. Ob id ipsum quoque intelligunt suam obligationem naturalem eamque divinam, illas committendi, has vero omittendi. Inde appetitu naturali invitantur feruntur que in colendam societatem hujusmodi, quæ quanta conjunctis plurimorum vicorum viribus fieri potest, tantam procurare & tueri valet. Generatim appetitum naturalem boni invitare homines ad societatem *ab initio Politicæ* hisce profitetur *Stagirita:* videmus omnem civitatem esse societatem quandam, & omnem

ſocietatem boni alicujus gratia conſtitutam, ejus enim gratia, quod bonum videtur omnia omnes agunt &c.

§. 188.

Commendat civitates hominibus communio ſanguinis & naturæ.

Commendat naturaliter quoque hominibus ſocietatem civilem perſpecta communio ſanguinis & naturæ ejusdem. Conſtat inter omnes, parentes atque liberos, reliquosque adſcendentes & deſcendentes, naturali devinciri affectione præcipui amoris, quem στοργὴν Græci dicunt (§. 184. & 500. *Oecon.*). Qui amor ſi non ſit corruptus, ſed qualis naturaliter eſſe debet, alios ut ſe ipſum ſpectat, conjunctos ſanguinis communione ad arctiorem ſocietatem colendam incitat exſtimulatque (§. 540. *ibid.*). Sed plurimos homines ex communi ſtirpe eorundem parentum deſcendiſſe, nec noſtra ætate inuſitatum eſt; nec olim attentiores præteriit obſervatores, integros populos ab eodem ſtipite ſucceſſu temporis eſſe enatos. Quapropter horum communio ſanguinis naturale invitamentum colendæ intimioris ſocietatis iisdem ſubminiſtrat, ut vel illius cauſa conjunctis viribus ſibi mutuo prodeſſe malint, quotquot eorum ſapiunt, quam a ſe invicem disjungi aut diſcordiis lacerari.

Si penitius inſpiciatur, quid ſit, quod conſanguineos inter ſe ita copulari ſolet, non una ſanguinis veluti communicatio, ſed integræ potius naturæ, qua mentes & corpora, convenientia inprimis animi vis iſtas continere illecebras animadvertetur. Propterea enim unusquisque alius idem eſſe videtur, quod ipſemet eſt. Propterea ſi ſe ipſum odiſſe nequit, alterum ut ſeipſum ſibi amandum diligendumque eſſe intelliget (§. 619. *P. I. Jur. nat.*). Propterea aliorum felicitatem a ſe, ſuamque felicitatem ab aliis augeri poſſe ſentit, & quemadmodum hoc cupit, ita & illud ſe cupere & agere in ſocietate civili debere concludit. Sic commendat naturaliter hominibus ſocietatem civilem perſpecta ipſorum ſanguinis communio & naturæ ejusdem.

Con-

Conferri hic possunt, quæ ex *Cicerone* adduxi ad (§. 863. *Oecon.*) & (§. 179. *in not.*). Idem *Lib. I. de offic. c. 17.* statuit, propagationem & sobolem originem esse rerumpublicarum; sanguinis enim conjunctionem & benevolentiam devincire homines caritate. Magnum esse, eadem habere monumenta majorum - - - sepulcra habere communia &c. *Cap. 43.* addit: si sapienti ea contigerit vita, ut in omnium rerum affluentibus copiis - - tanta sit solitudo, ut hominem videre non possit, floreat excedat e vita. Conf. *Lælius c. 23.* apprime huc faciens exemplis adductis. Quibus si addantur quæ de ortu populorum tradit historia profana, quæque sacra suppeditat, ab uno conjugio totum manasse genus humanum, rectius illa sanguinis conjunctio pervidetur, amplissimaque deprehenditur esse. Est quidem cæterorum quoque animalium similis progenies, ut ab uno pari reliqua sint propagata, & propagentur etiam nunc. Sed nuda sentiendi facultas hæc non assequitur, neque iis uti rite potest, nisi in proximis cognationibus quorundam, ob defectum intellectus. Conf. *Cicero L. I. de Legibus c. 10. seq.*

§. 189.

Invitat homines ad civitatem rationis & orationis communio.

Accedit ad commendationem civitatis naturalem rationis quoque & sermonis communio. Omne enim simile naturaliter simili gaudet, experientia duce. Quo major vero est similitudo, quoque rectius cognoscitur; eo magis invicem placet, id quod vel amicitia docet similitudine morum nixa, eoque arctior, quo major est similitudo morum (§. 177. *P. V. Ethic.*). Hominum vero similitudo nititur potissimum ratione, qua solus & omnis homo ex tot animantium generibus atque naturis excellit, eaque velut suo gaudet peculio, perspicit quid sit ordo, quid deceat in dictis factisque, prævidet futura, & arbiter est præteritorum, qua rationes & causas rerum rimatur, quaque libera agit voluntate. Quam præstantiam dum in reliquorum animantium genere nusquam deprehendit, non potest non homo homini esse eo acceptior, quo melius sua utitur ratione,

& quo

& quo magis convictus est de sua erga alios obligatione. Simul ope suæ rationis quilibet perspicit, eo uberius suæ consultum esse felicitati, quo plures habeat ejusdem adjutores propugnatoresque, quales & quot non habentur nisi in civitate.

Quod in animo est ratio, id in actionibus foras prodeuntibus est sermo, quo uno maxime homines præstant feris, quo inter se colloquuntur, animique sui sensa & desideria aliis & præsentibus & absentibus aperire possunt (§. 713. *P. II. Phil. pract. univ.*). Quare quum sermonis finis ususque sit perfectio sui & aliorum (§. 479. *P. III. Jur. nat.*): plurimum homines sibi invicem sermone prodesse & possunt & debent. Multo magis consortio homines invicem delectantur, si eodem sermone utuntur, ut sibi mutuo communicare sua cogitata & desideria & se invicem intelligere possint, quotidiana experientia magistra. Sed ejusdem sermonis vel linguæ homines populum constituunt, seu nationem natorum ab eodem stipite, linguamque communem nactorum; cujusmodi populus plerumque civitatem constituit (§. 31.). Sic igitur sermonis quoque communio homines ad civitatem colendam invitare, & velut naturale quoddam vinculum civitatis præbere solet. Adest & alia ratio in sermone ad civitatem insigniter faciens, de qua paulo post dicetur, quando de obligatione mutuo declaranda, deque legibus civitatis erit agendum.

Agnovit *Aristoteles*, quid hæc in recessu habeant, quando *L. I. Polit. c. 2.* scribit: Nihil frustra natura facit. Sermonem (λόγον rationem) homo habet solus inter animalia quævis. Nam vox & molesti & jucundi significatio est, quæ & in aliis datur animantibus, sensum jucundi & molesti habentibus, sibi invicem significandum. At sermo nobis est datus, ad indicanda nobis utilia & nocitura, justa & injusta. Hoc enim hominibus proprium est, ut boni & mali, justi & injusti & aliorum hujus-

jusmodi ſenſum habeant ſoli, horumque ſocietas faciat domum & civitatem. Quem locum *Cicero* ob oculos habuit *L. I. offic. c. 16.* principia communitatis & ſocietatis humanæ altius ita repetens: primum, quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate, ejus vinculum eſt ratio & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate. Neque ulla re longius abſumus a natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis in leonibus; juſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis & orationis expertes. Ac latiſſime quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes ſocietas hæc eſt: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum uſum natura genuit, eſt ſervanda communitas. Propior eſt ſocietas ejusdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur. Alibi idem de ſermone. Jam vero, inquit, domina rerum eloquendi vis quam eſt præclara, quamque divina? Quæ primum effecit, ut ea, quæ ignoramus, diſcere, & ea, quæ ſcimus, alios docere poſſimus. Deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque reſtinguimus. Hæc nos Juris, legum, urbium, ſocietate devinxit; hæc a vita immani & fera ſegregavit *Lib. II. de natur. Deor. c. 59.* Ratio facit hominem hominum appetentem, cumque his natura, ſermone & uſu congruentem. *de Fin. L. II.* conf. *Lælius c. 14.*

§. 190.

Invitamenta a ſpe metuque ducta.

Cauſis impellentibus ad civitates ineundas colendasque accenſemus tum commodorum ex civitate oriundorum ſpem non dubiam; tum metum incommodorum extra civitatem oriundorum. Illa nempe commoda, quæ ſocietatibus tum ſimplicibus, tum minoribus compoſitis, domo & vico, redundabant in homines, de quibus Oeconomica expoſuit, non potuere non quoddam quaſi ſignum, ad plura & majora emolumenta ex majoribus ſocie-

tatibus ſperanda, erigere, oculisque hominum conſpiciendum præbere. Si ſpes boni non fallax, ſaltem veriſimilis, iisque conformis, quæ uſu olim comprobata habebantur, oſtendatur, naturalis naſcitur illius boni conſequendi appetitus (§. 800. & 904. *Pſychol. empir.*). Quamobrem majorum quoque ſocietatum humanarum, hoc eſt civitatum, ineundarum colendarumque naturalem appetitum ortum eſſe, & oriri, etiam nunc, ex non dubia ſpe majorum pluriumque emolumentorum vitæ humanæ præviſa, in propatulo eſt.

Vice verſa ignorari non poterant mala, non ſolum extra omnem ſocietatem in ſolitudine degentibus, verum etiam vicis quanquam permagnis, a prava multorum ſceleratorum colluvie metuenda (§. 120. *ſeq.*). Quorum metu dum liberari omnes, quam laborare malunt, circumſpiciendi fuerunt modi, quibus immunitas ab illis obtineretur. Hi vero non habentur niſi in civitate (§ 134. 159.). Vnde & ad metum incommodorum, injuriarum & damnorum belli privati (§. 560. *P. VIII. Jur. nat.*) extra civitatem perfrequentem evitandum & arcendum, quantum conjunctis perplurium viribus fieri potuit, naturalis civitatum commendatio oculis obverſata eſt.

Videtur huc reſpexiſſe *Ariſtoteles L. I. Polit. c. 2.* monens: Natura igitur omnibus ad hujusmodi ſocietatem (civilem) eſt appetitus. Qui autem primus (recte) inſtituit, maximorum bonorum cauſa fuit. Vti enim perfectione adepta optimum cunctorum animalium eſt homo, ita ſi alienus fiat a lege & juſtitia peſſimum eſt omnium. Sæviſſima enim eſt injuſtitia tenens arma. Homo vero arma tenet innata prudentia, quibus & plurimum poteſt abuti. Itaque impiiſſimum (ἀνοσιώτατον) & immaniſſimum eſt ſine virtute, & ad libidinem gulamque deterrimum. Idem locus a *Cicerone* fuſius pertractatur *Lib. II. Offic. c. 3-5.* E quibus hæc tantum affero *c. 5.* obvia: ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum atque conſenſu:

ſenſu: ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur - - - Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quia homines plurimum hominibus & proſint & obſint: proprium hoc ſtatuo eſſe virtutis, conciliare animos hominum & ad uſus ſuos adjungere. Solæ tamen hæ utilitates non ſufficerent ad eligendam ſocietatem, quod idem fatetur *L. I. Off. c.* 44. Nec verum eſt, quod dicitur a quibusdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine aliis, atque efficere non poſſemus, idcirco iſtam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem. Quodſi omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi virgula divina, ut ajunt, ſuppeditarentur: tamen optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia non collocaret. Nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret, tum docere, tum diſcere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad ſocietatem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione & ſcientia continetur. Gemina his habet in *Lælii c.* 23. Si quis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine uspiam collocaret, ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam, hominis vero omnino adipiſcendi poteſtatem eriperet: quis eſſet tam ferreus, qui eam vitam ferre poſſet, cuique non auferret fructum voluptatum omnium ſolitudo? Subjungit Archytæ vetus dictum: ſi quis in cœlum adſcendiſſet naturamque mundi & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuavem illam admirationem ei fore, quæ jucundiſſima fuiſſet, ſi aliquem, cui narraret, habuiſſet. Sic natura ſolitarium nihil amat, ſemperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur, quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt.

§. 191.

Quid benignitas & ſimilitudo

Habet natura aliud nobilius invitamentum ad civitates colendas, in benignitate & ſtudio ſimilitudinis cum Deo. Notat nempe benignitas bonitatem erga alios ſe exſerentem, tum benevo-

cum Deo huc faciat? lentia (§. 550. *Oecon.*), tum beneficentia (§. 554. *Oecon.*) & (§. 474. *Ethic. P. V.*). Jam naturaliter omnes homines obligantur sibi invicem ad benignitatem, quanta in potestate est, testandam (§. 23. *P. IV. Jur. nat.*). Benignitas vero gratis exercenda est (§. 19. *ibid.*) ideoque nihil vicissim ab altero, cui præstatur, recipit (§. 18. *ibid.*), licet ipse itidem ad benignitatem parem obligetur, & ad amandum benefactorem (§. 39. *seqq. ibid.*) Quia benignitas aliis bene cupiendo & faciendo, eos perficit, eorumque felicitati augendæ studet, & ad hæc homines invicem obligantur (§. 614. *P. I. Jur. nat.*): constat & hanc obligationem invitare homines ad colendam cum aliis societatem. Sed quo pluribus illam exhibere benignitatem nititur, eo est benignior, eoque rectius suæ respondet obligationi, omnem facultatum suarum usum postulanti (§. 609. *ibid.*). Quod quum melius fieri nequeat quam in optima civitate (§. 131. *seqq.*) & (§. 167.): innotescit, in benignitate debita dari invitamentum ad colendam quam valet civitatem, etiamsi nulla spes utilitatis in hominem redundaturæ, nullaque metus malorum propulsio civitatibus inesset; quod propterea nobilius eo esse intelligitur, de quo egimus §o præcedenti.

Quoniam bonitas vel benignitas Dei summa est, qua cuique rei creatæ gratis tantum tribuit bonæ, quantum sapientissime fieri potest (§. 699. *P. I. Theol. nat.*), licet nihil ipsi reddi pro tot beneficiis possit: palam est, benignitatem humanam quamdam ostendere hominis cum Deo similitudinem (§. 294. *P. III. Ethic.*). Quam ob rem quo amplior est illa benignitas, quo magis indies perficitur, quo minus homo eget, ut propterea ipsi ab aliis beneficia reddantur: eo propius ad similitudinem cum deo accedit, cujus in hac vita naturaliter compos fieri potest. Quamobrem ex studio similitudinis cum Deo, in exercenda erga alios quoscunque benignitate, ad quod

quod obligamur (§. 173. *P. I. Jur.nat.*) & (§. 1000. *P. I. Theol. nat.*) nobilissimum fluit invitamentum ad colendam, quum possumus, civitatem, etiamsi non egeremus officiis aliorum erga nos reciprocis.

Benignitate & beneficentia nihil esse naturæ humanæ accommodatius, edisseruit *Cicero L. I. Offic. c. 14.* in qua delectum dignitatis habendum esse docet, quo & mores ejus spectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & commoditas ac societas vitæ - - - & *c. 15.* pergit, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat. Colendum autem quemque ita esse, ut quisque maxime virtutibus modestiæ, temperantiæ & justitiæ est ornatus, quæ virum bonum attingunt. In *Lælii cap. 8.* ait: Sæpissime mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet; an esset hoc quidem proprium amicitiæ, sed antiquior & pulcrior & magis a natura ipsa profecta alia causa? Amor enim, a quo amicitia nominata, princeps est ad benevolentiam conjungendam - - - Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia, & applicatione magis animi, cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quæ ex se natos ita amant ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius: primum ex ea caritate, quæ est inter natos & parentes quæ dirimi nisi detestabili scelere non potest. Deinde quum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus & natura congruamus - - - Hunc deinde cap. 9. minime generosum vocat amicitiæ ortum, sed humilem, quem ex inopia atque indigentia arcessunt. Quod si ita esset, ut quisque est indigentior, ita ad amicitiam esset aptior, quod longe secus est. Vt enim quisque

maxime virtute & ſapientia ſic munitus eſt, ut nullo egeat, ſuaque omnia in ſe ipſo poſita habeat, ita in amicitiis expetendis colendisque eum maxime excellere - - - Vt benefici ſumus liberalesque, non ut exigamus gratiam, beneficiumque fœneremur, ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis ejus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. Poſt multa *cap.* 14. addit: nihil eſſe, quod ad ſe rem ullam tam illiciat & tam attrahat, quam ad amicitiam ſimilitudo - - - Nihil eſſe appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quam naturam. Quamobrem bonis inter bonos quaſi neceſſariam benevolentiam eſſe, qui ſit fons amicitiæ a natura conſtitutus. Sed eadem bonitas, ait, etiam ad multitudinem pertinet. Non eſt enim inhumana virtus, neque ſuperba: *quæ etiam populos univerſos tueri, eisque optime conſulere ſoleat*, quod profecto non faceret, ſi a caritate vulgi abhorreret - - - Tantum abeſt, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus & copiis & maxime virtute, in qua plurimum eſt præſidii, minime alterius indigeant, liberaliſſimi ſint, & beneficentiſſimi. Hæc ille ex mente *Ariſtotelis Polit.* L. *III. cap.* 6. quæ ſaltem eo faciunt, ut oſtendant, etiam locupletiſſimis potentiſſimisque, cujusmodi præ cæteris monarchæ dicantur, tamen ad colendas civitates, ſocietatemque cum ſui ſimilibus obligentur, ratione nobiliſſima Deique imitationem ſe digniſſimam ſiſtente. Relinquitur etiam ex dictis, utilitatem ex civitatum inſtitutione oriundam, ſequi potius ex illa debere, uti umbra ſuum corpus, vel honor virtutem, quam principem ejus cauſam eſſe ſtatuendam.

§. 192.

Primaria origine quomodo omnia ſint determinata.

Cæterum quia primaria civitatum origo pendet a numinis voluntate (§. 169.) ideoque a lege naturali præcipiente (§. 178.), ſaltem permittente, quæ minus recte habent (§. 177.): illa non requirebat niſi civitates optimas, cum in ſe, tum ratione Dei, totiusque mundi (§. 173.); hæc autem permittit, quæ ſatius eſt non impediri (§. 177.). Quare quia in origine civi-

civitatum spectari possunt partim quæ civitatibus sunt communia, partim, quæ illis propria: *voluntas divina* omnia complectens (§. 189. *P. I. Phil. pract. univ.*) *obligasse homines censenda est, ad optima quæque tum in generibus, tum in speciebus, civitatum, tum in singularibus quibusque civitatibus præferenda secus habentibus* (§. 174. *seq.*). Quatenus vero non impedit circa communia vel propria aberrationes humanas in eligendis, retinendisque civitatibus electis, eatenus illas permittere censetur, quamdiu permissio præstat impeditioni (§. 177.).

Quemadmodum lege naturali omnes hominum actiones sunt definitæ, nulla excepta, ut nihil desiderari in illa possit, ad rectam pravamque cujuslibet actionis indolem perspiciendam: ita mirum non est, primariam quoque civitatum originem, quoad omnia, quæ in ipsa esse debeant, & quæ secus habent, quam esse deberent, eadem lege esse præscriptam. Quotquot rite cognoverunt illam legem divinam viva cognitione, & secundum illam eligunt formantque suam civitatem, hi recte sibi suæque saluti publicæ consulunt. Secus vero agentes illis gemelli sunt, qui alias leges naturales transgrediuntur, peccandoque se pœnis reddunt dignos. Tenendum igitur hic idem est discrimen, quod in cæteris actionibus liberis, quæ quales esse debeant, legibus habetur sancitum; quales reapse fiant, & qualia inde experiantur fata, experientia docet.

§. 193.

Humana voluntas id, quod pravum est, rectum facere nequit. Quidquid enim rectum est, illud rationem sufficientem habet in essentia & natura agentis (§. 950. *P. I. Theol. nat.*), ideoque infert convenientiam, quanta haberi potest, cum summis perfectionibus (§. 65. *P. I. Philos. pract. univ.*). Humanæ actionis recta indoles requirit, ut nihil in ea desiderari possit ratione intellectus, voluntatis & facultatis locomotivæ (§. 79. *ibid.*). Quia lex naturæ nos obligat ad recte agendum (§. 189. *ibid.*), per-

Homo pravum nequit facere rectum.

perſpicuum eſt, rectam actionum noſtrarum indolem eſſe legibus naturalibus determinatam, & merito poni in convenientia noſtrarum actionum cum lege naturali, ut quoque ad actiones lege naturali permiſſas recte perpetrandas obligemur (§. 190. *ibid.*). Sed quoniam Deus autor eſt legis naturalis, ejusque obligationis (§. 274. *ſeq. ibid.*) ideoque lex naturæ eſt lex divina (§. 277. *ibid.*): lex naturæ nobis exhibet voluntatem Dei. Quæ dum nos obligat ad legem naturæ ſervandam (§. 276. *ibid.*) ſimul nos obligat, ut ſi recte agere velimus, componamus vitam noſtram ſecundum Dei voluntatem (§. 280. *ibid.*). Quidquid vero rectum non eſt in noſtris actionibus, illud eſt pravum, & transgreditur legem naturalem (§. 140. *ibid.*). Quamobrem ſi voluntas humana quidquam admittit, quod pravum eſt, illud non convenit voluntati divinæ, ſed transgreditur legem naturæ. Itaque quia fieri nequit, ut pravum ſimul conveniat voluntati divinæ, & non conveniat (§. 28. *Ontol.*), fieri etiam nequit, ut quod pravum eſt, ſimul ſit aut fiat rectum. Indubiæ igitur veritatis eſt, voluntatem humanam, ſi quid pravum vult, id rectum facere, eo ipſo, quoniam id approbat & vult, neutiquam poſſe.

Poteſt quoque brevius idem ſic confici: quidquid rectum eſt in liberis actionibus, id dependet a convenientia actionum eſſentia & natura rerum, quam Deus optime perſpicit, approbat, & legibus ſuis ſervandam hominibus præſcribit. Sed quidquid pravum eſt, illud non eſt rectum, ideoque rectum fieri nequit, etiamſi voluntati humanæ illud per errorem rectum eſſe videatur.

§. 194.

An voluntas humana quemquam obliget?

Voluntas humana nec ſe nec alios obligare ad prava, ſed tantum declarare poteſt agnitionem divinæ obligationis ſibi incumbentis, & obſequium eidem præſtandum. Voluntas humana id, quod pravum eſt, nequit facere rectum (§. 195.). Obligamur vero ad recte

recte agendum (§. 189. *P. I. Phil. pract. univ.*), quare fieri nequit, ut ad prave agendum seu ad illicita obligemur (§. 170. & 209. *ibid.*). Si quid ergo velit voluntas humana, quod pravum est, nec se nec alios, licet consentientes, ad illud obligare potest.

Si vero recta velit voluntas humana, tum ad recte illud faciendum jam obligata est lege naturali (§. 189. *P. I. Phil. pract. univ.*). Si ergo ea velit, quæ sibi præstare debet, non se sibi obligat, sed præstat, quæ sibi præstare a Deo ipsaque natura rerum obligatur (§. 275. *ibid.*). Pariter si ea velit, quæ aliis debet, proprie non se aliis obligat ad id præstandum, sed suam agnoscens obligationem naturalem, eamque divinam (§. 276. *ibid.*), id vult, ad quod a Deo rerumque natura erga alios obligatur. Quare agendo id, quod vult secundum legem naturalem, agnoscit, se ad illud obligari, suæque satisfacit obligationi. Si vero confestim illud agere nequeat, agnoscit tamen in posterum se id agere alterius causa posse & debere, tum declarat alteri, quando & quomodo id ipsi præstare velit. Quo ipso tacite simul declarat, se id tum recte posse, & facere ideo debere. Quapropter voluntas humana etiam quum rectum vult, nec se sibi, nec aliis proprie obligat, sed vel ipso facto tacite declarat sensum suæ obligationis & obsequium; vel verbis expresse declarat, quid alterius causa (recte agere possit, debeat &) velit, quum moraliter velle nil possit nec debeat, nisi quod rectum est (§. 115. *P. I. Phil. pract. univ.*). Proprie igitur voluntas humana dum se obligare ad licita dicitur, tantum declarat se agnoscere suam obligationem, eique esse obsequuturam.

Forsitan his objicietur, quod legitur §. 357. *P. III. Jur. nat.* scilicet, homines sese sibi invicem perfecte obligare posse mutuo consensu. Sed admonetur in *nota ejusdem §i*, consensum

hunc ſuam vim habere ab obligatione naturali, ſibi mutuo dandi & faciendi, prout unusquisque indiget re vel opera alterius, & a jure libertatis, vi cujus unicuique ſtatuendum, num facere vel dare poſſit, & num re vel opera alterius indigeat. Additur ſic liquere obligationem perfectam dandi & faciendi alteri quidpiam, vim ſuam accipere a lege naturali, qua homines obligantur ſibi mutuo ad dandum & faciendum, & quæ iisdem confert jus libertatis naturalis, obligationem naturalem neququam tollens (§. 159. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Notandum præterea eſt, agi in citato §. 357. de obligatione perfecta, quæ & jus perfectum alteri tribuit, quod antea non erat niſi imperfectum (§. 356. *P. III. Jur. nat.*). Enimvero obligatio naturalis ſive conſcientiæ in ſe non eſt imperfecta, quia agens contra illam peccat (§. 656. *P. I. Jur. nat.*); ſed tantum alteri perfecte non conſtat, ſitne in poteſtate alterius, nec ne? Nam ultra vires naturales & morales, ſeu contra officia potiora nemo obligatur (§. 209. & 115. *P. I. Phil. pract. univ.*). Sed per declarationem voluntatis id præſtandi, id ipſi innoteſcit ut ipſe dubitare non poſſit, alterum ſibi perfecte obligari, inde jus perfectum habet (§. 657. *ibid.*). Monetur inde (§. 397. *P. III. Jur. nat.*) in *nota*. Si homines ſinguli omni ſtudio id agerent, ut obligationi internæ, quæ in conſcientia datur (§. 656. *P. I. Jur. nat.*), eademque eſt cum obligatione naturali, ſatisfacerent, nulla opus fore externa obligatione, quæ ex declaratione alterius id alteri præſtandi intelligitur. Quia declaratio alteri quidpiam præſtandi, promiſſio vocatur (§. 361. *P. III. Jur. nat.*), conſtat jam, cur jus in alterum transferat id exigendi promiſſorique probe expendendum ſit, num re, quam dare promittit, ipſemet indigeat, & num tunc, quando facere promittit, ſibi vacaturum ſit, ac præterea num hoc dando vel faciendo deſit officio cuidam erga ſe ipſum, vel alios (§. 394. *ibid.*). Hoc enim idem eſt, ac promiſſori expendendum eſſe num interna adſit obligatio, quam agnoſcere & implere in conſcientia obligatur (§. 124. 129. *ibid.*) & (§. 608. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*). Impudentium tamen aliorum cauſa receptis dictionibus merito utimur, quando illis

illis officium quidquam denegare jubet. Vnde & se aliis, & hos sibi obligare jam Ciceronis ævo usurpatur. Nostrum non est disquirere, quid alii de his senserint; sed illud tantum adducemus, quod *Plato Dial. XI. de Legg.* in hanc mentem affert his verbis: quæcunque quisquam pactus non fecerit, prout assensus est, *exceptis his, quæ leges aut decreta prohibent, aut si quid ab injusta necessitate coactus promisit, & si quis ab inexspectata fortuna invitus prohibitus fuerit*, in aliis non servati pacti judicia tribuum fiant, si inter arbitros ante conciliari non potuerint. Similiter *Aristoteles Rhetor. L. I. c. 15.* docet, de pactis disquirendum esse num fide digna, an indigna - - - pacta propria & manifesta esse quasi legem privatam; *non tamen pacta efficere legem ratam* (κυριον), *sed leges pacta efficere rata, quæ cum lege conveniunt.* Antea monuerat legem non tam scriptam, quam non scriptam, quæ secundum naturam & semper est, spectandam esse. Obligationis mentio tum nondum occurrit.

§. 195.

Quia homines, nondum inita civitate, degunt in statu naturali, suntque in virili ætate inter se æquales & liberi (§. 124. 130. & 144. *seq. P. I. Jur. nat.*), & ob libertatem naturalem ipsis ab aliis permittendum est, ut unusquisque in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu nihil molitur contra jus aliorum (§. 156. *ibid.*) eorumque conscientiæ relinquendum, utrum actionem quandam committere vel omittere velint (§. 157. *ibid.*), ut nemini rationem reddere actionum suarum obstringantur (§. 158. *ibid.*): dispalescit, *relinquendum quoque ipsorum arbitrio esse, utrum, quando, & cujusmodi civitatem ineundam sibi & colendam eligere velint.* Licet enim libertas non tollat sed includat potius obligationem naturalem (§. 159. *ibid.*) quia tamen homines libere agere debent, huic quoque suæ obligationi sponte sua est satisfaciendum. *Manet*

Optio civitatum est libera

igitur *hominibus optio civitatum libera, uti manere debuit libere acturis.*

Mirum esse nequit, optionem civitatum pronuntiari liberam, quum quælibet civitas officio suo recte fungens par sit fini civitatis consequendo, cujuscunque sit generis vel speciei (§. 150. P. VIII. *Jur. nat.*). Ipsa, quæ in mundo regnat, mirifica rerum varietas, sapientia divina duce & autore gaudens, hominibus quoque varietatem proposuit actionum liberarum, & modorum easdem rite determinandi ipsis suffecturam, ad imitationem numinis divini, quanta est in ipsorum potestate. Inde hujus optionis civitatum non tantum in suo genere optimarum (§. 87. *seq.*), sed & cæterarum ab his diversarum, cancelli minime angusti, sed tanti ambitus esse intelliguntur, quantum capit rei natura, & quem exhaustum jam esse nemo contendet.

§. 196.

Optio illa est facto publico declaranda?

Optio civitatis non potest non facto quodam publico declarari. Ponamus enim, homines optionem suam animo quidem facere sed ita premere velle, ut nihil illius foras prodatur, quis tum eorum intelligere poterit, quid cuique placuerit, & deturne inter illos consensus, nec ne; quoniam nemo alterius animi recessus perspicere valet. Qui fieri tum poterit ut sciant, quid sibi publicæ salutis causa sit faciendum vel fugiendum, cui sit imperandum vel parendum? Absque his quoniam salus publica haberi nequeat, manifestum est, optionem civitatis solo animo ne tum quidem absolvi posse, quum casu quodam omnes in unam eandemque formam consentirent, sed de ipso consensu nemini constaret. Quapropter si optio civitatis salvo ejus fine animo occultari nequeat, necesse est, ut ea omnibus quorum interest, facto quodam publico declaretur & innotescat.

Directe illud sic ostendatur: Quia hic optio est electio civitatis ejus, quæ ex pluribus maxime arrisit (§. 195.), & in quam

quam vel omnes omnino cives, vel major eorum pars consensit, ut in qualibet societate fieri debet (§. 79. & 107. *P. VIII. Jur. nat.*): de ea, quæ omnibus arrisit, aut propter majorem votorum numerum arridere debuit, civitate constare omnibus debet, ut finis civitatis obtineri possit (§. 31. *seqq.*). Sed de iis, quæ animus alterius cujuscunque secum statuit, constare nobis nequit, nec de ejus vel consensu vel dissensu ratione illius, de quo agitur, nisi vel signis vel factis aliis illud declaret (§. 660. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Quare quia & signa illa in hoc casu facta sunt quædam, ad aliud significandum comparata (§. 958. *Ontol.*); & factum commune, civium omnium causa editum, publicum salutatur (§ 23. *P. VIII. Jur. nat.*): conficitur, optionem civitatis non posse non facto quodam publico declarari.

In declarando consensu vel dissensu utuntur homines vel verbis similibusque signis, diserte consensum vel dissensum significantibus usu recepto, vel factis hujusmodi, e quibus consensus dilucide apparet, quia sine consensu vel dissensu nequaquam ita susciperentur ederenturque. Factum autem hic in genere notat actionem liberam, eamque externam seu in aliorum sensus incurrentem (§. 24. *P. I. Philos. pract. univ.*), vel qua aliquid ab agente diversum producitur (§. 153. *P. II. Phil. pract. univ.*). Ab agente vero etiam differt sonus & vox quam edit, seu ore, ut in audientium aures, seu scripto, ut in legentium oculos incurrat. Quare illum significatum strictiorem, quo verba factis opponuntur, nunc non attendendum esse liquet.

§. 197.

Tale factum vel licitum est vel illicitum.

Factum illud, cui civitatum origo secundaria debetur, potest esse vel licitum, vel illicitum. Aut enim hujusmodi factum repugnat legi naturali, aut eidem non repugnat. Si eidem repugnat, est illicitum; si illi non repugnat, licitum erit (§. 170. *P. I. Phil. pract. univ.*). Vtrumque circa civitatum originem,

æque ac circa aliarum ſocietatum originem contingere poſſe, extra controverſiæ aleam poſitum eſt, & vel ex poſſibili libertatis humanæ uſu & abuſu liquet, quem nemo non in ſemet experitur. Factum igitur publicum, cui ſecundaria civitatis origo debetur, aut licitum erit, aut illicitum (§. 52. *Ontol.*).

Si quis in civitatum, quæ olim fuere, aut etiam nunc ſunt, originem inquirere vellet, & ad utrum genus hujus vel illius civitatis origo jure referenda eſſet, diſceptare: ejus foret, ſingulas omnesque perveſtigare rationes, qua illa eſt conſtituta, easdemque accurate conferre cum legibus naturalibus, ut indubie intelligeret, num illæ his repugnent, nec ne. Quam diſcuſſionem & valde operoſam, & parum gratam multis fore, facile prævideri poteſt. Relinquimus illam, cui ipſa arrideat. Noſtro inſtituto ſufficit, indubium id eſſe, quod, uti ſingulorum privata, ita quoque publica ad univerſæ civitatis originem pertinentia facta, alterutrius generis eſſe poſſe intelligantur.

§. 198.

Facto illicito orta civitas nec felix nec ſtabilis.

Si civitas facto illicito oriatur, illa omnino felix ac ſtabilis eſſe nequit. Scilicet factum illicitum repugnat legibus naturalibus (§. 170. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), ideoque eſt prohibitum. Sed ad facta prohibita omittenda obligantur homines a Deo pœnis (§. 288. *ibid.*) iisque tum naturalibus (§. 306. & 308. *ibid.*), tum poſitivis (§. 307. & 309. *ſeqq. ibid.*). Pœnæ autem ſunt mala phyſica, ab eo, qui alterum obligandi jus habet, ob malum morale eidem immiſſa (§. 285. *ibid.*); ideoque excludunt bona his malis oppoſita, quibus bonis homo poterat gaudere, ſive ſint bona animi, ſive corporis ſive fortunæ, quæ præmiorum loco eſſe poterant (§. 295. *ibid.*). Præterea felicitas non niſi legis naturalis cuſtodia obtinetur & conſervatur (§. 396. *ſeq. ibid.*). Quare factum repugnans legi naturali felicitati eſt contrarium. Eapropter ſi civitas facto illicito oriatur, illa ſe pœnis obnoxiam reddit, & felix eſſe nequit.

Si

Si tamen facto illicito civitas oriatur, illud factum non erit impeditum ſed duntaxat permiſſum (§. 584. *P. I. Theol. nat.*). Eaque permiſſio tunc Deum non dedecuit (§. 586. *ibid.*). Quam quia Deus tum ſapientiſſime decrevit (§. 714. *ibid.*); ab ipſius ſapientia ſimul definitum eſt, quamdiu illa permiſſio durare debeat, itaque tantum aliquamdiu permiſſio locum habet (§. 177.). Quidquid vero tantum aliquamdiu permittitur, illud tantam durationem habere nequit, quantam habere potuiſſet, ſi nulla opus fuiſſet permiſſione, h. e. ſi non repugnaſſet divinæ legi, ideoque *ſtabile* dici nequit, hoc eſt tamdiu durabile, ac fieri ſalva re poteſt. Quocirca ſi facto illicito civitas ſit orta, ea ſtabilis eſſe nequit. Item ſi civitas ſic orta ſit, ut felix eſſe nequeat, nequit ea ſtabilis eſſe.

Inſerimus hic notionem ejus quod *ſtabile* dicimus, quia uberiori explanatione indigere non videtur. Vnde & ſtabilitas quid ſit, liquet, videlicet continuatio exiſtentiæ ſeu perennitas tanta, quantam res capere in optimo rerum ordine valet.

§. 199.

Quæ civitatis origo infelicior & inſtabilior?

Quo plura facta illicita in civitatis origine ſecundaria admittuntur, eo minus felix & ſtabilis civitas erit. Si enim facto illicito civitas oriatur, illa felix & ſtabilis eſſe nequit (§. 198.). Ergo unum quodque factum illicitum obeſt & derogat civitatis & felicitati & ſtabilitati. Quo plura igitur facta illicita civitatis originem ſecundariam ingrediuntur, eo magis illa repugnabit legi naturali, cujus cuſtodia felicitas nititur (§. 396. *P. I. Phil. pract. univ.*), eoque minus felix eſſe poterit. Quo minus felix erit, eo & minus ſtabilis, ſeu eo inſtabilior erit cenſenda (§. 198.). Quapropter quo plura facta illicita in ſecundaria civitatis origine admittuntur, eo ipſa jam a primordio ſuo infelicior inſtabiliorque erit ſtatuenda.

Refert ſacer codex nefariam originem civitatis Abimelechi & Sichemitarum ſtrage 70 fratrum, factam, ſed & brevi extinctam

tinctam Judic. IX. nec non originem regni Israëlitarum Jeroboami, cultu idolorum vitulinorum vitiatam 1 Reg. XII. *seqq.* cujus interitus tum in familiis imperantium, tum in universum non adeo longe ab ortu fuit remotus. Quam brevi tempore Absolomi principatus nefarius occidit?

§. 200.

Quid hic nefas proximum & remotum dicatur?

Facta illicita, circa originem civitatum admissa, vel ipsam originem ingrediuntur, eidem causam dando, vel non. Nimirum causam dare facto dicitur, quod ejus rationem unicam continet (§. 504. *P. III. Jur. nat.*). Si non plane unica est causa, sufficit, si inter causas præcipuas memoranda sit, quod tunc inprimis attendendum, quum causæ originis plures esse solent, uti in civitatum origine. Si nefas notat quodlibet factum illicitum, quia causa unica item præcipua simul est causa proxima, *nefas proximum*, nempe origini civitatis, designabit quævis facta illicita, causam dantia origini civitatis. Inde *nefas remotum* vel adventitium notabit factum illicitum, quod origini civitatis causam non dat, vel non dedit.

Quia illicitum est prohibitum, ideoque salva lege & felicitate fieri nequit: *Cicero* Platonis Timæi sententiam: universitatis hujus quasi parentem invenire difficile, & quum jam inveneris, indicare in vulgus, ἀδύνατον, bene reddidit, nefas. Vid. *fragm. de univers. haud procul ab initio.* Loquitur nempe de indicio tum temporis in vulgus a veri Dei cultu alienum faciendo, quod Socrati capitale fecerunt accusatores & judices illius. Potissimum enim accusabatur, quod Deos, quos civitas esse censuit, ipse non censeret, novaque Deorum numina introduceret, atque juventutem corrumperet, morte ideo plectendus. Vid. *Laërt. L. II. Sect. 40.*

§. 201.

Tendit vel contra Deum

Nefas proximum in ortu civitatum *potissimum vel in Deum redundat, vel in homines alios.* Scilicet nefas proximum causam dat

dat oriundæ civitati (§. 200.), continetque facta illicita (*ibid.*), eaque publica (§. 196.). Hinc vel a tota civitate eduntur, vel illius nomine & consensu, atque ideo ad totam pertinent civitatem (§. 23. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare, quia quod quispiam contra se ipsum facit, privatum est factum; nefas proximum non tam erga se ipsum, quam potius erga alios, itaque vel homines vel Deum admittitur. *vel alios homines.*

Non infitiamur, eos etiam contra se ipsos & communia sua bona agere vel officiis erga se ipsos adversari, qui vel officiis erga Deum, vel erga alios homines contraria suscipiunt. Ita tamen unusquisque suæ potissimum felicitati obnititur, idque facto privato; licet dum omnes idem agunt, conjunctim, publico facto aliorum felicitati simul officiant. Hinc quatenus nefas publicum est, repugnat vel officiis erga alios sæpe plurimos, vel officiis erga Deum.

§. 202.

Nefas erga Deum in origine civitatum admissum est impietas publica. Nefas in origine civitatum admissum erga Deum continet facta publica eaque illicita erga Deum (§. 201.). Sed facta illicita erga Deum sunt impia, quia repugnant Dei voluntati, vel legi naturali (§. 1149. *P. I. Jur. nat.*). Quia vitium, quo homo suis erga Deum officiis contraria agit, impietas audit (§. *eod.*), quæ lege naturali prohibetur (§. 1152. *ibid.*): constat satis superque, nefas proximum in ortu civitatum adversus Deum admissum, redire ad publicam impietatem. *Illud est impietas publica.*

Quoniam nostratibus impietas dicitur Gottlosigkeit, erit impietas publica die Gottlosigkeit eines Staats, vel die Staats-Gottlosigkeit. Posset vero etiam quia publice ratihabetur seu approbatur dici die öffentliche Gottlosigkeit.

§. 203.

Impietas publica se exserit vel omittendo id, quod publice erga Deum fieri debebat; vel committendo, quod publice erga Deum fieri mi- *Impietas publica vel pro-*

ſitiva eſt vel privativa. nime debebat. Quarum illa *negativa*, hæc *poſitiva* dici poſſet. Etenim impietas publica exercet erga Deum facta publica eaque illicita (§. 202.). Facta quælibet ſunt actiones liberæ (§. 153. *P. II. Phil. pract. univ.*), & actiones liberæ vel ſunt privativæ vel poſitivæ; quarum illæ omiſſionem voluntariam ejus, quod fieri poteſt; hæ commiſſionem ejus, a quo agens abſtinere poterat, involvunt (§. 24. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Quam ob cauſam impietas publica ſe exſerit vel omittendo publica erga Deum officia; vel publicis erga Deum officiis contraria, ſeu committendo & agendo id, quod publice neutiquam erga Deum fieri debebat. Hinc illa recte dicetur impietas publica privativa ſeu negativa; hæc vero impietas publica poſitiva. Latinius illa deficiens, hæc excedens vocari poſſet.

§. 204.

Irreligio publica. *Impietas publica deficiens publicam complectitur irreligionem, vel cultus divini denegationem.* Deficiens impietas publica laborat defectu officiorum erga Deum, omittendo illa, quæ Deo publice ab omnibus debebantur (§. 208.). Debetur autem Deo ab omnibus vera ipſius cognitio, vel ſcientia Dei ejusque attributorum & operum (§. 1129. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*), & genuinus Dei cultus publicus (§. 1121. *ſeqq. ibid.*) & (§. 1229. *ſeqq. ibid.*). Genuinus Dei cultus, verusque de Deo ſenſus, vel modus Deum debite colendi religio dici conſuevit (§. 512. *P. II. Theol. nat.*). Quare hujus denegatio vel defectus inter omnes erit irreligio publica. Conſtat igitur impietatem publicam deficientem inferre publicam irreligionem, vel denegationem & defectum publici cultus divini.

Religio ſane naturalis lege naturali præcipitur eſtque æque immutabilis ac ipſa lex naturæ (§. 506. *P. III. Ethic.*). Quæ quum omnium ſit hominum, ut nemini liceat illam violare, polluere aut tollere prorſus (§. 507. *ibid.*): cultus quoque divinus

vinus tam privatus quam publicus in civitate est necessarius (§. 511. *ibid.*). Quam ob rem irreligio privata & publica omnino prohibita esse intelligitur. Potest autem defectus cultus divini saltem in privatis hominibus oriri ex ignorantia Dei: quemadmodum inter feras a puero adulti nihil cultus divini exercere deprehensi sunt. Vid. *Oecon.* §. 252. & quemadmodum surdus mutusque natus vir, recuperato auditu, & religionem edoctus, confessus est, se antea de his nihil cogitasse, teste *Hist. Acad. Scient. Parisin. A. 1703. p. 18. seqq.* Sinenses perantiquos Deum dari ignorasse concedit Philosophus *in notis ad Orationem* suam *de Philosophia sinarum practica n. 54.* Quæ alii de gentibus Dei notitia destitutis memoriæ prodidere, de his statuat, qui volet excutere fidem autorum. Potest idem neglectus cultus divini apud alios oriri ex Pyrrhonismo, seu dubitatione de existentia numinis, in variis casibus (§. 418. *P. II. Theol. nat. seqq.*). Potest denique idem religionis defectus oriri ex negatione existentiæ Dei, seu atheismo (§. 411. *ibid.*). Si quis atheismum tam late accipere velit, ut & ignorantes Deum, & de eo dubitantes & ipsum negantes comprehendat, tamen classes atheorum distinguendas fore, ne diversa inter se confundantur, admonetur in *Schol.* (§. 432. *P. II. Theol. nat.*). Cæterum irreligio etiam pendet ex fatalismo, & spinozismo (§. 7. & *seqq. ibid.*).

§. 205.

Cultus Dei falsus.

Excedens publica impietas omnem cultum falsum involvit, tum apertiorem, uti idololatriam latius dictam; tum tectiorem & subtiliorem, in Deismo, Epicuræismo, hypocrisi & superstitione. Ea nempe, quæ in excessu peccat, publica impietas per terrorem committit erga Deum illa, quæ publice fieri minime debebant (§. 203.). Agit ergo in cultu Dei, a quibus abstinendum, & quæ officiis erga Deum sunt contraria (*ibid.*). Talia vero habentur in cultu Dei falso, per quem vel colitur, qui aperte Deus non est (§. 1259. *seqq. P. I. Jur. nat.*), vel verus Deus non eo modo colitur, quo est colendus. Cultus igitur veri Dei est falsus ratio-

ne modi, itaque tectius. Priori casu committitur idololatria (Abgötterey) latius dicta, complectens quemvis cultum divinum rei creatæ tributum, vel etiam idolo, sive simulacro Dei exhibitum (§. 1257. *seq. P. I. Jur. nat.*). Posteriori incurritur in Deismum, quatenus is negationem providentiæ divinæ significat (§. 529. *P. II. Theol. nat.*); in Epicuræismum quatenus is licentiam notat vivendi prout lubet (§. 717 *ibid.*); in externam tantum pietatis simulationem, quæ hypocrisis dicitur (§. 1161. *P. I. Jur. nat.*); & in superstitionem, qua homines agunt per erroneas de Deo ejusque providentia opiniones (§. 1255. *ibid.*).

Extitisse olim hujusmodi civitates, & superesse etiam nunc nonnullas, falso Dei cultu laborantes, certo certius est. Pertinet nempe ad priorem casum cultus solis & astrorum, quem quadamtenus excusat *Liber sapientiæ XIII. 6. seqq.* saltem deteriores multo statuit strictius dictos idololatras *ibid. v. 11. seqq.* Pertinet eodem omnis Polytheismus paganorum, & manichæismus, & quæ generis ejusdem. Ad posteriorem casum etiam refertur anthropomorphismus, materialismus &c. (§. 579. *seq.* & §. 616. *ibid.*). Jam si in origine civitatis hujusmodi impietas publica inter omnes aperte detur, qui civitatem condere instituunt, eandemque civitati intexunt & publico consensu stabiliunt, illa impietas publica causam dare civitati, sic & non melius informandæ, perspicuum est. Si vero ab initio illa impietas nondum adfuit, sed successu temporis demum irrepsit & invaluit, dici nequit illam origini ejus civitatis locum dedisse (§. 200.). Posset vero etiam longe antea impietas obtinuisse, & postea in ejus locum successisse pietas, ad quam stabiliendam nunc ineatur civitas: & tunc impietas non nisi remota foret ratio civitatis, neque tamen ipsa in se, sed damna potius inde orta, & studium ea in posterum evitandi.

§. 206.

Quid majori impietati

Quo major impietas publica in civitatem admittitur, eo minor ceteris paribus erit ipsius felicitas stabilitasque. Impietas enim publica

blica est vitium publice receptum & inter omnes usitatum (§. 202.). Ea vero est vitiorum indoles, ut tanquam fœcundi habitus pravi innumera facta illicita edant (§. 322. P. I. Phil. pract. univ.), ipsoque frequenti exercitio augeantur & intendantur (§. 325. ibid.). Quo magis invalescunt vitia, eo promtius fertur appetitus in eorum exercitium, eo is est ardentior impetuosiorque (§. 428. Psychol. empir.), eoque gravius & sæpius peccant, efficiuntque in animo constantem & perpetuam voluntatem committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 329. P. I. Phil. pract. univ.), quæ in impietate officiis erga Deum repugnant. Duplici igitur modo major fit impietas partim ob frequentiorem numerum actionum impiarum, partim ob majorem malitiam & gradum intensiorem impietatis. Quæ si conjungamus in civitate, ubi illa publica est impietas, cum omnibus civitatis membris: perspicuum est, in quantam magnitudinem, & in quantum excessum partim, partim defectum officiorum erga Deum (§. 203.) invalescere impietas publica possit. At quo plura facta illicita in origine civitatis secundaria admittuntur, eo minus civitas felix stabilisque evadit (§. 199.). Proinde etiam, quo major impietas in civitatis origine admittitur, vel quo majori impietati publicæ fores in ea aperiuntur, eo minorem cæteris paribus illius felicitatem stabilitatemque esse futuram. *publicæ debeatur?*

Neque id ignorarunt vel a vero Dei cultu alieni, falsosque deos colentes. Quem in finem Camillus in Senatu romano hæc verba fecit: Equidem si nobis cum urbe simul positæ traditæque per manus nullæ essent religiones; tamen tam evidens numen hac tempestate rebus affuit romanis, ut omnem negligentiam divini cultus exemtam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res vel adversas, invenietis omnia prospere evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus - - - Quid hæc tandem urbis nostræ clades nova,

num ante exorta eſt, quam ſpreta vox cœlo emiſſa de adventu Gallorum? - - - Igitur victi captique ac redemti tantum pœnarum diis hominibusque dedimus, ut terrarum orbi documento eſſemus. Adverſæ deinde res admonuerunt religionum. Reliqua legantur in *Livii Hiſt. L. V. c. 51. ſeq.* Quia in civitate condenda aut aliquis, aut nullus Dei cultus definiendus eſt, patet ingredi facta impietatis ipſum civitatis exordium. De remotis igitur impietatis factis, non attinere videtur, ut ſeorſum dicamus.

§. 207.

Contra alios peccatur in ortu civitatum improbitate publica.

Nefas erga alios in civitatum origine admiſſum improbitas publica dicatur. Nimirum nefas in origine civitatum erga alios admiſſum conſtat ex factis illicitis iisque publicis (§. 201. & 196.). Sed facta illicita erga alios repugnant officiis charitatis probitatisque (§. 362. *Oecon. in Schol.*). Quare quia probitati publicæ repugnat improbitas publica: nihil obſtat, quo minus nefas in origine civitatum erga alios admiſſum improbitas publica dicatur.

Si probitas dicatur die Redlichkeit, erit improbitas die Unredlichkeit. A quo uſu latini non abhorrent, licet non perpetuo ſic iſto nomine utantur, ſed ſubinde pravitatem eo deſignent. Erga alios procul dubio eam refert *Tullius pro Muræna c. 4.* dicens: ſin autem fuga laboris deſidiam, repudiatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit: nimirum hæc cauſa eſt ejusmodi, quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. Quanquam ibi potiſſimum ad neglectum officioſitatis reſpexiſſe ob ultima verba videtur.

§. 208.

Improbitas illa vel eſt publica injuſtitia vel iniquitas.

Improbitas publica aut injuſtitia publica eſt, aut iniquitas tantum. Etenim improbitas publica aut perfectis repugnat officiis erga alios, aut imperfectis (§. 656. & 663. *P. I. Jur. nat.*). Priori caſu facta repugnant juſtitiæ officiis, poſteriori officiis æquitatis (§. 424. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*) & (§. 240. *P. I. Philoſ. pract.*

pract. univ.). Quoniam justum & æquum tantum dicitur in officiis erga alios (§. 241. *ibid.*); & quidquid fit contra jus perfectum alterius injustum; quidquid vero fit contra illius jus imperfectum iniquum vocatur (§. 239. *ibid.*): manifestum est, improbitatem publicam aut esse injustitiam publicam, aut publicam iniquitatem.

§. 209.

Si publica iniquitas committitur in ipsa origine civitatis, semina discordiæ & querelarum seruntur, facile sensim succrescentia in civitatis detrimenta aut eversionem. Etenim si publica iniquitas committitur, ea vel in ipsam civitatem propriam tendit, vel in aliam. Si manet intra ipsam civitatem, & magna civium pars adeo clare sentit iniquitatem erga se admissam. Vt de eadem conqueratur, ipsi jure suo volent, ut æquius secum esset actum. Hinc circumspicient occasionem coërcendi iniquitatem, quantum possunt, saltem efficiendi, ne in posterum eadem vel similia patiantur. Quam ob rem, si id consequi officiorum præstatione aliisque modis mitioribus nequeant, vel in pœnam officia humanitatis iisdem denegabunt, quod licite facere possunt (§. 292. *P. V. Ethic.*), vel nec sic scopum obtinebunt, & majora inter ipsos orientur discidia, e quibus invalescentibus contraria orientur studia, in damna aliorum erga se invicem connitentia, in factiones, turbas aut exitium civitatis abitura. *Damna publicæ iniquitatis.*

Sin iniquitas alii aut aliis infertur civitatibus, non possunt non peregrini ægre eamdem ferre, quatenus ea est manifesta. Sequentur inde itidem querelæ (§. 546. *P. V. Ethic.*), aliaque mitiora remedia ad iniquitatem vel mutandam, vel in posterum declinandam, uti in priori casu. Quæ si irrita deprehendantur, adhibentur retorsiones juris (§. 583. *Jur. Gent.*), repressaliæ (§. 589. *seqq. ibid.*). Vnde aliis alias excipientibus molestiis, facile oboriuntur injuriæ invicem illatæ, ex his bella,

cala-

calamitatesque perplures, vel exitium civitatis. Elucent igitur rationes, cur femina difcordiæ & querelarum ferantur, fi publica iniquitas committatur in ipfo civitatis primordio, & cur illa femina fenfim fuccrefcant in civitatis detrimenta aut everfionem.

Duplex nempe datur iniquitas, occultior altera, altera manifeftior. Illam is, cui infertur vel ignorat vel tam incerte cognofcit, ut eam inferenti vix imputare poffit. Hanc vero probe fentit ea affectus, ut vel nullum vel vix ullum de ea dubium ipfi fuperfit. De pofteriori hic fermo eft. Ponamus quibusdam civitatis partibus ufum jurium priftinorum relinqui, aliis, quarum ratio difpar non eft, eum denegari, & diverfum obtrudi; vel aliis plura tribui & majora, aliis pauciora & minora tantum jura, nulla de caufa. Nonne tunc fores aperiuntur difcordiis & dividiæ civium, quando alii temere aliis præpofiti aut poftpofiti aliis intelliguntur, aliorum favore aut odio aliove affectu? Item ponamus alterius civitatis commercio interdici, denegari ipfi hæreditatis & legatorum fructum, vel ad illam abituris infolitam imponi bonorum detractionem, vel tranfituris inauditum vectigal. Facillimumne iniquis placitis retorfionem opponere, & lites ex litibus ferere & captare, immifcentibus fe affectibus, in gravia mala erupturis? Neque diffimulandum eft quamcunque iniquitatem divinis legibus repugnare, itaque involvere fimul impietatem, non eluſuram juftam Dei vindictam, eo graviorem, quod publica dum eft a plurimis committitur, & in plurimos, continuaturque in longum tempus. *conf.* §. 206.

§. 210.

Publica injuftitia quid caufetur?

Publica admiffa injuftitia in civitatis origine, multo majus fibi arceffit civitas periculum. Injuftitia enim eft vitium perfectis aliorum juribus, perfectisque noftris erga alios officiis repugnans (§. 589. *P. V. Ethic.*). Non veretur ergo edere actiones, quibus

bus perfectum aliorum jus vel diminuitur, vel quomodocunque usus illius impeditur, vel prorsus tollitur (§. 239. *P. I. Phil. pract. univ.*). Hinc publica injustitia ab universa civitate admissa, saltem illius nomine, contra perfecta aliorum jura grassatur. Quæ si in ipsa civitatis origine admittitur, non potest non alios, qui injuriam perpetiuntur, sui monere officii cavendi, ne vel ipsi amplius lædantur, vel alii (§. 1057. *P. I. Philos. pract. univ.*). Hinc læsi gaudent jure lædentem adigendi, ne in posterum denuo lædat, & præcavendi, ne alii id exemplum sequuti ipsos, vel lædens alios itidem lædere audeat (§. 1058. *ibid.*). Gaudent inde jure puniendi lædentem, quantum necesse est ad periculum læsionis futuræ avertendum (§. 1059. & 1061. *ibid.*). Quare manifestum est, quanto periculo se exponat civitas statim in ortu suo publicam designans injuriam.

Ea, quæ attulimus, tantum pertinent ad periculum ab aliis hominibus utique metuendum, quorum interest, ut securi sint uti a privatis, ita & a publicis injuriis. Præter quod, si vel homines impares forent injuriæ puniendæ & arcendæ, imminet tamen certissima ultio divina, facta per injustitiam pro merito indubie punitura suppliciis a nulla civitate subterfugiendis. Quæ supplicia ob graviorem injustitiæ malitiam multo majora fore in injustos, quam in iniquos, e notionibus inter se comparatis nullo negotio concludatur.

§. 211.

Intrinsecus publica injuria opprimit libertatem innocentium.

Committitur publica injuria sub ipsum civitatis ortum intrinsecus oppressione libertatis innocentium. Aeque ac iniquitas vel committebatur in propriam civitatem, vel in alienam (§. 209.): injustitia vel proprios cives saltem futuros, injuria afficit, vel peregrinos. Si enim ante ortum civitatis vici qualescunque degunt in naturali libertatis statu, nec illi subesse cupiunt, qui imperium in illos affectat; tum libertas naturalis est jus perfectum (§. 858. *P. I. Jur. nat.*), & quisquis innocenti libertatem natu-

ralem vi eripit, injuſtus in ipſum eſt (§. 240. P. I. Phil. pract. univ.), eundemque injuria afficit, ſibi eundem vi ſubjiciendo (§. 859. P. I. Jur. nat.). Sed qui innocenti eripit libertatem naturalem, eundemque vi ſuæ ſubjicit poteſtati, is dicitur ejus libertatem opprimere. Quis ergo dubitet, committi propria in viſcera injuriam publicam ſub ipſum civitatis ortum, ſi quis vicus alios vicos innocentes, aut ſi qua civitas aliam civitatem innocentem ſub ortum civitatis vi exuat ſua libertate naturali, oppreſſa illius libertate ſibi illam ſubjiciendo?

Hujusmodi videntur fuiſſe primævi illi נפילים qui gigantes redduntur, vel irruentes in alios, eosque opprimentes, item potentes ſeu viribus aliis prævalentes *Geneſ.* VI, 4. & XIV, 5. Nec non Nimrodus præpotens venator, non tam ferarum, quam hominum, vi regno ſuo ſubjectorum *Geneſ.* X, 8 10. Nata inde quoque videtur Gigantum fabula, qui ob juſtitiæ & religionis contemtum cœlum oppugnaſſe feruntur. De quibus *Ovidius L. V. Faſtor.* quaſi e *Geneſ.* XI, 4. ſeqq. canit:

Terra feros partus, immania monſtra, gigantes
  Edidit auſuros in Jovis ire domum.
- - - Exſtruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
  Et magnum bello ſollicitare Jovem.
Fulmina de cœli jaculatus Juppiter arce,
  Vertit in autores pondera vaſta ſuos.

Cui vacat, is ex Hiſtoria quotquot volet exempla addat.

§. 212.

Extrinſecus violando pacta aliaque jura perfecta.

Extrinſecus committitur injuria publica ſub ortum civitatis, violatione pactorum, & jurium perfectorum aliis debitorum. Si enim extrinſecus committitur injuria publica, illa aliam ferit civitatem (§. 211.). Quare læditur alia civitas, agiturque contra illius jura perfecta (§. 859. P. I. Jur. nat.). Sed jura perfecta vel ſunt connata vel adquiſita (§. 26. & 35. P. I. Jur. nat.). Ad connata refertur Jus æqualitatis (§. 81. & 130. ibid.); libertatis natu-

naturalis (§. 146. *ibid.*); conſervationis ſui (§. 17. *ibid. not.*) & aliorum (§. 608. *ibid.*); ſecuritatis (§ 919. *ibid.*) defenſionis ſui (§. 973. *ibid.*) & aliorum (§. 990. *ibid.*); jus perficiendi ſe ipſum (§. 173. *ibid.*); & alios tanquam ſe ipſum (§. 609. *ibid.*); jus puniendi lædentes ſe (§. 1061. *ibid.*) idque infinitum (§. 1063. *ibid.*) ne tamen modus excedatur (§. 1066 *ibid.*); item puniendi lædentes alios (§. 1069. *ibid*) & jus belli (§. 1104. *ibid.*). Quæ vero naturaliter non intelliguntur perfecte deberi, ad ea mutuo conſenſu ſeu pacto jus perfectum adquiritur (§. 787. *ſeqq. P. III. Jur. nat.*), ſaltem declaratur agnita obligatio perfecta (§. 194.).

Quapropter violatio pactorum itidem injuria eſt. Liquet igitur, extrinſecus publicam committi injuriam, ſi ſub ortum civitatis violentur pacta, alia jura perfecta connata, ſeu quæ aliis natura ipſa perfecte debentur.

Quia contra perfecta aliorum jura agit, qui non veretur illa diminuere, aut prorſus tollere, ſaltem eorum uſum quomodocunque ex parte aut omnem impedire: manifeſtum eſt, quot modis publica perpetrari injuria extrinſecus, vel in origine civitatis poſſit. Exempli loco ſumamus pactum, ante civitatem legitime initum, ſi illud in ipſa origine civitatis violetur. Quis hæſitaret, publicam committi injuriam, ſi quemadmodum Zedekias defecit a pacto ſubjectionis, quo Regi Babyloniæ obnoxius erat, aliud quoque pactum vel fœdus ortu civitatis novæ violaretur?

§. 213.

Avertendo periculo interno ægre nec diu ſufficit vis ſuperior, præſtat vero emendatio iniquitatis & injuſtitiæ admiſſæ. Periculum enim internum eo minus eſt negligendum, quo illud eſt propius, & quo certius eſt, illud jam ineſſe veluti viſceribus civitatis. Prouti igitur morbo viſceribus corporis inhærenti omni cura eſt occurrendum, ut periculum, quod minatur,

Quomodo occurratur periculo interno?

avertatur: ita quoque corpori civitatis morali inhærens malum periculum minatur, ſuo tempore non ſine gravi illius damno erupturum, niſi illi tempeſtive occurratur (§. 209. 211.). Jam quidem morbus naturalis externis remediis interdum quadamtenus coërcetur, ſed per ea minime tollitur, verum invaleſcit nihilominus, ut ſæpe lethalis evadat, quando cauſæ illius non ſunt quantocyus internis remediis ſublatæ. Sic etiam morbus hic civitatis ad tempus quidem vi externa ſuperiori poteſt compeſci, ne tantisper illius vis ſentiatur. Enimvero quia nullum violentum eſt diuturnum, experientia teſte, vis illa ſuperior ſenſim remittit, debilitatur, variisque cauſſis frangitur & vi morbi impar evadit, & tum vis morbi eo majorem edit ſubverſionem rerum, ſaltem eo majus periculum civitatis, quo magis ægritudo invaluit. Ægre igitur tantum nec diu ſufficit vis major avertendis periculis internis. Præſtat igitur cauſas morbi tollere e medio civitatis, ad pericula amovenda. Quæ quia ſunt iniquitas & injuſtitia admiſſa, curandum eſt, ut illæ aboleantur, & emendatione plena æquitas atque juſtitia adhibeatur. Melior igitur medela periculorum internorum arcendorum adhiberi non poterit, emendatione iniquitatis injuſtitiæque admiſſæ.

Cur hic mihi ad experientiam recurrendum fuerit in hujus remedii confirmatione, perpetua fere mali hujus civilis comparatione cum corporis humani morbo, lectores acuti haud difficulter reperient, attendentes ad ea, quæ §. 6. præmonenda duxi. Recte autem adhibitum hic eſſe artificium heuriſticum, quo uſus ſum, ex eo intelligi poteſt, quia homo moralis ſimili modo conſiderandus eſt ac homo naturalis (§. 70. *P. I. Jur. nat.*) & civitates ſpectandæ inſtar hominis moralis in ſtatu naturali degentis (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*). Reparanda ſunt igitur, quoad fieri poteſt, damna iniquitate & injuſtitia data, efficiendumque, ne quid tale poſtea contingat.

§. 214.

§. 214.

Multo magis exteriori securitati consulendum potius est æquitate & justitia in locum iniquitatis & injustitiæ surrogata, compensatis pro modulo virium damnis, quam adhibendo tantum vim præpotentem. Etenim, si, iniquitate aut injustitia in aliam civitatem, vel alias civitates, admissa, pericula civilium malorum sint provocata (§. 209. & 210.); tanto majus est periculum, quanto minus id exploratum habet civitas, quod extra se geritur aut paratur, & quanto majores sunt vires offensæ civitatis sive in se ipsis, sive propter fœdera cum aliis sancita. Graviores igitur adsunt causæ, quam §. 213, omnem navandi operam, ut partim tollantur quærelæ obortæ, causis earum remotis, partim compensentur resarcianturque damna, si qua sunt data (§. 580. P. II. Jur. nat.). Quoniam vero causæ querelarum in admissa iniquitate & injustitia continentur, *per hypothesin;* manifestum est, abrogandam esse admissam iniquitatem vel injustitiam, substituta in illius locum æquitate, in hujus locum justitia. Sic sublata causa tolletur effectus (§. 898. & 901. *Ontol.*), querelarum & periculi in nostro casu. Enimvero si sola tantum vi præpotente niti civitas velit, quia illa est mutabilis, variisque causis inopinato sæpe mutatur, æque ac in (§. 213.), illa evanescente saltem non amplius sufficiente, periculum vel exitium erit omni medela majus. Conficitur exin remedium periculorum externorum prius longe esse excellentius posteriori, vix remedii loco ponendo.

Quomodo occurrendum periculis externis?

Neque hic attulimus nisi rationes humanas, ab aliarum civitatum indole petitas; quibus adjungendæ etiam sunt divinæ, a Dei scilicet gubernatione mundi & civitatum, superiori omni vi humana derivandæ. Quæ enim a voluntate numinis abhorrent, ea si non impedit Deus, saltem permittit, quamdiu præstat permissio impeditioni & clementia exercitio vindictæ omnium justissimæ. Hac ergo periodo imminente, omnia collabascunt

ſcunt humana conſilia & arma, fitque juſtitia, etiamſi civitati ſit pereundum.

§. 215.

Civitates ſecundario oriuntur a mutuo conſenſu.

Facta licita, civitati originem ſecundariam præbentia, redeunt ad mutuum conſenſum in publicam ſalutem conjunctis viribus procurandam. Secundaria enim civitatum origo conformanda primariæ, tanquam ſuæ normæ (§. 175.). Et quia primaria origo pendet a voluntate divina, ſecundaria vero tantum a voluntate humana (§. 169.): conformanda eſt voluntas humana voluntati divinæ circa civitatum originem. Sed ſi facta ſint licita, illa ſunt conformia divinæ voluntati, quia eidem neutiquam repugnant (§. 170. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Præterea voluntati divinæ convenit ſalus publica, tanquam finis civitatibus propoſitus (§. 36.); eaque requirit civitates optimas (§. 173.), obligans ſimul homines, ad eaſdem eligendas (§. 174.). Quamobrem quia publica ſalus non niſi conjunctis viribus obtineri poteſt, ideoque & ſic obtinenda eſt (§. 31. *ſeqq.*): manifeſtum eſt, mutuum conſenſum in hunc finem conjunctis viribus proſequendum, eſſe neceſſarium. Redeunt igitur facta licita, civitati originem ſecundariam datura, ad mutuum vel communem conſenſum in publicam ſalutem conjunctis viribus procurandam.

Quia civitas eſt ſocietas (§. 31.), & ad ſocietatis culturam omnes homines obligantur (§. 174.); ſecundaria autem civitatum origo pendet a voluntate humana (§. 169.): fieri aliter nequit, quam ut omnium ſociorum voluntas id velit, ad quod omnes æqualiter obligantur, videlicet civitatis ſelectum & cultum. Quando plures idem fieri volunt, tum dicuntur conſentire (§. 658. *P. I. Phil. pract. univ.*). Nonne ſic apertiſſimum eſt, facta originem civitati humanam præbentia, quando licere aut prorſus adhiberi debent, non poſſe non ab omnium voluntate libera, & inter ſe conſentiente proficiſci. Si quis negat voluntatem

voluntatem liberam, si negat consensum ejus in civitatem ineundam, negat simul originem civitatis humanam.

§. 216.

Ideoque a pacto quodam. Quoniam conventio de iisdem promissionibus pactum est (§. 788. *P. III. Jur. nat.*), & in conventione datur eorum, qui idem decernunt seu inter se conveniunt, consensus (§. 699. *ibid.*), ut ideo *Ulpianus* (*l. 1. §. 2. ff. de pact.*) pactionem dicere potuerit duorum pluriumve in idem placitum consensum: haud obscurum esse potest, dum facta licita civitati originem secundariam largientia, redeunt ad mutuum consensum in publicam salutem conjunctis viribus consequendam (§. 215.), illa requirere pactum quoddam. Vnde *originem civitatum secundariam pacto deberi* patescit.

Similiter ostenditur (§. 2. *P. VIII. Jur. nat.*), quia domus singulæ sibi non sufficiunt in rebus, ad vitæ necessitatem, commoditatem, jucunditatem & felicitatem facientibus, nec quiete jure suo frui, quod ab aliis ipsis tribuendum est, tuto consequi, nec se suaque adversus vim aliorum defendere valent, necessum fuisse, ut inter se convenirent paciscerenturque de viribus suis conjunctim impendendis in ista omnia sibi paranda. Vnde (§. 4. *ibid.*) infertur, pacto hominum civitates fuisse constituendas, easque legi naturæ convenienter esse constitutas (§. 26. *ibid.*).

§. 217.

Inde vel pacto expresso, vel tacito, vel quasi pacto. Ob consensum hominum vel expressum, vel tacitum, vel præsumtum, dantur pacta vel expressa, vel tacita (§. 791. *P. III. Jur. nat.*) vel quasi pacta (§. 504. *P. V. Jur. nat.*). Jam civitatum origo secundaria debetur pacto (§. 216.). Quærendum igitur erit, quonam pactorum genere, an omni isto civitas oriatur. Vt alias a mutuo consensu & libera paciscentium voluntate pendet modus pro re nata recte paciscendi (§. 12. & 357. *P. III. Jur. nat.*): ita quoque *in civitatum origine libertati*

tati ipſorum naturali optio erit, num pacto expreſſo, an tacito, aut quaſi pacto in civitatem conſentiendum ſit? Quid pro rei natura præſtet, deliberandum decidendumque erit, ubi ventum erit in rem præſentem.

Sicubi de his caſibus judicium eſt ferendum, ibi conſiderandæ erunt notæ conſenſus diverſi. Expreſſus enim derivandus ſemper erit e diſertis ſeu propriis aptiſſimisque verbis, quibus eſt invicem declaratus. Tacitus metiendus eſt e factis & omiſſis, ſine iſto conſenſu nullum locum habituris, ſeu nequaquam ſtatuendis. Præſumtus vero ex aperta alterius utilitate aut felicitate, in quam non poteſt non conſentire officio ſuo functurus, uti par eſt (§. 660. *P. I. Philoſ. pract. univ.*) & (§. 545. *P. IV. Jur. nat.*).

§. 218.

Modus civitatem ordiendi clariſſimus eſt pactum expreſſum.

Modus civitatem ineundi clariſſimus eſt pactum expreſſum. Modus enim civitatem ineundi requirit communem eorum conſenſum, qui civitatem eligunt, ideoque invicem de illo omnibus conſtare debet (§. 215.). Atqui clarius de illo conſtare ipſis invicem nequit, quam ſi eundem verbis diſertiſſimis, ſeu adeo perſpicuis ſincere declarent, ut nullum de eo dubium cuiquam ſupereſſe poſſit. Hujusmodi diſerta & planiſſima verba requirit conſenſus expreſſus, quo pactum expreſſum definitur conſtituiturque (§. 217.). Apparet igitur modum civitatem conſtituendi clariſſimum dari in pacto expreſſo.

Sæpius contingit, ut factis prodi & intelligi voluntas nequeat, ſaltem id non indubie fieri poſſit, de quo caſu capiendi ſunt verba *Ciceronis pro Cæcin. c. 18.* ſi voluntas tacitis verbis intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur. Eapropter tum opus verbis apertis, notisque iis, quorum intereſt, ut mentem noſtram intelligant. Hoc quoniam ſæpiſſime uſu venit, mirum non eſt, civitatum ortum ut plurimum pactis per verba nemini obſcura declaratis deberi.

§. 219.

§. 219.

Verba non minus ore quam ſcripto cum aliis communicari poſſe, inter omnes conſtat. Pacta expreſſa, quia verbis perſpicue animi ſenſa patefacientibus abſolvuntur (§. 217.) pariter vel viva voce tantum utuntur, vel literis conſignantur. Priora pacta tantum nuncupata, poſteriora ſcripta pacta appellantur. Vnde omnino intelligitur, *civitates quoque oriri poſſe tum ſcriptis, tum dictis tantum* ſeu *nuncupatis pactionibus.* Quia pacta viva voce inita ſtipulationes dici poſſunt, paullo ampliata romanorum ſtipulatione; & pacta literis perſcripta, chirographi ſunt ſeu documenta literarum: oriri civitas poteſt vel ſtipulatione vel chirographo. *Idque vel nuncupatum vel ſcriptum.*

Cui ignotum eſt, teſtamenta Romanorum vel voce tantum prolata vel in literas redacta fuiſſe, quorum illa dicebantur nuncupata, hæc ſcripta? Inde licebit eundem agendi morem etiam ad pacta transferre, eaque nuncupata appellare, quæ viva voce celebrantur; quæ vero literis conſignata & memoriæ poſterorum prodita fuere, ſcripta appellare pacta, quibus civitas initiata fuit.

§. 220.

In ſtatu naturali perinde eſt, utrum pacta nuncupata tantum ſint, an literis conſcripta. Agitur enim in his pactis tantum de conſenſu, invicem verbis perſpicuis declarando (§. 217.). Sed lippis omnibus atque tonſoribus notum eſt, non minus viva voce, quam ſcriptura conſenſum mutuum declarari poſſe, & tantumdem valere promiſſum ore vel ſtipulata manu factum, ac literis exaratum hodieque in ſtatu civili (§. 846. *P. III. Jur. nat.*). Quare quia in ſtatu naturali multo magis a libertate paciſcentium dependet electio modi, quo ſibi conſenſum ſuum declarare poſſunt (§. 217.), dum de eo inter ipſos convenit, unum idemque eſt ſive nuncupatis uti malint pactis, ſive adhibitis literarum monumentis. *Quia utrumque tantumdem valet.*

Quia maxima hominum pars etiam nunc rudis literarum legendarum scribendarumque esse solet, & antiquis temporibus ne quidem inventæ erant literæ, atque etiam postquam literæ innotuere, populi plures earum mansere expertes: conjectu facile est, civitates antiquas, multasque alias nuncupatis potius, quam perscriptis pactis coaluisse & initiatas esse. Vnde nec pacta hujusmodi antiqua supersunt.

§. 221.

Par est utrobique obligatio divina.

Non minor est nuncupati quam scripti initiationis pacti obligatio divina. Etenim in statu naturali perinde est, utrum pacta tantum nuncupata sint, an literis consignata (§. 229.). Idcirco æque licet viva voce declarare suum in civitatem consensum, ac literis exaratis, vel æri aut marmori insculptis, & utrumque tantumdem inter paciscentes valet. Enimvero obligatio ad civitates constituendas colendasque est juris naturalis præcipientis (§. 178.), atque immutabilis (§. 180), antequam homines paciscantur. Proinde paciscendo inter se sibi invicem declarant sensum & obsequium obligationis divinæ (§. 194.). Quo ipso dum mutare obligationem suam nequeunt, manet illa eadem, ideoque nihilo minor est nuncupati quam scripti initiationis pacti obligatio divina religioque.

Aliter sic: Voluntas humana proprie nec se nec alios obligare potest, sed declarare tantum, se agnoscere suam obligationem divinam, promtamque esse ad illi satisfaciendum, & omnino esse satisfacturam (§. 194.). Manente igitur divina & immutabili obligatione eadem, non minor esse potest obligatio paciscentium, si ore tantum sibi invicem suam voluntatem declarent, quam si manu scribente id, quod ore professi sunt, literis tradatur.

§. 222.

Accedit etiam humana.

Quatenus tamen paciscentes sibi invicem declarant suam voluntatem

tatem satisfaciendi suæ obligationi, eatenus ad divinam obligationem accedit humana. Equidem humana voluntas efficere nequit, ut quod pravum est fiat rectum, & vice versa (§. 193.), itaque nec se nec alios ad prava committenda vel bona omittenda obstringere valet (§. 194.). Quia tamen velle potest & debet id, ad quod divinitus obligatur (§. 119. *P. I. Phil. pract. univ.*); si paciscitur, declarat, se velle id, quod paciscitur, facere, taciteque simul declarat, se agnoscere suam obligationem divinam & religionem conscientiæ (§. 194.). Quam voluntatem, quia verbis paciscentes sibi invicem profitentur, aliis argumenta præbent, quibus convincantur agnitæ a se suæ obligationis divinæ, & declaratæ voluntatis eidem sponte, ut par est, satisfaciendi. Hæccine argumenta valebunt ut testimonia humana contra ipsosmet, eruntque rationes sic, uti pacti sunt, & non aliter agendi? Quæ rationes ab ipsismet cum sua promissione connexæ, quid sunt, nisi invitamenta ad ita agendum obligantia (§. 118. *P. I. Phil. pract. univ.*). Ergone patet, accedere obligationem humanam ad divinam hac suffultam, quatenus paciscentes sibi invicem declarant suam voluntatem id agendi, quod promittunt?

§. 223.

Itidem utrinque æqualis.

Nemini dubium est, eadem verba, promissa & pacta æquipollere, positis cæteris iisdem, sive nuncupata tantum sint, sive scripta (§. 220.). Quamobrem quia obligatio divina non minus est in pacto nuncupato, quam in scripto (§. 221.); & ope pacti ad divinam obligationem adjicitur humana (§. 222.): liquidum est, *humanam quoque obligationem in pacto nuncupato tantum nihilo inferiorem esse ea, quæ cæteris paribus eidem perscripto inesset.*

Si cui in mentem veniret, interesse tamen haud parum inter pactum nuncupatum tantum, & idem illud scripto proditum;

 id

id ei lubentes largiremur ſalvo eo, quod hic ſtabilimus. Etenim vox audita perit, libera ſcripta manet, dum ſupereſt ſeu conſervatur. Hinc ſcriptum bene conſervatum ſalvum ſupereſſe poſt multa ſæcula poteſt ſoletque. Sed quæ viva voce tantum acta ſunt, eorum oculati teſtes ſi vel innumeri fuerint, tamen intra ſæculum circiter omnes moriuntur, & qui deinceps reſtant, nonniſi auditu ſua accepere. Loquitur autem locupletiſſima teſtis experientia, quam facile oblivioni dentur, quæ non aliter, quam ope memoriæ diu admodum retinenda ſunt. Quod quum oculatis teſtibus haud raro accidat, in primis debiliori tantum facultate inſtructis, & ſenio infirmatis, multo magis frequentiusque his accidit, qui pacto non interfuere ipſi, ſed ab aliis tantum ſua, eaque vix amplius ſincera accepere. Sed hic tale diſcrimen minime vel negatur, vel in dubium vocatur, ſed tantum de illa agitur obligatione humana, quæ unumquemque paciſcentem ſtringit, donec vivit. Huic nihil derogatur per defectum ſcripturæ, quod vel ex quotidianis pactis civilibus perſpectum habetur, quæ ſæpiſſime non ſcribuntur, ſed nuncupantur. Ipſa quoque poſſeſſio tam diuturna obſtat, quo minus vel admodum longævus ſuæ ſe ſubducere poſſit religioni. Cæteri illi, qui mortuorum in locum ſuccedunt, novis ſuisque obſtringuntur pactis, ut ſive de majorum pactis plane conſtet, ſive minus, parum referat.

§. 224.

Effectus obligationis humanæ.

Facit hæc obligatio humana, ut ex propria confeſſione certum ſit, paciſcentes de civitate ſibi perfecte obligari ad ea, quæ pacto ſibi promiſere. Si unica duntaxat eſſet natura civitatis, nemini dubium eſſet, quid ratione illius omnibus incumbat. Quoniam vero multa dantur, quæ in civitatum electione aliter atque aliter definiri poſſunt, & pro re nata debent, e quibus optio eſt facienda: per ſe non patet, quid ab hominibus eligi debeat, ideoque de electione ſtatuendum eſt e rerum & hominum indole (§. 194.). Quod quia omnium unanimi conſenſu fa-

ſu faciendum, quatenus fieri poteſt (§. 31.), accedere debet illa conſenſus declaratio in pacto propria confeſſione certum faciens, quid paciſcentibus de ordienda civitate ſua placuerit. Ex eadem igitur certum fit omnibus paciſcentibus, eos ſibi perfecte obligari ad illa, quæ pacto ſibi invicem recepere.

Vbi certa eſt obligatio naturalis, v. c. neminem eſſe lædendum, ibi illa perfecte obligat. Hinc conſcientiam ejus, qui illius ſibi conſcius eſt, ſtringit, ut absque peccato & pœnæ demerito ſe illi ſubducere nequeat. conf. *not. ad* §. 194. Eatenus fere obligatione humana non opus eſt, ubi certum eſt, divinam obligationem eſſe perfectam. Quatenus tamen homines obligatione ſua adjuvare naturalem illam poſſunt, ne alii eam ignorent, vel pravitate ſua illi impune deſint, perficere ſe mutuo & ſic obligantur. Recte igitur, uti parentes liberos, civitas cives ſalutis communis cauſa quoque ſuos obligat pœnis humanis, ne officio ſuo tam frequenter deſint, ſed pœna pacto approbata vel peccantes ipſi ad meliorem frugem revocari poſſint, vel alii ipſorum ſupplicio a ſimilibus abſterreantur. Multo magis igitur, quando de perfecta aliorum erga ſe invicem obligatione agnita vel agnoſcenda conſtare nequit, niſi ex profeſſione pacto facta, opus erit, ut ea adeſſe certo intelligatur ex pacto rite confecto. Hinc dicitur jus naturale imperfectum, abire ope pacti in jus perfectum (§. 787. *P. III. Jur. nat.*), & mutuo conſenſu effici, ut quod imperfecte debebatur, dein debeatur perfecte (§. 404. *ibid.*). Si vero ſub exordium civitatis in primo illo pacto nulla pœnæ mentio fiat, illud tamen, uti alia pacta, nulla ſanctione pœnali munita, illo, quem diximus, effectu non carebit, ut ſcilicet conſtet liquido de obligatione paciſcentium civitatem exordiendi, unde jus perfectum fluit.

§. 225.

Quia ſecundaria civitatum origo conformanda eſt primariæ (§. 175.), primaria vero requirit optimas civitates (§. 174) *Qua opus ſit conſultatio-*

ne ratione civitatis ordiendæ?

174.) & obligat homines ad optima quæque in sua electione cæteris præferenda (§. 192): apertum est, pactum exordiendæ civitatis non sine matura deliberatione esse formandum (§. 391. *seq. P. III. Jur. nat.*). *Opus igitur est diligenti consultatione*, qua probe probeque expendatur, *quid* in præsenti rerum hominumque conditione *ratione ineundæ civitatis sit factu optimum* (§. 388. *ibid.*) ne incurratur in culpam, quæ potuisset evitari.

Necessitas maturæ deliberationis & consultationis quoque ex eo intelligitur, quia in civitate non agitur de re exigui momenti vel privata tantum, sed de communi omnium bono & salute publica (§. 35. *seq*). Omnium igitur interest, ne deproperetur judicium de eo, quid omnibus ex æquo sit profuturum vel nociturum, & quid inter reliqua melius aut deterius censendum?

§ 226.

Cur pacta de civitate jurato fiant?

Pacta ineundæ civitatis recte jurata fide firmantur. Quia salus publica, tanquam finis civitatis (§. 36.) res est permagni momenti, dum & felicitatem hominum perficiendam & rerum affluentiam, tranquillitatem, securitatemque quanta haberi potest, sibi habet propositam (§. 51.): plurimum refert, ut de vera paciscentium sententia in re tanti momenti tam certa omnibus fides fiat, ac haberi inter homines potest (§. 916. *P. III. Jur. nat.*). Quare quum jurans suo jurejurando se obliget ad verum dicendum (§. 880. *P. III. Jur. nat.*), suamque fidem de veritate dictorum ei, cui jurat, validissime obstringat (§. 881. *ibid.*): nihil consultius videri potest, quam ut pacta ineundæ civitatis rite deliberata jurejurando firmentur.

Equidem largior, jusjurandum non producere novam obligationem aliquid præstandi (§. 903. *P. III. Jur. nat.*), neque pactum per se invalidum reddere validum posse (§. 905. *ibid.*). Quia tamen continet pactum de vero dicendo (§. 884. *ibid.*), jurans se alteri obligat ad verum dicendum (§. 885. *ib.*), omnes-

que

que removet tacitas exceptiones & reservationes fraudulentes (§. 908. *seq.*). Quas ob res perspicitur, pacta quoque de civitate ordienda jurata fide firmari, & obligationem eorum reverentia numinis & metu vindictæ divinæ non eludendæ eo reddi perfectiorem, etiamsi pejerantium & perjuriorum pœnæ una non constituantur. Hinc *Aristoteles Rhetor. ad Alexandr. c. 18.* Quum jusjurandum inquit, urgemus, dicendum, neminem pejerare velle, cum divini supplicii metu, tum ignominiæ apud homines. Latere quidquam homines posse, deos autem non posse.

§. 227.

Unde panagium dictum? & homagium?

Quoniam in civitate constituenda singuli se obligant universis, quod commune bonum pro virili promovere velint, & universi se obligant singulis, quod rerum ubertati, tranquillitati & securitati prospicere velint (§. 28. *P. VIII. Jur. nat.*); pacta vero ineundæ civitatis recte firmantur jurejurando (§. 228.): omnium fidem juratam in civitate requiri & adhiberi recte posse dubio caret. Jusjurandum ab omnibus singulisque civibus in majorem pacti civitatis servandi fidem datum, *Panagium* Politici vocasse videntur; παν & ἁγιον, veluti omnibus sacrum, vel omnium & commune sacramentum componentes. Neque ignotum est Græcis vocabulum παναγης & παναγιος sanctissimus, ut veluti sanctissimum dicatur jusjurandum. Aliis *homagium* eodem sensu dicitur ab ὁμοω unio, vel ὁμȣ ἁγιον: aliis pro subditorum jurata fidelitate, qui significatus est receptior.

De panagio lege sis *Balth. Cellarii Politicam succinctam cap.* 19. ubi & baronagium explicatur. De his suo loco agendum. Huc eatenus refertur, quatenus etiam primo civitatis pacto firmando adhibetur.

§. 227.

Si civitas pacto illicito quantumvis jurato ineatur, ex eo nulla *Pacto illicito*

nasci

statui civitas nequit. *nasci potest obligatio, jus nullum.* Pactum nempe illicitum erit, cui vel illicitus præstituitur finis, vel si finis non sit illicitus sed vel licitus vel præceptus, tamen facta illicita eliguntur ad finem illum consequendum. Ast ubi finis est illicitus, ibi societas quantacunque est illicita (§. 153. *P. VII. Jur. nat.*) Et quia propter finem licitum non licet facere quidquam illicitum (§. 154. *ibid.*), societas, quæ finis liciti consequendi causa utitur factis & rebus illicitis, pariter illicita est (§. 155. *ibid.*). Ex illicita autem societate nullum nascitur jus, nullaque obligatio (§. 156. *ibid.*). Quare etsi civitas (perperam dicta) pacto illicito ineatur, tamen ex illo ejus pacto nulla nasci posset obligatio, inde & nullum jus. Quantumvis igitur pactum illicitum fide jurata sit receptum, nihilosecius illud erit invalidum, quia jusjurandum nullam inducit obligationem per se, nec pactum invalidum reddere validum potest (§. 903. *seqq. P. III. Jur. nat.*).

Confirmari illud etiam sic potest. Pactum humanum non continet nisi consensum voluntatis humanæ in idem (§. 216.). Sed voluntas humana, quod in se pravum est, nequit facere rectum (§. 193.) itaque nec quod illicitum in se est facere licitum potest. Propterea voluntas humana nec se nec alios ad prava & illicita obligare potest (§. 194.), sed tantum ad licita & divina obligatione jam commendata. Quamobrem nec pacto illicito quantumvis jurato, eoque magis illicito, se aliosve ad quidquam uti ad civitatem ordiendam, obligare valet, nec ullum jus ita nancisci (§. 23. *P. I. Jur. nat.*).

Quemadmodum (§. 208. *seqq.*) de factis illicitis disseruimus, eorum in ortu civitatum noxam ostendendo; sic de pacto illicito (si id pactum appellari meretur), & de gignenda pacto illicito civitate, (itidem hoc nomine indigna) pauca hic sufficiet indicasse exempla. Si qua hominum conjunctio in alios omnes ene-

enecandos extirpandosque conspiraret, ut eorum opibus ditionibusque potiretur: quis hunc finem licitum vocare posset. Par foret ratio, si sceleratissimorum colluvies ad bello perpetuo probos omnes eradicandos spoliandosque conjuraret. Vix tamen melior foret hujusmodi civitas, quæ quidem domi suos fortunare, & erga egenos liberalitatem exercere vellet, ut piratica & latrociniis ea quæreret, quibus illa consequeretur & præstaret. Cum nulla esse possit in his casibus ex pacto obligatio, frustra ejusmodi cives contenderent, sibi per pactum non aliter agere licere, ut v. g. tributum dare possint suo protectori. Neque juvaret eos, si quis hoc eorum errori condonandum diceret: quia & illa pacta sunt illicita & invalida, quibus error causam dedit (§. 569. *P. III. Jur. nat.*).

§. 228.

Si quidem consensum vi metuve incusso extorquere non licet liberis hominibus (§. 574. *P. III. Jur. nat.*): nemo vi metuve incusso adigendus est ad promittendum vel paciscendum (§. 575. *ibid.*). Quare si quis alterum vi metuve incusso adigat ad promittendum, nullum inde jus adquirit (§. 576. *ibid.*). Inde quoque pactum civitatis ineundæ vi vel metu incusso extortum, nullam pareret obligationem. Quare *nec civitatis pactum sola vi metuve incusso extortum quamvis juratum valere per se posset.* *Civitatis pactum sola vi metuve extortum non valet.*

Sermonem hic esse de vi injusta, atque de metu ex hujusmodi vi profecto, illa planum faciunt, quibus utimur, principia concludendi. Vnde rapina quædam libertatis hic admittitur (§. 574. *cit.*). Si quis arbitretur, jure belli pacta extorqueri vi metuque & nihilominus valida esse, itaque ortum civitatis similem pariter belli jure validum esse: ille bellum justum confunderet cum injusto. Ex bello nempe injusto nullum jus nasci potest, quatenus est injustum (§. 777. *Jur. Gent.*), quod qui gerit, non est nisi prædo, invasor vel latro (§. 778. *ibid.*). De

justo autem bello, vim metumque justum includente & adhibente, hic sermo non est.

§. 229.

Vitiatur quoque hoc pactum errore & dolo.

Similiter vitiaret pactum civitatis error eidem causam dant, & dolus. Etenim si error det causam promisso, ipsa promissio valida non est (§. 570. *P. III. Jur. nat.*), & alteri damnum culpa datum ope erroris est resarciendum (§. 571. *ibid.*), quod multo magis de dolosa inductione ad promittendum patet (§. 573. *ibid.*). Quia pactum omne continet vel promissionem unius ab altero acceptatam, vel mutuas promissiones & acceptiones (§. 788. *ibid.*): pactum quoque civitatem auspicans validum esse non poterit, si vel errore vel dolo altera pars ad paciscendum ab altera inducatur. Eodem igitur modo ac §. 228. efficitur, si pactum ordiendæ civitatis non nisi errore aut dolo obtineatur, etiamsi jurata fides accesserit, id tamen validum in se non fore (§. 200.).

Si alteruter paciscentium errore adhibito alterum inducit ad paciscendum, id fieri potest vel culpa tantum, vel etiam dolo intercedente. Priori casu ipse in errore versari potest, qui alterum in eundem deducit errorem, quare culpa utriusque error committetur, quatenus uterque errorem detegere & evitare potuisset; vel si ipse non errat, tamen per oblivionem aut præcipitantiam, incogitantiam & inconsiderantiam alteri erroris autor fit, sine quo non pepigisset. Posteriori casu sciens id falsum esse, quod alteri pro vero obtrudit, malitiose eundem ad errandum inducit, ideoque gravius peccat, quam in casu priori.

§. 230.

Num dentur rationes legitimæ servandi pactum invalidum?

Licet pactum civitatem exordiens per se sit invalidum, possunt tamen dari rationes legitimæ, illud nihilominus servandi, donec vis metusque exspiret. Si enim vel amnestia sit libere inita, qua vel injuste facta perpetuæ oblivioni dantur (§. 989. seq. *Jur. Gent.*); vel

vel usurpatori imperii homagium libere præstetur (§. 363. *P. III. Jur. nat.*): agnoscitur naturalis obligatio ferendi, quæ mutari non possunt, patientiæ virtute (§. 592. *seq. P. I. Jur. nat.*). Quam diu igitur eadem manet ratio vis metusque prævalentis, tamdiu eadem manet obligatio pactum ex ea causa initum servandi. Quia tamen in fortuna adversa meliora non sunt desperanda (§. 589. *ibid.*): utendum erit melioribus dum adsunt, & donec adsint adversa erunt toleranda animo' æquo. Accedere etiam potest emendatio ejus, quod antea illicite est factum pactumque vitiabat, & melius sit civibus deinceps in eadem civitate, atque in alia præcedente; itaque etiamsi mutari possent, quæ illicite facta sunt, nunc præstet ob has rationes non mutari civitatem, quam mutari, propter obligationem, quod melius est, præferendi deteriori (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Elucet igitur, dari sæpe rationes legitimas servandi pactum civitatem exordiens, quamvis per se invalidum, donec vis metusque exspiraverit, quo facto, utrum mutatio speranda præstet, nec ne deliberandum statuendumque erit.

Si sentiat v. c. usurpator, sibi inutile & ignominiosum fore homagium solo metu extortum, ideoque rem ita instituat emendetque, ut sperare liberum populi consensum possit, præstaret liberam populo facere declarationem an in his adquiescere malit, quam antiquum obtinere. Sic novo liberoque pacto pristinum vitiosum aboleretur. Neque enim promissa servanda esse constat, si sint inutilia vel plane nocitura promissario (§. 798. *seqq. P. III. Jur. nat.*). Quemadmodum a promissoris voluntate dependet, utrum promissione, quæ invalida est, stare tamen velit nec ne, ideoque alia quacunque lege nunc idem promittere velit (§. 436. *Institut. Juris nat.*): ita quoque in pacto sub auspicia civitatis inito res habet, ut licet illud ita, uti initum fuit, invalidum sit, tamen promissores fidem datam ex aliis rationibus, v. c. ob præpondium potentiæ alterius paciscentis, &

majoris periculi evitandi causa, præstare malint, donec mutata rerum facie lætior affulgeat spes suo utendi jure.

§. 231.

Quid tacitum civitatis pactum requirat?

Si pactum auspicandæ civitatis tacitum adhiberetur, ejusmodi id declarandum esset factis, quæ nisi ope mutui consensus in civitatem admitti nequeunt. Pactum enim tacitum tacito initur consensu (§. 791. *P. III. Jur. nat.*). Tacitus vero consensus judicatur ex factis, seu commissis seu omissis, sine isto consensu neutiquam subeundis (§ 660. *P. I. Philos. pract. univ.*). Quapropter & pactum tacite civitatem orsurum ejusmodi requirit facta aperta, e quibus consensus in civitatem mutuus manifesto constet, propterea quia illa sine isto consensu a nemine sano admitterentur.

Hujusmodi facta forent imperium sua sponte susceptum, & spontaneum aliorum obsequium ad hostes arcendos. Vnus in his sensus, animus, usus factis testatus consensum loquitur sive ab alterutra sive ab utraque parte. De Germanis *Tacitus cap. 7.* Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita potestas, & duces exemplo potius, quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. Cæterum neque animadvertere, neque vincire neque verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in pœnam, nec ducis jussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Cæterum de pactis, tacitis minimum, in omnium civitatum origine admittendis disseruit *Puffendorfius de Jur. nat. & Gent. Lib. II. c. 2. §. 7. & 8.*

§. 232.

Maximæ civitatis origo secundaria quasi pacto debetur.

Quasi pacto non immerito niti dicatur civitatis maximæ secundaria origo. Ipsa enim natura societatem inter omnes omnino homines instituit, obligans eosdem ad commune bonum conjunctis viribus promovendum (§. 8. *Jur. Gent.*). Cujusmodi societas cum civitas maxima dicatur (§. 31.): ipsa natura civitatem maximam instituit, obligatque homines ad eam colendam.

dam. Quam ob rem si omnes omnino homines suam salutem nossent, ex maxima civitate in se redundaturam, naturali appetitione suæ felicitatis ferrentur in eam colendam, saltem dum vel maxime illam ignorant, ferri tamen in eamdem deberent. Proinde etiam illi, qui hoc suum officium ignorant, aut errore quodam ab eo abhorrent, tamen ab aliis sapientioribus recte præsumuntur id velle duce ratione debere. Sed ejusmodi societas, in qua aliorum aut apertus aut tacitus adest consensus in commune procurandum bonum, aliorum autem consensus præsumitur, seu recte statuitur esse moraliter necessarius & debitus, quasi pacto orta censetur. Eapropter civitatis maximæ secundaria origo merito niti dicatur quasi pacto (§. 9. *Jur. Gent.*).

Non indiget quidem maxima civitas humana origine, divina gaudens, qua sola subsistit & invitat omnes ad ejus culturam, etiamsi pacisci inter se de ejus cultura nequeant (§. 184.). Quia tamen obligatio divina homines devincit ad illius culturam, de jure consentire in illam debent, & qui intelligunt sua emolumenta, eatenus feruntur in illa adipiscenda fœderibus amicitiæ, commerciorum, & subsidiorum invicem ferendorum causa sancitis. Vbi vero & nulla hujusmodi fœdera panguntur, ibi tamen obligatio adest naturalis, manetque, qua se homines liberare nequeunt, nisi eidem prout par est satisfaciendo. Simili modo in parentum ac liberorum, tutorum & pupillorum societate, consentire præsumuntur liberi & pupilli saltem recte existimantur consensuri esse, si sua commoda intelligerent, suisque officiis fungi vellent, quemadmodum deberent. Neque obstat exserens se apertus dissensus, qui quoniam officio est contrarius, dedocendus est, obligatione adhibita, ad hoc obtinendum idonea.

§. 233.

Si quid in humana civitatum origine erratum est, id non potest non earum saluti nocere, ideoque consultum est, ut illud quantocyus emen- *Remedium erratorum in*

civitatum origine secundaria. *emendetur.* Siquid enim erratum est in secundaria civitatum origine, illud non convenit cum origine earum primaria, cum qua convenire debet (§. 175.). Jam primaria civitatum origo debetur voluntati divinæ, purissimo omnis salutis humanæ fonti (§. 170.). Secundaria vero non debetur, nisi voluntati humanæ (§. 169.), quæ quando cum divina non convenit, suæmet refragatur felicitati. Eapropter si quid in secundaria vel humana civitatum origine aberratum est, id non potest non officere civitatum saluti.

Quia quidquid non potest non detrimento esse humanæ saluti, nemo sanus approbare vel appetere valet, sed potius ab eodem abhorrere debet: dubitari nequit per modo demonstrata, quidquid in humana civitatum origine erratum est, id non esse appetendum, nec continuandum, sed potius aversandum, & quantocyus fieri potest, abolendum ejiciendumque e civitate. Si retinendum id non est, sed abolendum, necesse est, ut emendetur. Ideoque si quid admissum est in secundaria civitatum origine, quod aberrat a divina lege, nocetque ideo ipsarum saluti, id quantocyus erit emendandum corrigendumque.

Ostensum est in antecedentibus §§. 177. aberrari in secundaria civitatum origine posse, factis quibuscunque illicitis (§. 197. seqq.) sive impietatem (§. 198. seq. & 202. seqq.) sive improbitatem publicam testantibus (§. 208. seqq.); iisque minui & felicitatem & stabilitatem civitatis (§. 198. seq.) (§. 206. & 210.); neque vim superiorem ad arcenda ista pericula salutis publicæ diu sufficere posse (§. 213.). Quare licitis factis pactisque saluti publicæ consulendum esse inferebatur (§. 214.). Hinc prono alveo fluit, etiam in pactis admissos errores sic corrigendos esse, ut saluti publicæ optime consulatur.

§. 234.

Cur de origine civita- *Licet Civitates dudum ortæ sint, hæc tamen originis ipsarum discussio*

ſcuſſio in Politica etiam nunc requiritur. Etenim in diſtincta rei cognitione ipſa geneſis ejusdem magnum habet momentum, cum ad eſſentiam, tum ad exiſtentiam illius recte perſpiciendam. Prius patet ex indole definitionum geneticarum (§. 194. *ſeq. Logic*), quæ internam rei poſſibilitatem, ſeu modum quo res eſſe poſſit diſtincte explanat (§. 197. *ibid.*) ſaltem ad eam eruendam principia ſuppeditat (§. 733. *ibid.*). Poſterius vero ex ipſa natura geneſeos, quæ modum, quo res fieri ſeu oriri poteſt, innuit (§. 195. *Log.*) pateſcit. Quæ geneſis, ubi res actu gigni debet vel gignitur, nihil indeterminati admittit (§. 260. *Ontol.*) inde ſingulares omnes requirit determinationes, (præter communes illas, quibus genera & ſpecies determinantur,) ſine quibus res exiſtere nequit. Jam quia origo civitatum non eſt niſi determinatio exiſtentiæ earum (§. 168.): illa geneſin earum continere debet. Eaque propter diſtincta explicatio originis civitatum in Politica nequaquam eſt omittenda, aut vix obiter attingenda, licet civitates, quæ proſtant, dudum ſint ortæ. *tum adhuc agendum in Politicis.*

Nemo infitias ibit, originem rerum naturalium cognoſcere etiam nunc noſtra admodum intereſſe, etiamſi illæ res a condito mundo extiterint, & civitatibus longe ſint antiquiores, immo licet earum origo ſemper viribus humanis major maneret. Multo magis igitur civitatum origo, ad quam liberæ actiones requiruntur, & ad quas ineundas colendasque obligamur, diſtincte patere debet. Quomodo enim liberæ actiones recte fieri poſſunt, niſi & ipſæ, & rationes earum, & modi recte aut ſecus agendi diſtincte perſpiciantur? Inde quomodo recte oriri poſſint civitates, ad easdem ineundas colendasque obligatis, ignotum eſſe minime debet, ſed præcipiendum eſt.

Præterea omnibus notiſſimum eſt, quotidie homines alios naſci, alios denaſci. Qui denaſcuntur, deſinunt eſſe cives; qui naſcuntur fiunt aut futuri ſunt cives. Incipiunt hi degere in civitate, & quam diu aliorum ſubſunt poteſtati, reguntur

guntur ab illis, quibus ſubſunt, ut ſuas actiones legibus civitatis, quantum poſſunt, conformare diſcant, nec impune contra illas veniant. Poſtquam majorennes ſunt facti, optione gaudent, num in patria an alia civitate cives fieri velint. Inde tunc opus eſt, ut ſciant quomodo civitatem recte ordiantur, & utrum ſit melius futurum? De quo judicare non poterunt, niſi rationes rite ordiendæ civitatis ſatis habeant perſpectas. Nec hoc tantum commodum hæc præbet originis civitatum ſcientia, ſed etiam judicium de civitatum indole recte ferendum, ex perſpecta earum natura, quam origo pandit, altius eſt petendum, per priorem demonſtrationem. Denique mutabilia quoque ſunt in civitate, quæcunque ſub liberas hominum actiones cadunt, hinc aut recte aut ſecus, ac deberent, fiunt. Quare ſi quid vel ab initio male inſtitutum ſit, vel recte inſtitutum degeneravit in pravum; illius emendatio ſuſcipienda requirit ſcientiam eorum, quæ illico in origine civitatum providenda ſunt, tanquam normam reformationis adhibendæ. Apparet inde, etiamſi civitates olim ſint inſtitutæ, tamen illam de origine civitatum doctrinam etiam nunc ſuos habere uſus, ſi recte ſit animo comprehenſa, etiamſi non urgeamus caſum non prorſus excludendum novæ civitatis condendæ.

§. 235.

Quid involvat origo civitatis.

Conficitur e dictis, *primordium civitatis involvere actu exhibitum finem ejusdem, hominumque in eum obtinendum appetitum conſentientem.* Etenim origo civitatis requirit determinationem exiſtentiæ ejus, per quam eſſe incipit (§. 168.). Hoc vero initium exiſtentiæ civitatum proficiſcitur partim a voluntate divina, partim a voluntate humana (§. 169.). Illud remotius dependet ab æterno Dei decreto, quo voluit, ut eſſent homines, eorumque ſocietates ut privatæ, ita & publicæ (§. 171). Propius vero dependet a creatione, conſervatione & gubernatione mundi (§. 172.).

Ergo

Ergo primordium civitatum ratione Dei involvit actu exhibitum finem civitatum in condito mundo, quem Deus ab æterno ſibi habuit propoſitum. Auſpicium civitatum ab humana voluntate dependens remotius requirit cognitionem finis divini ſibi tam ſalutaris & neceſſarii, de quo egit *caput II.;* una cum obligatione eidem ſe conformandi (§. 175.). Propius autem efficitur ipſo appetitu civitatis libero, eoque conſentiente inter omnes, qui eadem gaudere cupiunt civitatis ſalute (§. 215. *ſeqq.*). Conſtat igitur, primordium civitatis nullum dari ratione hominum, niſi quomodocunque in finem civitatum divinitus ſibi commendatum & præceptum libere conſentiant.

Eſt eadem natura omnium ſocietatum, ut iisdem ante omnia præſtituendus ſit finis, cujus conſecutio dari & idcirco invitare homines poſſit, ad illum appetendum. Tunc eorum, qui in eundem finem appetendum feruntur exſiſtit conſenſus. Quo conſenſu jam determinatur ſocietas, ſeu jam concordant in *ſocietate* iſta ineunda, inde jam orta eſſe dicitur *ſocietas*, poſtquam plurium conſenſus adeſt determinatus ad communem iſtum finem conjunctis viribus conſequendum. V. c. ſi duo vel tres mercatores jam conſenſere in ſocietatem negotiatoriam ineundam & conjunctis viribus colendam: Orta jam eſt illa ſocietas mercatoria. Deinde deliberari & conveniri alterius poteſt de modo finem, de quo jam convenit, conſequendi. Hinc & in civitatibus, poſteaquam vidimus quomodo primordia ſua capiant, disquirendum porro erit de modis obtinendi propoſitum finem generalibus. Inde ſuccedit jam

(*Wolfii Politicæ P. I. C. IV.*) Bb POLI-

POLITICAE P. I.
CAPVT IV.
DE
REPVBLICA IN GENERE.

§. 236.

Quid ſit Reſpublica?

Quæ civitatis ordinatio finitur, *Reſpublica* (§. 16. *P. VIII. Jur. nat.*), ea græcis πολιτεια & germanis die Policey/ das gemeine Weſen, appellatur. Non vero ad actum ordinantis referenda eſt ordinatio, ſed potius ad civitatem bene ordinatam, vel ad ordinem civitatis. Seponitur hic ſtrictior ſignificatus, quo resp. notat civitatem popularem.

Annotavit jam *Ariſtoteles L. III. Polit. cap. 1.* ἡ πολιτεια των την πολιν οικȣντων ταξις, reſp. eſt ordo eorum, qui civitatem incolunt; & *c. 6.* quid differat πολις & πολιτεια his verbis: ἐστι δε πολιτεια πολεως ταξις, των τε αλλων αρχων και μαλιστα της κυριας παντων. Hoc eſt politia eſt civitatis ordo, & cæterarum poteſtatum præſertim vero ſummæ omnium. Deinde monet eam quoque appellari πολιτευμα, quod jus civitatis alias, pariter ac πολιτεια, hic vero ſummum imperium deſignare videtur uti ſuo loco oſtendetur. Reſpicit igitur ordo civitatis potiſſimum ordinem imperandi parendique.

§. 237.

Quid forma civitatis?

Solet Reſpublica quoque *forma civitatis* dici. Forma nempe civitatis præcipue continetur in imperio publico, quo regitur civitas; vel ſi hoc mavis in modo determinato exercendi imperium civile (§. 152. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero reſpublica eſt ordo civitatis præſertim ratione imperii publici (§. 236.). Non immerito igitur reſpublica quoque explicari poteſt per formam civitatis. Proinde etiam nominari poteſt ac ſolet forma civitatis id, de quo in hoc capite agetur. Nominaſtrati-

ſtratibus vocatur die Staats-Form oder Verfaſſung, das Staats-Weſen.

In nota §i 152. *cit.* ſubinnuitur notio formæ his verbis: quoniam non uno modo exerceri poteſt imperium, inde naſcuntur diverſæ rerumpublicarum formæ, quæ *determinant modum exercendi imperii civilis*. Notat forma determinationes eſſentiales, vel ipſammet eſſentiam & naturam rei (§. 944. *Ontol.*). Quo ipſo patet, quomodo conveniat cum rei eſſentia ſeu poſſibilitate interna, & quomodo ab eadem differat. Scilicet quod hæc eſſentia actualis ſeu exiſtens eſt, ideoque naturam includit; ſimilia his habet *Martini Polit. cap. 7.* Reſpicientes vero ad id, quod maxime ejus eſſentiam actuoſam exprimit, deprehendimus in illa imperium publicum, quod regit civitatem propemodum ut anima ſuum corpus. Quæ ratio moviſſe *Iſocratem* in *Panath.* & *Areop.* intelligitur, ut diceret πολιτεια ψυχη πολεως εςι, τοσαυτην εχουσα δυναμιν, οσηνπερ εν σωματι φρονησις. Quibus verbis formam civitatis comparat cum anima, quia tantam in civitate habet poteſtatem, quantam mens in corpore. *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 1.* dicit remp. vitam civitatis.

§. 238.

Quia omnis ordo conſiſtit in ſimilitudine modi, quo res exiſtunt (§. 472. *Ontol.*); reſpublica vero eſt ordo civitatis (§. 236.): etiam reſpublica requiret in civitate ſimilitudinem modi, quo res in eadem exiſtunt, vel potius exiſtere debent. Sed quoniam ordo civitatis potiſſimum reſpicit modum imperandi & obediendi (§. 236.); reſpublica involvit ſimilitudinem modi, quo imperium & obſequium publicum gaudere debet. Quoniam in ordine partim occurrunt res una obviæ, partim tantum ſe invicem ſequentes (§. 474. *Ontol.*): etiam in republica requiretur ſimilitudo in modo exiſtendi, non ſolum ratione rerum una in civitate occurrentium, ſed & earum, quæ ſe invicem excipiunt. Si ipſa ſimilitudo res eodem modo determi-

Corollaria ex ordine civitatis nata.

terminari jubet (§. 473. *ibid.*): respublica quoque in imperio & obſequio publico res eodem modo determinari jubebit.

§. 239.

Resp. indiget regulis e fine civitatis derivandis.

Respublica ſuis indiget regulis, ex generali principio, fine nimirum civitatis, derivandis. Respublica enim non eſt niſi ordo civitatis publicus (§ 236.). Omnis vero ordo ſuis gaudet regulis, ſecundum quas unumquodque in eodem determinatur (§. 478. *Ontol.*) nec ordinem diſtincte cognoſcit, niſi qui regulas illius bene tenet, easque recte applicat (§. 488. *ibid.*). Quam ob rem respubl. ſuis indiget regulis, quibus nititur, intelligitur & determinatur quidquid in eo continetur.

Quodſi vero ordo plures habet regulas ſimul obſervandas, illæ ſibi nequeunt repugnare, nec tamen una per alteram determinatur (§. 480. *Ontol.*). Quoniam plures illæ regulæ ſimul obſervandæ ſibi invicem repugnare nequeunt; inferunt quendam conſenſum & perfectionem (§. 503. *ibid.*). Omnis vero perfectio habet rationem generalem, per quam quæ ipſi inſunt, ita ſe potius quam aliter habere debent (§. 505. *ibid.*), quæ ratio generalis ipſarum eſt principium ſeu ratio determinans (§. 506. *ibid.*). Idcirco respublica ſuis indigens regulis ſimul in ea obſervandis, pariter earum requirit conſenſum in communi iſto principio, hoc eſt in fine generali omnis civitatis qui ſuprema eſt lex civitatis (§. 86. *P. VIII. Jur. nat.*). Ex eo igitur fine civitatis derivandæ erunt demonſtrandæque omnes regulæ in republica obſervandæ.

§. 240.

Quæ reſolvuntur in Dei voluntatem legemque naturæ.

Regulæ reipublicæ reſolvuntur in divinam voluntatem, ſeu legem naturalem, omnibus hominibus obſervandam. Regulæ enim reipublicæ derivandæ ſunt ex generali civitatis fine (§. 239.). Enimvero civitates ſunt moraliter neceſſariæ (§. 134) & homines ipſa eſſentia & natura ſua obligantur ad commune bonum

num conjunctis viribus prosequendum (§. 221. P. I. Phil. pract. univ.), quæ obligatio naturalis Deum habet autorem (§. 275. ibid.) & legis est naturalis divinæque voluntatis (§ 277. seqq. ibid.), quæ lex utique omnibus hominibus est observanda (§. 221. ibid.). Perspicitur ergo, regulas Reipublicæ resolvi in divinam voluntatem, legemque naturalem, omnibus hominibus observandam.

§. 241.

Deus & lex naturæ in ordine civitatis jubet præferre meliora, & sectari optima, quæ haberi possunt. Lex naturæ nos obligat ad id, quod altero est melius, eidem præferendum (§. 192. P. I. Philos. pract. univ.). Sed legis naturæ autor est Deus (§. 273. ibid.). Deus igitur & lex naturæ jubet nos etiam in republica id alteri præferre, quod ipso est melius. Quisquis vero jubet præferre alteri, quod ipso est melius, is etiam jubet id præferre, quod omnibus reliquis melius est ducendum. Id vero quod omnibus reliquis, quæ haberi possent, melius est, optimum inter ea jure meritoque censetur, tanquam in suo genere perfectissimum (§. 393. P. I. Theol. nat.). Vnde patet, Deum & legem naturæ in ordine civitatis ad optima, quæ haberi possunt, sectanda obligare (§. 192.).

Cur optima in rep. sectanda sint?

Quemadmodum in ipsa civitate ordienda optima in suo genere cæteris est præponenda (§. 173.): ita quoque optimus, qui haberi potest, ordo civitatis præferri meretur. Quod etiam inde conficitur, quia is ordo, quem Deus per legem naturæ præscribit, pendet a Dei voluntate, quæ non fertur nisi in optimum in se, ratione Dei, totiusque universi (§. 383. 385. & 551. P. I. Theol. nat.). Nil autem homines jubet, nil præcipit, nisi quod vult perfectissima ipsius voluntas.

§. 242.

Quatenus ordo civitatis convenit cum eo, quem præscribit lex naturalis, eatenus Resp. recte se habet, in contrario casu emendatione indi-

Quæ resp. recte se habeat, quæ minus?

indigebit. Deus enim & lex naturæ jubent ſectari ordinem in quovis civitatum genere optimum (§. 241.). Inde quatenus convenit ordo civitatis legi naturali, eatenus is erit in ſuo genere optimus, cæterisque præferendus (§. 192. *P. I. Philoſ. pract. univ.*). Hinc non poteſt non recte ſe habere ſeu convenire cum omnibus hominum & civitatis determinationibus eſſentialibus (§. 65. *ibid.*). Ideo quoque *resp. recte ſe habens gaudet ordine legi naturali conſentaneo.*

Enimvero quatenus ordo civitatis non convenit illi, quem præſcribit lex naturalis, eatenus is ne in ſuo quidem genere optimus, & *per modo evicta.* Dabitur ergo aliquid melius, ei, quod legi naturali non reſpondet præferendum. Ad quod præferendum quum homines obligentur (§. 192. *P. I. Philoſ. pract. univ.*): elucescit quod ſciſcimus, quatenus ordo civitatis repugnat ei, quem lex naturæ præſcribit, aut ab eadem recedit, eatenus illum egere emendatione, & eſſe omnino emendandum.

Apparet illud etiam ex his rationibus: Quæ in ordine civitatis non conveniunt voluntati divinæ, illa eidem repugnant, ſuntque ideo illicita (§. 170. *P. I. Phil. pract. univ.*). Sed propter illicita admiſſa civitas nec felix nec ſtabilis eſſe poteſt (§. 199.). Vnde & propter illicita, in ordine admiſſa ſuæ officit felicitati ſtabilitatique. Quare patet, vel propter hæc nocumenta illa eſſe emendanda, quæ in ordine civitatis non conveniunt legi naturali.

§. 243.

Quando resp. ſit a Deo?

Quatenus ordo civitatis recte ſe habet, eatenus respublica eſt a Deo. Si enim recte ſe habet ordo civitatis, ille convenit cum eſſentialibus hominum rerumque cæterarum, & ipſius civitatis determinationibus (§ 65. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), convenit quoque legi naturali, ſeu divinæ (§. 242.). Quia lex naturalis determinata & lata eſt a Deo (§. 274. *P. I. Philoſ. pract. univ.*) opti-

optimus quoque civitatis ordo determinatus est a Deo. Sed quidquid determinatum institutumque est a Deo, illud esse a Deo merito statuitur. Quamobrem quatenus ordo civitatis recte se habet, eatenus respublica a Deo esse merito statuitur (§. 236.).

Non dixi rempublicam eatenus esse divinam: quia quod divinam dicimus, ex asse convenire cum Dei voluntate, saltem pro captu rei finitæ in suo genere eximiæ. Quoniam tanta convenientia in hypothesi nostra non statuitur, sed in medio relinquitur, quatenus illa convenientia in rep. detur; satis fuit, si eatenus illam a Deo esse ostenderem. Hinc enim jam colligitur, quo magis convenit ordo civitatis legi naturali, vel, quod idem est, quo rectius se habet civitas, eo magis illam esse a Deo, eoque esse meliorem; & quo minus illud locum habet, eo minus & hoc valere.

§. 244.

Si resp. non recte se habet, tantum permittitur sapienter.

Vbi respublica non recte se habet, ibi illa non convenit voluntati divinæ, sed ab ea tantum permissa dici potest, donec permissio non amplius consulta est. Quia respublica non est nisi ordo civitatis (§. 236.), & quando ille non recte se habet, non congruit cum voluntate divina (§. 242.), eodem modo, ac (§. 177.) de origine civitatis factum est, evinci & hæc permissio illius ordinis potest, qui non recte se habere deprehenditur. Quare non opus est, ut his immoremur.

§. 245.

Nexus rectæ & pravæ reip. cum ejus felicitate & stabilitate.

Quatenus Respublica recte se habet, eatenus cæteris paribus felix esse poterit & stabilis; & quo rectius se habet, eo felicior stabiliorque poterit esse; im contrario autem casu infelix erit & instabilis; & quo magis is prævalet, eo infelicior erit instabiliorque. Nimirum si respublica recte se habet, illa convenit cum ea, quam præscribit lex naturalis (§ 242.), quæ divinæ debetur voluntati (§. 274. P. I. Phil. pract. univ.). Quatenus illa convenit legi naturali,

turali, eatenus non transgreditur ſed ſervat legem naturalem (§. 155. *ibid.*). Sed cuſtodia legis naturalis felicitas obtinetur & conſervatur (§. 396. *ſeq. ibid.*) & ſine cuſtodia legis naturalis nemo felix eſſe poteſt (§. 399. *ibid.*). Ergo quatenus Resp. recte ſe habet, eatenus cæteris paribus, felix eſſe poterit ac debebit, ideoque & ſtabilis (§. 198.).

Si vero eatenus reſpublica felix eſt & ſtabilis, quatenus recte ſeſe habet, conſequens eſt, quo rectius ſe habet Respublica, eo illam cæteris paribus quoque fore feliciorem ſtabilioremque. Eo vero rectius ſe habet, quo plura ipſi inſunt cum lege naturali conſentanea, & quo exactior uniuscujusque cum lege divina convenientia habetur (§. 242.). Item quo melior eſt reſpublica, ſeu quo propior eſt optimæ, quæ in ſuo genere haberi poteſt (§. 241.): eo quoque rectius ſe habebit. Inde liquidum eſt, quo melior eſt reſp. eo illam quoque fore feliciorem ſtabilioremque.

Contra ea, quatenus reſpublica recta non eſt, ſed potius prava, eatenus illa non congruit cum lege naturali, ſed eidem adverſatur. Quatenus refragatur legi naturali, eatenus illam non ſervat ſed transgreditur (§. 155. *P. I. Phil. pract. univ.*). At transgreſſione legis naturalis felicitas amittitur (§. 401. *ibid.*). Ideoque transgreſſione legis naturalis civitas redditur infelix (§. 405. *ibid.*). Cogitur ergo, quatenus reſp. prave eſt inſtituta, eatenus illam eſſe infelicem inſtabilemque.

Proinde ſi reſpublica, ut oſtendimus, eatenus non poteſt non eſſe infelix & inſtabilis, quatenus non eſt recta, eadem eo plus felicitatis ſtabilitatisque ſuæ amittet, eoque erit infelicior inſtabiliorque quo minus eſt recta (§. 199.). Sed quo minus illa reſpondet legi naturali, vel quo magis illi repugnat, eo minus recta eſt (§. 242.), eoque illa longius eſt ab optima remota atque deterior (§. 241.). Quare quo pejor eſt

respu-

respublica, eo illa non poterit non esse infelicior instabiliorque.

Mirum hinc videri nequit, si respublicæ nostræ quadamtenus recte se habeant, & quadamtenus secus comparatæ sint. Priori casu felicitatis stabilitatisque erunt participes, posteriori minus, sed indultu tantum numinis gaudebunt, quousque sapientia & justitiæ administratio id permittit.

§. 246.

Erit igitur Respublica eo felicior stabiliorque, quo plura in ea se recte habent, & quo rectius se habet unumquodque; eo autem infelicior instabiliorque, quo plura in ea a recto aberrant, & quo longius quodlibet ab eo aberrat, vel quo plura mala, quoque pejora illi insunt. *Distinctior horum graduum explicatio.*

Quo rectius enim meliusque se habet respublica, eo illa est felicior stabiliorque (§. 245.). Sed quo plura in republica recte comparata sunt, eo rectius & melius se habet materialiter, ratione rerum in ea necessariarum & conducibilium (§. 58.). Quo magis unumquodque conspirat cum recta indole, quamcunque capit, eo melius se habet formaliter vel in gradu ipsius recti (§ 60). Ergo quo plura in republica bene comparata sunt, & quo melius unumquodque est, eo illa erit felicior stabiliorque (§. 85. *seq.*).

Ex adverso quo plura mala insunt reipublicæ, eo plura aberrant in ipsa a recto tramite, quoad materiam seu res in ea occurrentes (§. 61.). Quo pejora insunt reipublicæ, eo magis aberrat unumquodque a sua regula (§. 65.). Hinc tum qua materiam, tum qua formam suam eo minus recte se habet. At quo minus recte habet respublica, eo illa est infelicior instabiliorque (§. 245.). Idcirco quo plura mala insunt reipublicæ, quoque pejus est unumquodque eorum, eo respublica infelicior erit instabiliorque seu propior suæ ruinæ (§ 94.).

Quanta multitudo rerum in republica agendarum occurrat, & quænam recte, rectius & rectiſſime, vel & ſecus fiant, id demum ex totius Politicæ pertractatione conſtabit. Hic tantum verſamur in principiis & fundamentis recte collocandis, quibus reliqua erunt ſuperſtruenda. Dum hoc capite de republica in genere tantum agimus, adquieſcendum nobis eſt in communi iſta notitia hominum, qua utcunque compertum habent, omnino multa in republica dari, quæ vel recte vel ſecus habere in ipſa poſſunt & ſolent.

§. 247.

In Rep. curanda eſt civitatis libertas & ſalus. Quoniam Respublica eſt ordo civitatis (§. 236.); civitas autem eſt ſocietas vicorum libera, provehendi conjunctis viribus communis boni cauſa, quantum fieri poteſt, inita (§. 31.), pateſcit, ordinem civitatis alium non requiri, quam quo civitas eſſe poſſit ſocietas libera, illiusque commune bonum conjunctis viribus, quousque fieri poteſt, provehatur. Duo igitur *in republica præcipue erunt curanda, ut civitas ſit libera, & ut ipſius commune bonum conjunctis viribus provehatur, quousque fieri poteſt.* Quæ duo brevius dici poſſunt publica libertas & ſalus.

Poſſunt quidem ea, quæ in republica curanda ſunt, variis diſpeſci modis, qui tamen ſi recte conſiderentur, non omnes æque ſunt idonei ad rem præſentem. Sic ſupra finem civitatis, qui eſt ſalus publica (§. 35.), in primarium atque ſecundarium diremimus (§. 37.). Sic bona communia, in quorum tuta fruitione ſalus publica vertitur (§. 36.) vel ſunt interna vel externa (§. 37.); item vel vitæ ſufficientiam, vel tranquillitatem & ſecuritatem civitatis complectuntur (§. 13. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque immerito dividi commune illud egregium poſſet in bonorum communium fruitionem, & a malis oppoſitis immunitatem (§. 43. 44.). *Ariſtoteles* finem civitatis conſtituit in vita perfecta & ſibi ſufficiente *Pol. L. 3. cap. 9.* Verum quoniam hic non ad omnia, quibus civitati opus eſt, ſed ad prima illa & præci-

præcipua in ipſa ordinanda attendendum eſt, e quibus cætera tanquam e ſuo fonte derivari poſſunt: ſatius viſum eſt, ea commemorare, quæ primo ineſſe civitati debent, & ſine quibus illa eſſe nequit.

§. 248.

Rempublicam eſſe formam civitatis, & formam ejus esſentiam exhibitam ſeu eſſentiam & naturam, oſtendimus (§. 237.). Eſſentia vero rei conſtat ex genere & differentia, tanquam eſſentialibus (§. 143. *Ontol.*) & (§. 186. 192. *Logic.*). Quæ quia actu rei inſunt, & prima ſunt, rationemque cæterorum continent, quæcunque præter ea ineſſe poſſunt: formam rei conſtituunt, a qua res habet, ut ſit, ut ab aliis diſcerni, & operari poſſit (§. 645. *ſeq. Ontol*). Jam civitatis concinnius definitæ genus eſt ſocietas, differentiam ſuppeditant vici, qui in aliis ſocietatibus nondum ſunt, & αὐταρκεια, qua ſibi ſufficere videtur ad omnia, quibus indiget (§. 32.). Ex genere derivari poteſt naturalis libertas (§. 166. *P. VIII. Jur. nat.*). Ex eo autem, quod ſibi ſufficere debet ad omnia, quibus eget, ſalus ejusdem pendet. *Vnde & loco ſalutis poni poſſet illa* αὐταρκεια; *& loco libertatis ſocialitas naturalis.* *Vel ſocialitas naturalis & αὐταρκεια.*

Idem illud aliis verbis innuiſſe dicatur *Ariſtoteles*, quando civitatem dixit communitatem vicorum perfectam, eo loco, quem citavimus in *nota ad* §. 31. Hoc enim idem eſt, acſi dixiſſet, omnibus numeris ſuis abſolutam omnibus partibus expletam, omnia in ſe habentem bona, quæ ſocietas obtinere poteſt; ideoque ſibi ſufficientem, ob illam bonorum omnium ſummam, illumque cumulum, quem aſſequi conjunctæ hominum vires valent. Liberata ſic ambiguitate ſua vel lucidius explicata ſocietas perfecta, non abs re ad definiendam civitatem adhibita intelligitur, ut ope præmiſſæ hujus explicationis binis verbis dici civitas poſſit ſocietas perfecta, vel ſocietas αὐταρκης (ſibi ſufficiens). Habet enim cur contenta ſit ſua ſorte, quando habet, quidquid obtineri conjunctis hominum viribus poteſt. Neque

iſta perfectionis dilucidatio abhorret ab eo, quo alias concipi ſolet, conſenſu omnium in fine adipiſcendo. Quo poſito & vicos comprehendere debere intelligitur, ut hi omitti poſſint.

§. 249.

Vnde ſit obligatio ad rempublicam?

Obligatio ad generalem illum ordinem civitatis fini ejus aptiſſimum, pendet ab obligatione ad ineundam colendamque optimam in ſuo genere civitatem, quæ haberi poteſt. Homines enim obligantur ad ineundas colendasque civitates optimas (§. 174.); eaque obligatio eſt legis naturalis præcipientis (§. 178.). Enimvero qui obligatur ad finem quemdam obtinendum idem non poteſt non quoque obligari ad uſum cauſarum mediarum (§. 92. P. II. *Phil. pract. univ.*) & (§. 941. *Ontol.*). Quare quum ordo civitatis, conſequendo fini ejus aptiſſimus, continere debeat cauſas medias generales, ad optimam civitatem neceſſarias (§. 239. & 241.): obligatio ad generalem civitatis ordinem hujusmodi, qui ſit fini ejus aſſequendo aptiſſimus, pendet ab obligatione ad ineundam colendamque optimam in ſuo genere civitatem, quæ haberi poſſit.

Eſt hæc obligatio ad rempublicam derivativa, uti obligatio ad quævis alia ſubſidia, ſine quibus finis non poteſt obtineri. Ipſa autem obligatio ad finem ſectandum primitiva eſt, quia finis primum eſt in animi inductione (§. 631. *P. I. Phil. pract. univ.*) & (§. 941. *Ontol.*). Vti leges dantur derivativæ, ex aliis primitivis fluentes (§. 183. *P. I. Phil. pract. univ.*): ita & obligatio ex illis enata in priori caſu eſt derivativa, in poſteriori primitiva. Quisquis vult finem, is velit etiam adjumenta, neceſſe eſt, ſine quibus fine potiri nequit. Ideo qui debet velle finem, ſeu obligatur ad eum ſibi præſtituendum, is debet quoque velle ea, ſine quibus adipiſci finem nequit; licet ſi plura occurrant, quibus uti poſſit, optione gaudeat, qua tamen jubetur id præferre alteri, quod eo eſt melius (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quando in genere quæritur, quibus modis viisque contendendum ſit ad metam civitati propoſitam, etiam ex fine

fine civitatis, tanquam suo fonte, derivanda est (§. 239.) optimi ordinis electio.

§. 250.

Ejusmodi esse debet Respublica, in qua inferiorum societatum salus, quantum salva civitate fieri potest, maneat salva, & iis augeatur bonis, quæ nonnisi conjunctis civitatis viribus haberi possunt. Obligantur enim homines ad ejusmodi ordinem civitatis in genere adhibendum, qui sit fini ejus, h. e. saluti publicæ consequendæ aptissimus (§. 249.). Quemadmodum salva manere debet in vico salus cujuscunque domus, quæ ejus membrum est, & præterea augenda est iis, quæ non nisi conjunctis domorum viribus impetrari possunt (§. 868. *Oecon.*): ita in civitate quoque salva manere debet salus cujuscunque vici, ideoque & minorum societatum, e quibus constat vicus, & præterea societates illæ inferiores iis mactandæ sunt bonis, quæ non nisi conjunctis civitatis viribus obtineri possunt (§. 31.). Quatenus tamen in civitate libertas singulorum restringenda est ratione earum actionum, quæ ad promovendum bonum publicum faciunt (§ 47. *P. VIII. Jur. nat.*), eatenus societates inferiores in hanc restrictionem communis boni causa non possunt non consentire. Ideo ejusmodi esse debet respublica, in qua inferiorum societatum salus, quantum sine detrimento civitatis fieri potest, maneat illibata, iisque augeatur bonis, quæ nonnisi conjunctis civitatis viribus haberi potest. *Cujusmodi esse debeat omnis resp.*

In statu naturali vicus non obligatur nisi ad ea, quæ pacto vici aut officio naturali insunt. Enimvero in civitate si plures vici aliud statuunt, quam unus vel alter dissentiens, usus libertatis ejus cohibetur ut oporteat ipsum adquiescere in eo, quod pluribus arridet. Vti si pluribus placeat bellum adversus aliam civitatem gerendum, illi, quibus secus videbatur, vici conferre ad gerendum bellum non minus debent, acsi idem ipsis placuisset. Neque hoc novum quiddam est in civitate; sed in vico pari-

pariter reſtringuntur jura domorum, in domo jura ſocietatum ſimplicium, in ſocietate ſimplici jura hominis ſolitarii & ſegregis. Quantum vero decedit uſui libertatis unius, tantum & alterius, & tantum immo plus lucratur quisque ex reſtricto propter commune bonum uſu libertatis omnium. V. c. unum genus opificii vel mercaturæ prohibetur involare in alterius jura, ne illud viciſſim hujus jura uſurpet; item illud non admittere plures, quam qui commode inde victum honeſtum quærere poſſunt. Hinc uſus libertatis eorum, qui idem genus vitæ exercere vellent, tamdiu reſtringitur, donec locus vacet, in quem admittantur; aut quærendum ipſis eſt, utrum in alia civitate loco potiri poſſint ſibi conveniente.

§. 251.

Quis nexus inter ſalutem publicam & privatam eſſe debeat.

Quia quilibet civis obligatur ad ſalutem civitatis curæ cordique habendam (§. 18. *P. VIII. Jur. nat.*) & ad eam conferre debet pro virili parte, quantum licite valet (§. 19. *ibid.*): is *ordo civitatis eſſe debet, quo omnes intelligant tam arctum ſuorum commodorum cum republica nexum, ut niſi hæc ſalva ſit, illis gaudere nequeant.* Inde *nexus reipublicæ & privatæ in tantum conſenſum redigendus eſt, quantus haberi poteſt*, & ordientes civitatem convincendi ſunt, aliter ſaltem melius nec ſaluti publicæ, nec privatarum ſocietatum, in eo qui placuit, ordine conſuli poſſe.

Neceſſitatem hujus nexus ſalutis publicæ & privatæ ipſa geneſis civitatum ſubminiſtrat. Inſitum eſt mortalium animis tantum ſalutis ſtudium, quantum haberi conjunctis viribus poſſe intelligitur (§. 187.). Obligantur quoque homines ad unum omnes ad id, quod ſalus humana ejusque incrementa requirunt (§. 116. *ſeq.*). Sed vel vici ſibimet non ſufficiunt ad quasvis humanæ ſalutis partes comparandas (§. 119.). Multo minus ſufficiunt quietæ jurium ſuarum fruitioni & præſtationi ab aliis conſequendæ, depellendæque vi hoſtili (§. 20. *ſeq.*). Quid! quod nec urbes regionesque ſingulæ ſibi ad illa communia bona ſufficiunt (§. 127.). Inde opus erat civitatibus ineundis (§. 129.

129. *seqq.*). Ad augendam vicorum ſalutem, quousque conjunctis plurium viribus fieri poteſt, comparatis (§. 36.). Nonne ex his manifeſtum eſt, ſalutis ſocietatum minorum incrementa civitatibus cunctis eſſe propoſita? Nonne illa requirunt, ne quid detrimenti capiat ſalus vicorum, cæterarumque minorum ſocietatum, ſed ut potius qua fieri poteſt firmitate ſtabiliatur augeaturque? Excideretur civitas ſuo ſcopo, ſi ſalus publica derogaret privatæ, aut privata publicæ, ne utraque tanta eſſet, quanta poſſet deberetque.

§. 552.

Vbi ſalus publica & privata ſimul haberi nequit, publica privatæ eſt anteferenda. Salutis enim publicæ & privatæ tantus requiritur in republica nexus, quantus haberi poteſt (§. 251.). At ſicubi utraque ſimul haberi nequit, ibi utriusque conſenſus locum non habere intelligitur. Opus igitur eſt exceptione a regula propter emergentem colliſionem (§ 510. *Ontol.*) Quæ quia jubet præferre regulam primariam ſecundariæ, ſeu id, quod plus boni vel majus bonum præſtat, minori (§. 515. *ibid.*): facile innoteſcit ſalutem publicam, quæ eſt omnium, præferendam eſſe ſaluti privatæ, quæ eſt unius, vel paucorum. Quoties igitur ſalus publica & privata ſimul haberi nequit, cedere debet & poſtponi publicæ ſaluti ſalus privata. *Salus publica præferenda privatæ.*

Ad primariam civitatis regulam pertinere ſalutem publicam, liquet ex fine civitatis (§. 36.), e qua & regulæ illius ſunt deducendæ (§. 239.). Hinc in civitate ordinanda ea ſunt, quæ ad commune totius civitatis bonum conſequendum requiruntur (§. 15. *P. VIII. Jur. nat.*). Inde & hæc regula patet, neminem civium facere debere quæ communi civitatis bono adverſantur, neque bonum proprium ſectari cum neglectu communis & in hujus fraudem, ut ſaluti publicæ detrahatur (§. 21. *ibid.*) item neminem civium impedire illa debere, quæ rerum abundantiæ, tranquillitati ſecuritatique inſerviunt, neque pati ut ab aliis impediantur, & ſaluti publicæ officiatur (§. 22. *ibid.*).

§. 253.

Ad quid ſibi ſinguli & univerſi cives obligentur?

Obligatio ſingulorum & univerſorum in civitate erga ſe invicem eſt reciproca ad ea, quæ ſunt in ipſorum poteſtate. Etenim in civitate coaleſcente vel ineunda homines adhuc ſpectantur in ſtatu æqualitatis, niſi quod jam de civitate ineunda inter ipſos convenit, ideoque ſinguli obligantur univerſis ad commune bonum pro ſuis viribus adjuvandum, & impedienda, quæ ipſi ſunt contraria; ſingulis vero obligantur univerſi ad proſpiciendum ipſis conjunctis viribus de rerum parabili abundantia, tranquillitate & ſecuritate (§. 28. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ obligatio fluit ex fine civitatis, complectente commune illud bonum, quod aut non melius, aut non niſi conjunctis illius viribus parari poteſt, illiusque tutam fruitionem (§. 35.). Enimvero nihil habent ſinguli in ſua poteſtate, quam ut ſalvis officiis erga ſeipſos ea conferant ad commune bonum, quæ valent illud augere, & ea impediant, quæ poſſent ipſi nocere. Nec univerſi habent in ſua poteſtate, quæ ſingulis præſtare poſſent, niſi quæ conjunctis viribus moraliter facere poſſunt, ad parabilem omnium rerum copiam, tranquillitatem ſecuritatemque ipſis adquirendam & conſervandam. Vnde obligatio ſingulorum univerſorumque in civitate erga ſe invicem perſpicitur reciproca eſſe ad ea quæ ſunt in amborum poteſtate, ſibi mutuo præſtanda. Reſpondent igitur obligationes poteſtati.

Quoniam ultra vires nulla eſt obligatio (§. 209. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), etiam in hac reciproca civium erga ſe invicem obligatione conſiderandæ ſunt utrinque vires tum phyſicæ, tum morales. Quæ enim moraliter fieri nequeunt, illa æque non ſunt in poteſtate hominis, ac quæ naturales excedunt, ideo & ad illa nulla dari poteſt obligatio. Hujusmodi ſunt, quæ legibus divinis & officiis potioribus adverſantur, quæ honeſtati & debito repugnant.

§. 254.

§. 254.

Jura ſingulorum univerſorumque reciproca.

Pariter quoque jura ſingulorum & univerſorum civium erga ſe invicem ſunt reciproca. Etenim obligationes ſingulorum univerſorumque in civitate erga ſe invicem ſunt reciprocæ (§. 253.). Sed ex obligationibus naſcuntur jura committendi, omittendique ea, ad quæ obligamur, item ad ea, ſine quibus obligationi ſatisfieri nequit (§. 158. *ſeq. P. I. Phil. pract. univ.*). Quapropter & ſinguli gaudent jure ea conferendi ad bonum publicum, quæ illud juvare & conſervare, ea autem impediendi, quæ illi nocere poſſent, ſi illa ſint in ipſorum poteſtate; neque minus gaudent jure poſcendi, ut univerſi conjunctis viribus concurrant ad præſtandam ipſis parabilem rerum ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, jucunditatemque facientium copiam, nec non tranquillitatem, quæ vacuitatem a metu injuriarum & præſtationem ſibi ab aliis debitorum infert, atque ſecuritatem adverſus externos hoſtes. Vice verſa univerſi gaudent jure hæc faciendi, quæ conjunctis viribus ſingulis præſtari poſſunt in modo allatis capitibus, & poſcendi viciſſim ab ipſis, ut ſuis quoque ſatisfaciant partibus in conferendis iis, quæ communia bona augere, mala vero communia minuere & arcere poſſunt. Certum igitur eſt, jura quoque ſingulorum & univerſorum civium erga ſe invicem eſſe reciproca, & majora in univerſis, minora in ſingulis, pro officiorum ratione.

Et jurium & obligationum naturalium fons eſt unus idemque, eſſentia videlicet & natura hominum rerumque cæterarum. Hæc cum eadem ſit, eadem quoque inde profluunt officia & jura generalia. Quod & propterea aliter habere nequit, quia ſinguli quique ſeorſum conſiderati, ſunt iidem quando deinde ad univerſos referuntur; niſi quod ibi plurium vires ſibi habent aſſociatas. Deſignet alphabetum univerſos, quælibet litera ſingulos. Et patebit, uti A ſeorſum ad cæteras literas, ſic B ad A & cæteras literas ſe habere, idque per totam ſeriem alphabeti (*Wolfii Politicæ P. I. C. IV.*).

eodem modo valere de singulis & reliquis conjunctis. Unde omnibus præter unum semper idem, & singulis quoque seorsum sumtis aut inter universos obviis, semper idem incumbere & deberi, ideoque æqualitatem naturalem sic servari liquet. Siquid enim accidat, quo diversitas virium, seu imbecillitas cujusdam vel quorundam oriatur, eo in casu etiam naturalis exceptio locum habebit, ut nemo ultra vires obligatus censeatur. Interim alia esse debere universorum jura & officia alia singulorum, ex aperta virium diversitate patescit.

§. 255.

Jus universorum in singulos cives præcipuum.

Universis in civitate est jus regendi & adigendi singulos ad officia erga universos, non vero vicissim. Quia ultra vires nulla esse potest obligatio (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*), & jura quævis oriuntur ex obligatione (§. 158. *seq. ibid.*); planum est diversitatem virium diversas parere obligationes & jura diversa. Sed vires universorum in civitate utique multo esse majores quam singulorum, omni majus est exceptione. Quare & major erat universorum erga singulos obligatio, quam singulorum erga universos (§. 253.). Sed inde quoque nascebantur universorum jura majora, quam singulorum (§. 254.). Jam constat ex indole minorum societatum, naturaliter esse jus regendi alios socios illius, qui optime illi præesse valet, cujus major est perfectio, indeque major obligatio, uti parentibus jus erat regendi liberos, dominorum jus regendi servos (§ 659. 660. 1103. & 1140. *P. VII. Jur. nat.*), & patri matrique familias jus regendi domum (§. 1155. *ibid.*). Quam ob rem quia major est perfectio universorum quam singulorum, ob vires animi & corporis majores, & obligationem iis recte utendi, elucescit, universorum esse jus regendi singulos in officiis erga universos, seu civitati præstandis.

Quia irritum esset jus regendi alios, nisi hi obligari possent præmiis pœnisque adigi ad officium suum præstandum (§.

197.

197. *seq. P. VII. Jur. nat.*), & per modo evicta universis est jus regendi singulos in civitate; jus vero obligandi alios ad liberas actiones recte determinandas, tum jus præmiis invitandi ad agendum, tum puniendi eos, qui officium agere nolunt, complectitur (§. 198. *ibid.*) quæ jus adigendi conficiunt (§. 236. *P. I. Philos. pract. univ.*): constat, universis in civitate esse quoque debere jus obligandi & adigendi singulos ad officia erga universos, vel jus cogendi singulos ad officia sua (§. 29. *P. VIII. Jur. nat.*); si vel præstare illa nolint, vel negligentes se præbeant.

Enimvero, quia vires singulorum longe sunt inferiores, quam universorum, & ad has relatæ propemodum nullæ censendæ sunt; apertissimum est, singulorum vires omnino impares esse ad universos ingratiis ad officium cempellendos. Qua de re nec singuli per se ad hoc obligati sunt, nec jus habent universos seu regendi seu cogendi, nisi hoc ab universis illis vel uni illorum sponte conferatur vel concedatur.

Non tantum naturalis obstat impotentia, quo minus singulis jus esse possit regendi universos adigendique invitos ad officium suum; sed & moralis hominum conditio, qua animum dexteritatemque alios regendi, multum discrepat, & in plerisque infra illum gradum est, qui ad regendam civitatem requiritur. Nec minus manifesta est repugnantia, si unusquisque suo nutu simul regere omnes alios vellet, interitum reipublicæ repente allatura. Qua tamen ratione in unicum hoc jus regendi omnes cadere possit, deinceps ostendetur.

§. 256.

Quod est imperium civile.

Vniversorum in civitate naturaliter est imperium civile seu publicum. Est enim & esse debet universis jus regendi & adigendi singulos ad officia erga universos (§. 255.). Sed regere est determinare liberas actiones secundum earum regulam, & jus regendi liberas alterius actiones pro suo lubitu est imperium

 (§. 194.

(§. 194. *P. VII. Jur. nat.*). Quod quia involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sicut imperatur, & non aliter determinandum (§. 197. *ibid.*), & jus puniendi eundem, si id agere nolit (§. 198. *ibid.*). Quapropter jus universorum in singulos natura hominum rerumque flagitante, esse imperium civile intelligitur, quod quemadmodum salus civitatis publica vocatur (§. 34.) itidem imperium publicum dici consuevit.

Civile vocatur hoc imperium, quia civitati est proprium, & ab eadem æque inseparabile, ac ternio angulorum a triangulo. Inde dicitur imperium civile imperium universis in singulos competens in civitate (§. 32. *P. VIII. Jur. nat.*). Publicum autem vocatur ratione populi in omni civitate obvii (§. 31) per contractionem, qua olim ex populo poplus, hinc poplicus & publicus dicebatur. Inde elucet, cur Politicæ conditor remp. præsertim ad imperium publicum retulisse deprehendatur, ut notavimus ad (§. 236.).

§. 257.

Imperium publicum est populi peculium. Quoniam omnes obligantur naturaliter sibi invicem opitulandum (§. 609. & 668. *P. I. Jur. nat.*) ad commune bonum conjunctis viribus procurandum (§ 21. *P. VIII. Jur. nat.*): unusquisque suæ obligationi libere debet satisfacere, & in civitate condenda in hoc ipsum omnes libere consentire (§. 215.) oportet. Dirigendæ ergo sunt omnium actiones ad commune bonum (§. 355.). Omnes vero, qui civitatem conficiunt, populi nomine veniunt (§. 31.), iique dum in commune bonum consentiunt, necessario imperium habent in singulos, quod civile vocatur (§. 256.). Constat igitur, naturaliter in civitate imperium dari debere, idque esse penes populum (§. 33. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque *populi peculium est exercendum imperium publicum*, hinc & in populi est proprietate dominioque tanquam res sua (§. 34. *ibid.*).

Si cui

Si cui mirum videatur, imperium referri ad populum, tanquam rem ipsi propriam, is vel aliam tribuet populo notionem, ac fieri debet, vel imperium non spectabit in suis natalibus sive incunabulis. Neque enim populi nomen vulgare quiddam & vilipendendum notat, sed pari ambulat passu cum gente & natione. Quod *Gellio* credere possumus *Noct. att. L. X. c. 20.* scribenti: in populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines continentur. Plebs vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciae non insunt. Ita *Virgilius* populum late regem belloque superbum Romanos vocat *Aeneid. L. I. v. 25.* quem sequutus *Plinius Hist. nat. L. XXII. c. 3.* eosdem dicit populum principem terrarum. Nec *Cicero* ab eo abhorruit, in *Philipp. VI, c. 5.* populum romanum vocans victorem dominumque omnium gentium. Eccui ignotum est, nihil frequentius in Rep. romana fuisse, quam senatus populique romani nomen? Cavendum igitur, ne plebis seu vulgi prorsus & populi notiones confundamus. Si quis imperium non spectat in suis natalibus, sed in eo, quo nunc occurrit statu, tum eodem modo judicaret, ac qui de panno judicaturus, existimaret ita eum esse natum, ac perfectum illum adspicit.

§. 258.

Resp. sancitur pacto conveniente.

Respublica melius constitui nequit quam pacto publico conveniente. Obligantur enim universi communis boni obtinendi causa ad consentiendum in civitatem (§. 215.) & in imperium publicum in civitate exercendum (§. 257.). Sed an consentiant animi, nec ne, & in quale imperium publicum, & quale exercitium illius conspirent, intelligi a nemine potest, nisi signis convenientibus id sibi invicem declarant (§. 774. *seq. P. II. Phil. Pract. univ.*). Hujusmodi vero signa sunt pactiones (§. 216.). Quam ob rem resp. melius constitui nequit, quam pacto conveniente publicoque.

§. 259.

Quod differt a pacto civi-

Pactum, quo respublica sancitur, diversum est a pacto ineundae

tatis ineundæ. *civitatis.* Pactum de civitate ineunda tantum declarat consensum communem in finem civitatis conjunctis viribus prosequendum (§. 235.). Quod idem est, ac si per id pactum de constituendo genere societatis inter eos convenisset, sed de specie nihil adhuc esset statutum. Ita hic de modis consequendi finem civitatis per illud pactum generale nondum ulla conventio adest. Quia vero quidquid existere debet omnino determinandum est, oportet, ut, postquam genus societatis propinquum, scilicet civitas arridet, de illius quoque specie contrahatur, antequam de cæteris singularibus conditionibus statui possit, quæ efficiunt, ut civitas absolvatur exsistatque.

Similia observantur quoque in aliis pactis. Verbi causa si conventum sit inter cives de urbe munienda vel de templo condendo: de fine generatim inter eos convenit. Quo architecto autem, quanto sumtu, quo modo id fieri debeat, postea demum disceptari & conveniri solet. Sic quando de dominio rei cujusdam e. g. domus in alterum transferendo; de alienatione inter eos convenit; sed modus alienationis nondum est definitus. Ponamus etiam speciem alienationis jam placuisse, emtionem venditionem; tunc certum est, emtorem esse emturum, & venditorem vendituruum. Addatur jam conventio mutua de pretio, venditor negavit, se minori, quam 2000 imperialium pretio vendere posse, emtor promisit 2000 vallenses. Adest de pretio consensus. De solutione restat quæstio, an ea illico facienda, an fieri possit, ex toto aut ex parte, & de residua vel fides sit habenda, vel hypotheca in ædibus constituenda. Postquam hæc definita sunt, nuda adimpletio pacti restat. Non diffiteor conjungi plura pacta & contrahi in unum posse, ac sæpenumero solere. Verum tum non simplex est pactum sed compositum. Ecquis dubitet, etiam diversi generis pacta privata uno temporis tractu iniri, unoque instrumento perscribi posse? Quæ si ad civitatem applicentur, pactum civitatis & reipublicæ conjungi posse, extra controversiam erit.

§. 260.

§. 260.

Neque minus differt illud a pacto religionis publicæ, aliisque suo loco afferendis. Quia enim de religione diversa admodum dantur judicia, testibus tot religionum sectis, tot separatis fanaticis: constare in civitate debet, in quam aut quas religiones, si non omnes, plerique tamen consentiant, & quibus par debeat esse jus, vel dispar. Quod nisi mutuo consensu pactoque publico definiri non posse, oppido patet per rationes (§. 258.). Similiter convenire inter omnes debet, quibus legibus civilibus privilegiisque, & an omnibus iisdem, aut quibus aliis olim receptis sit utendum, quæ & alia hujusmodi plura publice sunt statuenda. Quæ in primordio civitatis ejusdemque reformatione pactis sancienda esse, dubio caret, & suo loco luculenter ostendetur. Hæc vero pacta differre a pacto reipublicæ quo modus imperii publici definitur (§. 358.), æque (§. 359.) ex diversitate rei definiendæ, & modi ipsi in republica statuendi, elucescit. *Item a pacto religionis aliisque.*

§. 261.

Siquidem pacto constituenda est respublica (§. 258.); pactum autem vel est expressum, vel tacitum, vel quasi pactum (§. 217.): *respublica quoque constitui potest pacto vel expresso, vel tacito, vel quasi pacto. Clarissimus tamen usitatissimusque modus statuendi rem publicam habetur in pacto expresso* (§. 218.), sive nuncupetur illud, sive scribatur quoque (§. 221. *seqq.*). *Quotuplici pacto niti possit resp.*

De pacto tacito si quis dubitet, an eo resp. constitui possit, ei considerandus foret mos antiquorum Germanorum aliorumque, qui interdum sponte sua sequebantur ducem consilio & fortitudine eminentem. Conf. *not.* §. 231. In pace ait *Cæsar* de Germanis de *Bello Gallico L. VI. c. 26. seq.* nullus communis est magistratus, sed principes regionum jus dicunt. Latrocinia juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant, atque ubi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore,

ut

ut qui ſequi velint profiteantur; conſurgunt ii, qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur atque ab multitudine lauduntur. Qui ex iis ſecuti non ſunt, in deſertorum ac proditorum numero ducuntur. An turbæ perſicæ noſtra ætate ſimilia habeant exempla, illorum eſto judicium, qui iſta penitius norunt. Quaſi pacti loco eſſet caſus, quo in maxima civitate una gens alteri, ſuccumbenti potentiori, ſubſidio ſponte veniret, debiliori ratihabente ſuorum negotiorum geſtionem, imperataque ſuccurrentis interim ſponte faciente.

§. 262.

Resp. ſummo gaudet imperio.

Omnis Reſpublica imperio gaudere debet ſummo. In Republica enim curandum eſt, ut civitas ſit libera (§. 247.), quemadmodum naturaliter libera eſſe debet (§. 50. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero imperium publicum innuit jus determinandi ea, quæ faciunt ad bonum publicum conſequendum (§. 60. *ibid.*). Quod quomodo exerceri in civitate debeat, populi pacto eſt libere conſtituendum (§. 258.). Quare populus in eo definiendo ſua gaudet libertate naturali. Quum igitur ſummum imperium ſit, cujus determinatio & exercitium non dependet ab ullius alterius hominis vel civitatis voluntate (§. 44. *ibid.*): patet oppido, omnem remp. civitatemque imperio indigere & gaudere ſummo.

Status naturalis eſt ſtatus libertatis (§. 145. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*) inde & ad libertatem conſervandam homines naturaliter feruntur. Licet ergo ineant ſocietatem, tota tamen ſocietas ſibi ſervat libertatem naturalem (§. 166. *P. VII. Jur. nat.*). Quare & civitas integra ſtudioſa eſt libertatis, ut ea non reſtringatur, niſi quatenus ejus finis id requirit. Ratione aliarum ergo civitatum illa manet libera (§. 50. *P. VIII. Jur. nat.*) neque alterius poteſtati ſubjicitur, niſi facto vel ſuo vel alieno (§. 53.). Hinc & forma civitatis in imperio potiſſimum conſpicua (§. 237.) libera atque ab aliis civitatibus independens eſſe debet in civitatibus veri nominis ideoque liberis (§. 31.).

§. 263.

§. 263.

Propter ſummum imperium quælibet civitas eſt ſui juris, nullique alteri civitati ſubjecta. Propter ſummum imperium nulla civitas dependet ab alterius civitatis voluntate (§. 44. *P. VIII. Jur. nat.*) ſed civitas, quæ in agendo non dependet ab alterius voluntate, poteſtati ejus ſubjecta non eſt (§. 134. *P. I. Jur. nat.*), ideoque libera eſt (§. 153. *ibid.*) & ſui Juris (§. 124.). Apertum igitur eſt, quando civitas ſummo gaudet imperio, eandem eſſe ſui juris, nullique alteri ſubjectam. *Inde non eſt alteri civitati ſubjecta.*

Sicut quisquis liber eſt, nulli alteri eſt ſubjectus, & quisquis nulli alteri ſubjectus eſt liber eſt, ita quoque civitas quælibet ſi naturaliter libera eſt, nullius poteſtati eſt ſubjecta, ſed ſui eſt juris. Hinc & in imperium, quo gaudere debet, alteri civitati nullum eſt jus. Inde imperium illius publicum eſt independens ſive ſummum. Patet igitur, ſi civitas eſt libera, ipſius imperium eſſe ſummum; & ſi conſtat, imperium ejus eſſe omnino ſummum, eandem quoque eſſe liberam, ſui juris, nullique alteri civitati obnoxiam. Proinde ratione aliarum civitatum civitas eſt legibus ſoluta, græcis ἀνεύθυνος & ἀνυπεύθυνος. Vid. *Ariſtot. L. II. Polit. c. 9. & L. IV. c. 4. ac. 10.*

§. 264.

Civitati ſui juris permittendum eſt, ut de ſummo imperio ſtatuat quidquid lubet, modo nihil faciat contra jus alterius civitatis. Etenim hominis libertati naturali permittendum eſt, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quam diu contra jus tuum nihil facit (§. 156. *P. I. Jur. nat.*), & quisquis liber eſt, ejus conſcientiæ relinquendum eſt, utrum actionem quandam omittere an committere velit (§. 157. *ibid.*). Jam quælibet civitas ſpectanda eſt inſtar perſonæ ſingularis in ſtatu naturali degentis (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*), eaque pariter libera eſt (§. 50. *ibid.*). Quapropter civitati quoque cuilibet permittendum eſt, ut in determinandis ſuis actionibus ſuum ſequatur judici- *Et ſtatuit quidquid lubet.*

dicium, itaque & de summo imperio statuat, quidquid ipsi lubet, modo nihil faciat contra jus alterius civitatis, vel modo non lædat aliam civitatem, saltem ejus læsionem sibi proponat moliaturque.

§. 265.

Nec potest accusari vel damnari. *Ob summum imperium nulla civitas ab altera potest in jus vocari, aut damnari.* Quælibet civitas propter summum, quo gaudet, imperium nulli alteri est subjecta (§. 263). Sed qui alteri subjectus non est, is nec accusari & in jus vocari potest, dum in illius jus vocandus est, cui est subjectus (§ 540. *P. VIII. Jur. nat.*). Quam ob rem nulla civitas ab altera potest in jus vocari, seu adigi ad causam coram judice dicendam. Si igitur ob summum imperium nulla civitas in jus vocari potest, multo minus contra illam potest cognita causa pronuntiari & sententia dari (§. 543. *ibid.*). Quamobrem, quia damnari is dicitur, contra quem cognita causa sententia datur, planissimum est, ob summum imperium nullam civitatem ab altera damnari posse.

Item quia cuilibet civitati permittendum est, ut de summo imperio statuat, quidquid velit, quamdiu nil facit, quo alteram lædat (§. 264.): perspicuum est, uti in statu naturali nemo alterum accusare vel damnare potest, ita quoque nullam civitatem, aut aliam in jus vocare aut damnare posse. Etiamsi læsio alterius civitatis admissa sit, alii tamen suppetunt modi controversiam componendi.

§. 266.

Nec obligari ad reddendas rationes. *Nulla civitas obligatur alteri, ad reddendas ei rationes, cum sic nec aliter summum imperium instituerit.* Neque enim ulla civitas alteri est subjecta (§ 263.), sed libera potius. Sed liber homo nulli hominum obligatur rationem reddere actionum suarum (§. 158. *P. I. Jur. nat.*). Quare nulla civitas obligatur alteri

alteri cuicunque, ad reddendas ipsi rationes summi imperii sic nec aliter instituti (§. 46. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod eodem jure de institutione imperii futura dici potest, quando ratio exigeretur, cur sic potius, quam aliter rempublicam instituere velit?

Res ipsa docet, agi nunc de obligatione perfecta & cum subjectione erga illam conjuncta, cui ratio reddenda esset. Humanitatis enim officio uti privatus homo, ita & civitas rationem reddere potest alteri suæ reipublicæ, si se ipsi purgare, vel eam docere velit, quod recte id fecerit, aut quomodo ipsa imitari eam possit.

§. 267.

Nec impediri vel frustrari.

Summi imperii instituta ab aliis nec impedienda sunt, nec irrita reddenda. Si enim nemo in usu juris sui impediendus est (§. 673. *seqq. P. I. Jur. nat.*); neque civitas utens suo jure instituendi summum imperium impedienda erit (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*). Si permittendum est civitati, ut de summo imperio statuat, prout ipsi lubet (§. 264), utique illius summi imperii instituta ab aliis impedienda non sunt. Si impedienda non sunt, quæ civitas de summo imperio statuere vult, vel jam statuit; multo minus illa erunt ullo modo ab aliis abolenda, infringenda, evertenda & irrita reddenda (§. 45. *P. VIII. Jur. nat.*).

Alii, quibus forte non arrident sanctiones de summo imperio conventæ, aut intra civitatem erunt, aut extra eandem. Si intra civitatem degant, erunt dissentientes ab eo, quod plerisque visum est. Hi vero nullum jus habent suam opinionem aliis obtrudendi, quando plerisque ea non arrisit; sed adquiescere eodem jure debent in eo, quod plerisque placuit, quo voluissent cæteros dissentientes suam sequi opinionem, si illi major civium pars applausisset. Hoc est stare debent pacto initæ jam societatis, quo nemini licet facere aut affectare, quæ fini obtinendo sunt contraria; hinc ubi unanimia haberi nequeant, in dissensu vota majoris civium partis pro communi omnium

ſententia ſunt admittenda (§. 79. *ſeq. P. VII. Jur. nat.*). Si autem ſint peregrini illi alii, hi nullum jus habent in civitate libera contra ipſius ſummum imperium quidquam attentandi (§. 263.).

§. 268.

Vnde ſit metiendum ſummum imperium? *Etſi imperium civitatis ſit ſummum, illud tamen ex fine civitatis ſalute publica eſt metiendum.* Summum enim non vocatur niſi ratione aliarum civitatum, a quibus illud nequaquam dependet (§. 44. *P. VIII. Jur. nat.*). In ipſa vero civitate neque ſummo Dei imperio adverſari debet, neque hominum imperio privato, in ſocietatibus minoribus neceſſario (§. 250.). Quam ob rem quemadmodum imperium in omni ſocietate judicandum eſt ex fine ſocietatis (§. 215. *P. VII. Jur. nat.*) & jus univerſorum in ſingulos, quod eſt imperium, metiendum eſt ex fine ſocietatis (§. 30. *P. VIII. Jur. nat.*): ita quoque regulæ reipublicæ (§. 240.), ipſumque ſummum imperium ex fine civitatis repetendum eſt æſtimandumque.

Quia finis civitatis eſt ſalus publica (§. 36.), fruitionem tutam boni communis, nonniſi conjunctis viribus obtinendi continens; & ſummum imperium metiendum eſt ex fine civitatis, *per demonſtrata:* ſummum imperium componendum eſt ad ſalutem publicam tum primariam tum ſecundariam conſequendam, & ex ſuo ad hanc habitu æſtimandum.

Nimirum ſalus publica eſt norma atque ſuprema lex omnium, quæ in civitate vel agenda ſunt vel omittenda (§. 116.), qui fieri igitur poſſet, ut imperium publicum ſummumque, quo civitas carere nequit (§. 262.) ad eam non eſſet exigendum? Quare illud & ab initio componendum erit ad hanc regulam, & quando poſtea illud eſt dijudicandum, examine opus erit, utrum ſaluti publicæ conveniat, an repugnet? Quo magis enim eidem conveniet, eo rectius illud habebit; & quo minus eidem conveniet, eo deterius erit comparatum.

§. 269.

§. 269.

Quidquid requiritur ad salutem publicam consequendam, conservandam & tutandam, item ad arcenda eidem contraria, illud subesse debet summo imperio. Metiendum enim est summum imperium ex fine civitatis, qui est salus publica (§. 268.). Ideo quæcunque per summum imperium vel agenda sunt, vel omittenda, eorum ratio debet esse hæc, quia salus publica & hæc & illa flagitat; aut si hoc planius videtur, quia ambo sunt ad salutem publicam adeo necessaria, ut, nisi illa fierent, hæc non fierent, salus publica aut salva non maneret; aut diminueretur, ne esset tanta, quanta esse potuisset. Jam sine quibus salus publica primaria æque ac secundaria haberi nequit (§. 51.), vel sine quibus civitas nec felix, nec fortunata esse potest (§. 53.), illa sunt ad salutem publicam necessaria (§. 116.). Ea propter quidquid requiritur ad salutem publicam comparandam, ad comparatam conservandam & defendendam, ad conservatam ulterius augendam & fruendam quantum fieri potest, (§. 117.); illud inesse & subesse debet imperio summo. *Quid summo imperio subsit?*

Quia contraria simul inesse nequeunt (§. 272. *Ontol.*); summo autem imperio inesse debet salutis publicæ adquisitio, conservatio, defensio, amplificatioque fruitionis, *per proxime demonstrata:* colligitur evidenter, imperio summo quoque arcenda esse quæque saluti publicæ sunt contraria. Sed incrementis contraria sunt detrimenta, defensioni oppugnatio, conservationi derelictio & abjectio, adquisitioni amissio s. jactura, fruitioni impedimenta ejusdem. Manifestatur ergo, summo imperio arcenda esse salutis publicæ detrimenta, oppugnationem, neglectum, jacturam & impedimenta fruitionis ejusdem.

Patet ex his amplitudo summi imperii vastissima, paucis quidem verbis ob oculos posita, sed quæ permulta involvunt,

 omnia

omnia scilicet, quæ a civitate ut civitate proficisci debent. Hinc omnia jura majestatis ex hoc fonte fluere suo patebit loco.

§. 270.

Summi imperii & privati convenientia & collisio.

Summum imperium merito abstinet a juribus civium privatorum, eaque ipsis salva relinquit, quando usu illorum non indiget salus publica (§. 250. *seq.*). Enimvero quando salus publica salva esse nequit, nisi exerceatur ab illo jus privatorum, tum postponi debet jus & imperium privatum imperio summo (§. 252.). Rarus quidem est posterior casus, quando tamen is ita emergit, ut mutari non possit, appellatur is casus necessitatis, qui parit jus quoddam ex primæva communione residuum (§. 561. *P. VI. Jur. nat.*).

§. 271.

Summum imperium vel est ordinarium, vel extraordinarium.

Summum imperium ordinarium vocatur, quod dum exercetur jura privatorum civium ipsis salva manent. Hoc plerumque & tantum non semper in civitate obtinet & exercendum est. Idem vero *extraordinarium* audit, quod tantum in casu necessitatis exercendum est, ideoque pertinet ad jura necessitatis & quidem publicæ (§. 564. *P. VI. Jur. nat.*). Unde apparet, quia ordinarium extra casum necessitatis exercetur, imperium summum vel esse ordinarium, vel extraordinarium, quod in casu necessitatis jure privatorum utitur.

§. 272.

Extraordinarium vel invitis civibus obtinet.

Summum imperium extraordinarium nonnisi salutis publicæ causa in casu necessitatis exercendum est, civium quamvis ingratiis. Extraordinarium enim imperium summum est, quod æque ac ordinarium non nisi salutis publicæ causa exercendum, sed tantum in statu necessitatis (§. 271.) quæ mutari evitarique nequit

quit (§. 270). Quare quum sit jus necessitatis publicæ inevitabilis, extra necessitatis hujusmodi casum illud locum in civitate non habet. Quia vero in tali necessitatis casu salutis publicæ causa utique exercendum est; nihil interest, num cives ultro in usum illius consentiant, quorum jure privato nunc est utendum; an ipsis invitis ille usus a summo imperio sit faciendus. Quocirca civibus vel invitis, eorumque ingratiis extraordinario summo imperio utendum esse, non est a veritate alienum.

§. 273.

Jus eminens dicitur imperium summum extraordinarium. Posset quoque Jus necessitatis publicæ vocari (§. 271.); nisi præstaret retinere vocabula usu recepta. Appellatur etiam jus eminens imperantis (§. 116. *P. VIII. Jur. nat.*). *Quid sit Jus eminens?*

§. 274.

Jus eminens vel datur in bona vel personas civium privatorum. Est enim jus eminens imperium summum extraordinarium (§. 273.), quod in casu necessitatis jure privatorum civium utitur (§. 271.). Sed jura privatorum civium vel sunt jura in sua bona, vel in suam personam & liberas actiones, quæ rebus in dominio positis æquiparantur (§. 436. *P. II. Jur. nat.*). Quam ob rem jus eminens quoque vel datur in bona vel in personas civium. *Datur vel in bona vel personas civium.*

Ita jure eminenti obsides dari possunt, etiam qui nollent obsides esse; pariter castrorum ponendorum causa seges conculcari vel depasci, sylva cujusdam cædi aut incendi potest &c.

§. 275.

Jus eminens in bona civium appellatur *dominium eminens*; *Illud est do-*

minium hoc imperium eminens. nens; uti jus eminens in perſonas civium *poteſtas eminens* dicitur; quæ pariter *imperium eminens* dici poſſet.

Idcirco (§. 111. *P. VIII. Jur. nat.*) dominium eminens dicitur jus diſponendi de rebus propriis civium ſalutis publicæ cauſa, in caſu neceſſitatis imperanti conceſſum. Et (§. 114. *ibid.*) poteſtas eminens vocatur jus diſponendi de perſona civis ſalutis publicæ cauſa, in caſu neceſſitatis imperanti competens. Denique jus eminens (§. 116. *ibid.*) eſt dominium eminens atque poteſtas eminens conjunctim, vel jus eminens in bona & perſonam ſubditorum. Hic nobis ſufficiunt hæc generalia præcepta.

§. 276.

Jus eminens imperio ſummo ſubeſt. *Jus eminens continetur ſub imperio ſummo, tam quoad res, quam quoad perſonas.* Eſt nempe jus eminens imperium ſummum extraordinarium (§. 273.) itaque in caſu neceſſitatis exercet jus privatorum civium in ſalutem publicam (§. 271.). Quod quia vel in res civium, vel in eorum perſonas exerceri poteſt (§. 174.): in propatulo eſt, continere imperium ſummum jus eminens tam quoad perſonas quam quoad res earum. Hinc continet imperium ſummum & dominium eminens (§. 111. *P. VIII. Jur. nat.*), & poteſtatem eminentem (§. 114. & 116. *ibid.*), quæ etiam imperium eminens appellari poſſet (§. 275.).

§. 277.

Item Jus vitæ & necis. *Jus vitæ & necis pars eſt imperii ſummi.* Pœnæ capitales ſalutis publicæ cauſa in civitate & licitæ ſunt, & ſæpe neceſſariæ (§. 638. *P. VIII. Jur. nat.*). Ejusdem ſalutis cauſa poteſtas eminens quoque licita eſt & ſuo tempore neceſſaria (§. 276.). Sed jus vitæ & necis appellatur jus publicum pro

prout salus publica exigit statuendi de priuatorum hominum vita & morte, vel utendi aliorum hominum vita & morte. Ideoque complectitur illud jus merentibus pœnas capitales infligendi, jus vitam subditorum periculo necis exponendi, interdum quoque jus pœnam capitalem promeritam remittendi & mitigandi (§. 834. & 842. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ quoniam partes sunt summi imperii: ipsum quoque jus vitæ necisque summi imperii pars est.

Attendenti ad rationes, unde civitatum jus vitæ & necis deducitur, patebit eas redire ad necessitatem publicam, cui vel non aliter, vel melius consuli tum potest, quam usu hujus juris. Quoniam tamen suspicari quisquam posset, ubicunque necessitas salutis id postulat, ibi quoque jus vitæ & necis locum habere, quemadmodum olim domino in servos, patri in liberos jus vitæ necisque tributum fuit; uberius de rationibus juris vitæ necisque agendum videtur.

§. 278.

Vnde illud nascatur in civitate.

Jus vitæ necisque nascitur in civitate partim ex jure se suaque defendendi, partim ex imperio eminente, partim ex officio naturali meliora cæteris præferendi. Continet enim jus vitæ necisque jus maleficos pœnis promeritis capitalibus afficiendi, jus vitam subditorum periculo vitæ subjiciendi, & jus aggratiandi, quod vocant, seu gratiam delicti faciendi (§. 277.). Enimvero jus pœna capitali afficiendi, quod jus gladii dicunt, nascitur ex jure se suaque defendendi (§. 835. *P. VIII. Jur. nat.*). Jus vitam subditorum periculo mortis exponendi v. c. in bello, partim ex eodem jure defensionis fluit (§. 834. *ibid.*), partim ex jure eminenti in personas sive ex potestate eminente (§. 274. *seq.*), quia in collisione salutis privatæ & publicæ, hæc illi est præponenda (§. 252). Quæ jura uti ex obligationibus naturalibus defendendi se & alios (§. 973. & 990. *P. I. Jur. nat.*), puniendi lædentem etc. (§. 1058. *seqq. ibid.*) originem ducunt,

 ita

ita accedit & illa obligatio, quæ cæteris meliora præferre jubet (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Atqui aperte melius est, ut jus ultimi supplicii exerceatur ab eis, qui extra partium studia sunt positi, scientia legum & actionum liberarum detegendarum quoque dum occultantur instructi sunt, & dexteritate pollent eximia leges recte applicandi ad facta, & facta occultata detegendi, qui insuper quoque jurata fide obligati sunt ad omnia rectissime scrutanda & dijudicanda, & detestanda his contraria; quam ut destituti his præsidiis gravissimis adjumentis invitamentisque, perperam sibi sumerent ista jura exercenda. Quam ob rem in civitate præsto facile sint in tanta hominum multitudine ingenia ad hujusmodi præstantiam nata, arteque exculta aut suis aut communibus sumtibus, ut excellere in his, quæ enumeravimus, artificiis politicis exercendis possint: manifestum jam est, cur ex officio naturali meliora quæque cæteris anteferendi in civitate nascitur jus vitæ necisque.

Est quidem jus vitæ necisque quadamtenus referendum ad jura necessitatis (§. 277.) & velut ad moderamen inculpatæ innocentisque tutelæ, quam tutelam in statu naturali jus naturæ nemini denegavit (§. 974. *P. I. Jur. nat.*). Potest illud quoque referri ad jus securitatis, cuilibet homini datum a Deo (§. 918. *ibid.*); nec non ad jus belli unicuique in statu naturali concessum (§. 1106. *ibid.*) & ad jus impediendi læsionem alterius (§. 989. *ibid.*). In primis si addas, unumquemque obligari ad rectum sui juris usum, vitandumque abusum (§. 62. *ibid.*), ideoque in civitate unumquemque suum jus illud, præter casum deficientis juris publici, contulisse in summum imperium, ut ab eo melius exerceretur. Tum frequentia hujusmodi casuum necessitatis, modo his, modo illis civibus obvenientium, pro causa adduci potest, cur jus vitæ & necis sæpenumero in civitate sit exercendum, atque velut jus quoddam ordinarium esse videatur. Fatemur hæc cum prolatis in ipso paragrapho argumen-

mentis majori ex parte conſpirare. Si quis tamen attentius conſideret jus neceſſitatis & tutelam vitæ ſuæ cum ſtrage aggreſſoris peragendam, ſi aliter fieri nequit iſtum deprehendet ad illius uſum requiri ipſum neceſſitatis ſeu periculi inſtantis articulum, quo negato non amplius illa ſtrages conceſſa eſt. Poſt peractam læſionem, ſi alter deſinat te aggredi, articulus neceſſitatis ceſſat, & periculum nullum inſtat quod jus neceſſitatis daret. Reſtat quidem poſt peractam læſionem jus puniendi eum, qui læſit (§. 1061. *P. I. Jur. nat.*), quod & in alterum transferri poteſt, & per ſe cadit, ſi quis pœnæ ſumendæ impar ſit (§. 1069. *ibid.*). Per hoc jus in lædentem tantum licet, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ ſive ab eodem, ſive aliis ejus exemplum ſequutis metuendæ ſufficit (§. 1059. *ibid.*). Enimvero nec lædentes punire, nec ſe ſuaque quisquam defendere extra civitatem poteſt, niſi bello privato (§. 1103. *ſeqq. ibid.*). Forent igitur bella privata fere perpetua, eaque dubii eventus, ſæpius injuſta, nec aliter gerenda, quam ut novæ prioribus injuriis adderentur, aliæque ex aliis orirentur calamitates. Præterea ex jure puniendi nec læſi jus occidendi autorem læſionis nec parentum jus vitæ & necis in liberos, nec ex jure puniendi dominorum, jus necandi ſervos ſequitur (§. 686. & 1124. *P. VII. Jur. nat.*). Nec pœnæ capitales in vico locum habent (§. 894. *ſeq. Oecon.*). Sed obvertis, eſſe tamen jus puniendi infinitum, & locum facere pœnis exemplaribus (§. 1062. *ſeq. P. I. Jur. nat.*), quibus accenſentur capitales (§. 685. *P. VII. Jur. nat.*) & (§. 638. *P. VIII. Jur. nat.*), ubi in nota dicitur, non majus jus in puniendo civitati concedi, quam ſingulis convenit in ſtatu naturali, quibus ſe & ſua cum cæde violatoris defendere licet. Verum infinitum perperam habes pro capitali jure, quod ex definitionibus liquet (§. 977. *P. I. Jur. nat.* & §. 685. *P. VII. Jur. nat.*). Neque pœnæ exemplares confeſtim ſunt aut eſſe debent capitales (§. 1062. *P. I. Jur. nat.*) vel ſemper ſumendæ & nunquam remittendæ ſunt (§. 1094-1098. *ibid.*). Quæ ex Scholio citato afferuntur, tantum continent comparationem juris necandi in caſu neceſſitatis, quæ recte

ſe habet; ſed extendenda non eſt ultra generalem ſimilitudinem. Neque enim privatus homo ſtupratorem, vel interemtorem ſororis aut uxoris ſuæ poſt peractum facinus occidendi jus habet, uti civitas, aut ſi hoc ſumere velles, exercitium illius juris, propter faciIlimum abuſum per affectus inprimis vindictam privatam, ipſi concedendum foret, quamdiu melior ratio ulciſcendi ſcelus ſuppetit. Apparet igitur præſertim ex officio meliora deterioribus, & rectum uſum juris abuſui præponendi, qui allatis de cauſis extra civitatem non æque haberi poteſt, Jus vitæ necisque non deberi niſi civitati, ſaltem cæteris paribus meliorem illius uſum extra civitates inter homines non dari. Eodem modo ſe habent, quæ de pœna in ſtatu naturali per alios exercenda adduximus. Citra pactum reipublicæ iſtud officium non eſt niſi humanitatis, quod ſubeundum non eſt, niſi ſalvis officiis in nos, aliosque, quibus magis obligamur, licet alter pœnæ ſumendæ impar ſit (§. 1069. *P. I. Jur. nat.*). Hinc per pacta declarandum ratumque faciendum eſt, cujus id eſſe debeat, & quo modo illi ſit præſtanda indemnitas ab univerſis. Neque idem hic valeret, quod de minoribus ſocietatibus recte ſtatuebatur, iſtis ſufficere poſſe pœnas, quæ capitales non ſunt, exilium, & ſimiles (§. 895. *Oecon.*). Neque enim aliis civitatibus obtrudendi ſunt nefarii hujusmodi homines, quod ab iſtis nobis fieri nolumus, a quibus liberanda eſt humana ſocietas conjunctis viribus potius, haud ſecus ac a peſte quadam omnibus pernicioſa. Hinc quando flagitioſorum malitia in delictis criminibusque perpetrandis aliter coërceri nequit, ultimo opus eſt ſupplicio, ibi irrogando, ubi id verum eſſe indubie conſtat, h. e. plerumque in civitate illa, quæ delictis eſt afflicta.

§. 279.

Summo imperio reſiſtere non licet.

Imperio ſummo reſiſtendi jus nemini eſſe poteſt. Summum enim imperium a nullo alio homine, nullave alia civitate dependet, neque ulli alii quam habenti jus quoddam in illud convenit (§. 44. *P. VIII. Jur. nat.*). Itaque nec jus reſiſtendi eidem

dem alii cuiquam esse potest. Planissimum igitur est, imperio summo resistere nemini licere (§. 1041. *ibid.*).

Est utique imperium summum cuilibet reipublicæ necessarium & proprium (§. 262.) atque est imperium publicum jus universorum in singulos complectens (§. 256.). Sed universi quidem singulos cogere ad officium possunt, non vero singuli universos (§. 255.). Neque quisquam impedire summum imperium debet, multo minus illud evertere aut irritum reddere (§. 267.). Vnde liquet nemini licere resistere summo imperio, uti debet, ad salutem publicam unice comparato (§. 268.); neque juri eminenti (§. 270.).

§. 280.

Quid sit obsequium publicum & summum.

Sicut *obsequium* generatim vocatur compositio actionum ad alterius voluntatem & imperata: ita *obsequium publicum* seu civile dicimus obsequium quod publico imperio vel publice imperatis præstatur; & *obsequium summum*, quod debetur imperio summo.

Terentianum verbum *Cicero* dicit obsequium, quia is usum ejus frequentiorem effecit. Notat autem latius facta ad alterius nutum informata, & studium faciendi quod alteri placet, strictius vero faciendi morem quod alter imperat. Recte enim imperata faciens, obsequi dicetur, & dici consuevit. Vnde obsequens est morigerus.

§. 281.

In rep. requiritur obsequium publicum & summum.

In Republica opus est obsequio publico, eoque summo. Etenim in omni re publica dari debet imperium publicum (§. 256.) idque summum (§. 262.). Enimvero imperium plane irritum foret, nisi imperata fierent, hoc est, nisi illi responderet obsequium (§. 204. P. *VII. Jur. nat.*). Quare quia obsequium publicum publico præstatur imperio, & summum obsequium summo imperio (§. 280.): manifestum est in republica quavis necessarium esse obsequium publicum summumque.

Imperium publicum vel civile erat imperium universorum in singulos, ex natura societatis civilis oriundum: inde constat per obsequium publicum singulos omnium voluntati imperatisque se subjicere, iisque suas actiones conformare debere. Neque enim imperata vel impedire, vel resistendo irrita reddere moraliter possunt aut debent (§. 267. & 279.). Inde nec negligere imperata universorum vel contemnere singulis civibus licet, neque illis contraria moliri & perpetrare, licet ipsi secus sentiant ac cæteri (§. 252. & 255.). Quia summum imperium omnia complectitur & independens est ab aliorum hominum voluntate (§. 44. P. VII. Jur. nat.), & permittendum est universis, ut de summo imperio statuant quidquid vel omnibus ad unum, vel in dissensu plerisque placet (§. 264.): summo obsequio postponendum est privatum emolumento publico a singulis (§. 270.), & opera danda, ut summo animi proclabio studioque summi imperii imperata fiant. Quia summum imperium etiam jus eminens infert, quod imperio aliarum societatum non inest, plus inferre summum obsequium, quam privatum liquet.

§. 282.

Quæ sit mensura obsequii publici summique.

Mensura obsequii publici & summi petenda est ex fine civitatis. Imperium enim summum metiendum est ex fine civitatis, qui est salus publica (§. 268.). Obsequium summum debetur summo imperio (§. 280.). Summum igitur obsequium itidem metiendum est ex publica salute, ideoque tale & tantum esse debet, quale quantumque convenit saluti publicæ. Quoniam publicum imperium pariter non est nisi propter salutem publicam, tanquam supremam legem omnium, quæ civitati inesse debent (§. 86. P. VIII. Jur. nat.); obsequium quoque publicum ad eandem lege est exigendum. Prout igitur imperii, sic & obsequii publici summique mensura petenda erit ex publica salute.

Quem-

Quemadmodum in civitate nefas eſt imperare, quæ ſalus publica non requirit, h. e. quæ nihil faciunt, ad eam adipiſcendam, conſervandam, defendendam, augendam, & ad arcenda his contraria: ita quoque obſequio publico non niſi hujusmodi imperata ſunt facienda, & prohibita fugienda. Siquid autem imperaretur quod omnino ſaluti publicæ eſſet adverſum, illi obſequendum non foret, æque ac liberis parendum non eſt, ſi parentes imperent repugnantia juri naturæ (§. 672. *P. VII. Jur. nat.*).

§. 283.

Proxima eſt imperium civitatis.

Proxime reſpondere debet obſequium imperio civitatis. Debet enim facere imperata in civitate, obſequium publicum quidem imperii publici, ſummumque imperii ſummi (§. 280.). Sed imperatorum ratio proxima, unde proficiſcuntur, eſt imperium publicum ſummumque, quod per ſe claret. Proinde ſi imperii uſus ſit rectus, recte imperata facienda ſunt, quia ſunt imperata omnibus; vel omittenda quia omnibus ſunt prohibita. Si uſus imperii non ſit rectus, ſed abuſus, male imperata non erunt facienda (§. 282.). Proxima igitur ratio obſequii civium, erit imperium civitatis in genuina indole ſua ſpectatum.

§. 284.

Obſequium publicum pacto determinandum.

Quia in omni civitate opus eſt imperio & obſequio publico ſummoque (§. 281.); & obſequium proxime reſpondere debet imperio civitatis (§. 283.): apertum eſt civibus æque conſtare debere obſequium præſtandum, ac imperium, cui eſt præſtandum. Quum ideo certum hoc omnibus eſſe debeat, in republica conſtituenda præter imperium definiendum declarandumque eſt obſequium publicum. Quare uti reſp. pacto eget, quo imperii ratio declaratur (§. 258.): ita *obſequium quoque publicum pacto erit definiendum recipiendumque.*

Non ſecus igitur obſequium atque imperium pertinet ad ordinem civitatis, quia iſta duo ſunt relata mutua, quæ poſito uno ſimul ponuntur, ſublato uno ſimul tolluntur (§. 864. *Ontol.*). Ea de re in republica tamquam ordine civitatis cum imperio obſequium quoque publicum continetur. Idcirco *Stagirita L. IV. Polit. c. 1.* rempublicam dicit inſtitutionem (ταξιν) civitatis circa magiſtratus (αρχας imperia), quemadmodum debeant tribui, quomodo ſummum imperium (το κυριον) debeat eſſe comparatum, & quis finis ejus eſſe debeat? Et ipſo quoque verbo connectit cum imperio obſequium *L. I. Polit. c. 5.* ſcribens: imperare & parere (το γαρ αρχειν και αρχεσθαι) non ſolum ſunt e numero neceſſariorum, ſed & perutilium. - - Species multæ & imperantium ſunt & parentium (αρχοντων και αρχομενων) & ſemper melius imperium meliorum eſt parentium. Nam quod a melioribus perficitur (αποτελεμενον), melius eſt opus. Vbi vero aliud imperat, aliud obſequitur, ibi eſt quoddam horum opus. Reliqua quærantur in loco citato. Jam ſi imperans eſſe nequit, ſine quodam cui imperatur; nec imperium in republica conſiſtere poteſt ſine obſequio.

§. 285.

Cur imperium ſummum differre poſſit, licet in ſe idem ſit?

In ſe quidem ſummum imperium obſequiumque in omnibus civitatibus generatim convenit; hoc tamen non obſtat, quo minus & imperium & obſequium differre formis poſſit. Eſt enim ſummum imperium in omnibus civitatibus independens nec cuiquam jure obnoxium (§. 44. *P. VIII. Jur. nat.*), & nulla civitas alteri ſubjecta (§. 263.). Hæc & cætera, quæ ex natura civitatis generali, quæ omnibus eſt communis, prognata ſunt, non re ipſa, ſed gradu tantum differre poſſunt. Conſtat igitur ſummum in civitatibus imperium, ipſique reſpondens ſummum obſequium generatim & in ſe convenire, ac tantum non unum idemque eſſe.

Quia tamen imperium ſummum vel ab univerſis retineri, vel pro lubitu eorum non retineri ſed transferri ab ipſis alior-

aliorsum potest, & modus transferendi, quoque ab eorum arbitrio dependet (§. 36. *P. VIII. Jur. nat.*) constat, imperium varias induere posse formas, quibus respondens obsequium simul diverso modo gaudet (§. 283.). Generalis ergo convenientia summi imperii omnium civitatum non obstat, quo minus plures & imperii & obsequii summi species dari possint.

Est hæc omnium pæne jurium ratio, ut quisquis jure quodam gaudet, is illud vel sibi retinere, ipseque eo uti possit; vel etiam alii vices suas in exercitio ejus demandare, aut & plane alienare illud, & in alium transferre possit. Inprimis si jus sit liberum & tantum, quantum esse potest, ejus alienationi nihil obstare intelligitur. Sed jus summum est liberum tantumque, quantum esse potest. Hinc libera universis facultas est, de eo statuendi, prout sibi convenientius videtur.

§. 286.

Populus potest imperium summum aut sibi retinere aut alienare.

Quia universorum in civitate est imperium publicum (§. 256.) idemque summum (§. 262.); universi autem cives appellantur populus (§. 31.): patet, imperium civitatis esse populi peculium, & in populi potestate atque dominio (§. 257.). Quare uti dominus de suo dominio, ita populus de imperio civitatis decernere potest prout ipsi consultum & officio suo consentaneum videtur (§. 118. & 216. *P. II. Jur. nat.*). Sed domini in arbitrio positum est, velitne dominium sibi retinere, illoque pro officii ratione uti fruique, an vero alienare (§. 664. *seq. P. II. Jur. nat.*). *Est igitur in populi arbitrio, velitne imperium civile sibi retinere, an illud alienare, qua lege placet* (§. 36. *P. VIII. Jur. nat.*).

Alia habetur probatio hujus effati in postremo citato loco, quæ e natura societatum derivatur, ad quas civitas utique communi natura sua revocanda est. Postulari quoque idipsum posset, tanquam cujusvis domini arbitrio vel in civitate relictum; nisi præstaret ostendere, id recte factum esse.

§. 287.

Quando oriatur democratia?

Si populus imperium sibi mavult retinere, quam illud alienare, oritur simplicium Reip. formarum prima, quæ popularis vocatur vel democratia. Etenim si populus mavult imperium civitatis retinere, quam alienare, tum manet imperium civitatis penes populum. Sed si imperium civitatis est penes totum populum, forma reipublicæ dicitur democratia, vel status popularis (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*). Jam forma reip. non est nisi genus vel quædam species sub genere reip. comprehensa, ideoque ordo imperandi & parendi magis determinatus (§. 236. *seq.*), & simplex reipublicæ forma vocatur, quæ in alias formas reip. resolvi nequit, quemadmodum actio simplex est, quæ in alias resolvi nequit (§. 731. *Ontol.*); vel quæ unico tantum ordine civitatis gaudet (§. 236), uti perfectio simplex vocatur, cujus ratio determinans est unica (§. 507. *Ontol.*). Eapropter si populus imperium sibi mavult retinere, quam alienare, oritur simplicium reipublicæ formarum prima, quæ popularis vocatur, vel græco nomine democratia.

A populo dixit Cicero imperium populare, hinc & hæc resp. popularis dici potest. Græco nomine hæc forma ab *Aristotele* πολιτεια vocatur *L. III. Pol. c. 7.* Cum multitudo gubernat ad communem utilitatem, vocatur communi rerumpublicarum nomine (πολιτεια) resp. quod etiam nunc passim usu venit, forte quia male populi nomen cum vulgo confunditur, & cum infima plebis fæce. Vbi in fine (δημοκρατειαν) populare dominium vocat, ubi ad commodum egenorum imperatur. Quæ *Platonis Dialogo 8. de rep.* consona sunt. Fatetur tamen Aristoteles olim πολιτειαν dictam fuisse democratiam *L. IV. Polit. c. 3.* in qua summum imperium est penes populum (οταν κυριον το πληθος & *L. IV. cap. 13.* πολιτειαν ἁ προτερον εκαλεν δημοκρατειαν. Quam formam ipse non in malam partem accipere videtur & ibidem *&* *c. 8. L. I. Rhetor.* Ea de ratione factum esse autumo, ut Democratiæ nomen adhibitum sit (§. 131. *sqq. P. VIII.*

P. VIII. Jur. nat., cum antea in germanicis & Thümmigianis institutionibus politiæ nomen haberetur. Plerique nomen democratiæ non ineptum bono sensu honestoque (§. 257.) quem hic exhibuimus, usurpant, ut usui recepto refragandum non esse videatur. Cæterum cur prima hæc forma dici possit, docetur in scholio §. 132. P. VIII. Jur. nat. Nobis hic sufficit, eam statui naturali hominum, qui libertatis est & æqualitatis, apprime respondere.

§. 288.

Præcipuus Democratiæ finis.

In democratia maximum studium libertatis privatæ inde & fortitudinis conspicuum est. Etenim in Democratia summum imperium est penes populum, vel universus populus particeps est imperii civilis (§. 287.). Idcirco unusquisque civis gaudet privata libertate, quanta in civitate haberi potest, hac tantum parte restricta, ut cuique universis sit obsequendum (§. 255. *seq.*). Proinde studium libertatis privatæ, quæ in statu naturali datur, quanta in civitate esse potest, præcipua ratio vel pupilla oculi esse deprehenditur, quam singuli maxime curant. Maximum igitur libertatis privatæ studium in democratia esse conspicuum, extra controversiam positum apparet.

Ex studio libertatis privatæ nascitur etiam studium eam defendendi. Quæ defensio sine usu & peritia armorum adversus internos externosque ejus insidiatores fieri nequit. Ea propter populus incitatur ad usum peritiamque armorum sectandam, itaque ad virtutem bellicam, seu bellum fortiter pro aris & foris gerendum redditur expeditus. Patet igitur ratio, cur populus in democratiis in bellis fortiter gerendis sæpe eminuisse deprehendatur.

Non præteriit acumen *Aristotelis* suo ævo ista laus rerumpubl. popularium. Quare profitetur *L. III. Polit. c. 7.* Vt vero multitudo excellat ad omnem virtutem, difficile est, præterquam ad bellicam; hæc enim in multitudine reperitur. Quare in

re in popularis reip. ſpecie principaliſſimum ac potiſſimum eſt robur in bello (*κυριοτατον το προπελεμεν*) cujus participes ſunt, qui ſunt arbitri armorum ſuorum (*οἱ κεκτημενοι τα ὁπλα*). Docuit illud jam tum temporis Græciæ rerumpublicarum hiſtoria; confirmarunt id poſtea Carthaginenſium, Romanorumque bella longe lateque fortiſſime geſta. De libertate vero ſtatuit, eam eſſe finem (*τελος*) democratiæ *Lib. I. Rhetor. cap. 8.*

Populum in democratia admodum eſſe (phileutherum libertatis ſuæ ſtudioſum omni ævi memoria oſtendit. Inde *Ariſtoteles Polit. L. VI. c. 2.* propoſitum popularis reipublicæ, inquit, eſt libertas (*ὑποθεσις της δημοκρατικης πολιτειας, ελευθερια*). Quod ille quidem eatenus reprehendit, quatenus libertas in eo ponitur, ut per vices imperent & pareant, ut inopes, qui & plurimi ſunt, prævaleant numero non meritis (*κατ' αξιαν*); quatenus libertatis eſſe putant, vivere ut velis; & ſervitutis, vivere alieno arbitrio, non ut ipſe velit (*το ζην μη ὡς βουλεται*). Cum de aberrationibus nunc nondum ſermo ſit, id tamen profiteri vel errantes conſtat, Democratiæ metam ad quam omnes collineant, eſſe libertatem ejusque ſtudium (*φιλελευθεριαν*). Id jam Ariſtotelis ævo democratiæ ſibi tanquam proprium arrogarunt; *loco cit.*: Hoc dicere ſolent, quaſi in ſola hac republica gauderent libertate, quam unice ſpectare dicunt (*ςοχαζεσθαι*) omnem democratiam. Cum qua libertate & æqualitatem civilem ſeu paritatem omnium civium obtineri contendunt, uti per ſequentia ibidem, & extremum capitis videre eſt.

§. 289.

Quæ ſit iſocratia. *Quando in civitate maxima ratio habetur æqualitatis membrorum ejusdem, quanta haberi poteſt, iſocratia dici illa meretur.* Nimirum in ſtatu naturali homines ſunt moraliter æquales, iisdem gaudentes juribus, iisdemque ſibi devincti officiis (§. 81. 89. 92 & 130. *P. I. Jur. nat.*). Jam ſi qua civitas potiſſimum ſtudeat æqualitati morali conſervandæ, illa a ſtudio æqualitatis præcipuo denominari merebitur Iſocratia vel ſocietas æqualis (§. 28. *P. VII. Jur. nat.*).

Clarum

Clarum est nomen Isocratis, Græcorum, disertissimi doctissimique oratoris, a quo hæc denominatio & lucem fœneratur & nobilitatem, qua Herodotus jam usus est. Non igitur de ea nunc sermo est æqualite, quam omnibus democratiis communem vocat *Stagirita L. VI. Polit. c. 2.*, qua nihilo magis gubernant divites quam pauperes, neque soli imperant illi, sed omnes ex æquo secundum numerum. Hanc enim populus existimat esse æqualitatem in republica. Cæterum si ratione sociorum æqualis dicitur, ratione formæ imperii isocratia erit.

§. 290.

In civitate maxima occurrens.

Quandoquidem civitas maxima status quidam popularis est (§. 19. *Jur. Gent.*), in qua maxime moralis hominum vel civitatum æqualitatis ratio habetur (§. 16. *ibid.*). Licet vero universis in singulas imperium aliquod competat (§ 15. *ib.*), non tamen inter eas agitur de imperandi vicissitudine, ut omnes ex omnibus jus habeant creandorum judicum vel dictatorum. Vnde præsertim æqualitatis moralis in juribus & officiis naturalibus ratio inter eas haberi dicatur. Quamobrem civitas *maxima peculiari nomine isocratiæ distingui ab aliis civitatum formis commode posse videtur.*

Honorificentius hoc nomen non abs re statuitur nomine democratiæ, si vel populi honestati nihil cupiamus derogare. Eminentem enim adeo sonat democratiam, in qua moralis æqualitas tanta sit, quanta haberi potest. Quæ præcellentia hujus formæ reipublicæ sic ipso nomine denotatur. Satis quidem convenit inter omnes, non opus esse, ut nomina rebus exacte conveniant, quum ab arbitrio humano dependeat eorum impositio; congruum tamen & aptius semper dicitur & judicatur nomen, quod rem ipsam quadamtenus aliqua proprietate adumbrat, quam quod vel nihil rei indicat, vel quoddam ipsi cum pluribus aliis commune. Præferimus etiam nomina breviora longioribus, ubi haberi possunt, ut democratiam, & ari-

ſtocratiam potius dicimus, quam ſtatum popularem, aut optimatum remp.

§. 291.

Alienatum imperium uni, aut pluribus conjunctim conferri poteſt.

Si populus imperium mavult alienare, quam ſibi retinere, poteſt illud pro lubitu ſuo vel in unam perſonam, vel in plures conjunctim transferre, quomodo placet. Etenim ſi populus imperium jure dominii mavult alienare, mavult illud in alium transferre, quam ſibi retinere (§. 662. *P. II. Jur. nat.*). Enimvero quoniam quilibet rem ſuam alienare poteſt, prout ipſi lubet, vel in unum vel in plures alios ejus proprietatem transferendo (§. 665. *ibid.*) & (11. 12. *P. III. Jur. nat.*), idque etiam valet in rebus incorporalibus ſeu juribus (§. 670. *P. VII. ibid.*): populus quoque imperium ſuum transferre poteſt vel in unum vel in plures alios, prout ipſi conſultius videtur, diviſim an conjunctim exercendum (§. 36. *P. VIII. Jur. nat.*).

Quia de re incorporali vel de jure hic ſermo, & in dominii arbitrio eſt, in quem illud transferre velit (§. 12. *P. III. Jur. nat.*), liberum ipſi eſt, illud conferre vel in unicum vel in plures. Quis enim dubitet patrem jus liberos ſuos erudiendi vel uni vel pluribus tradere poſſe, prout ipſi conſultius videtur? Si vero pluribus mavult illud tradere, quam uni, iterum in ipſius arbitrio eſt, velitne eos conjunctim illud jus exercere, an diviſim? Priori caſu conjunctis viribus id jus erit exercendum, v. c. jus adminiſtrandi bona pupilli ſuamque poteſtatem pater tradere poteſt poſt obitum ſuum vel pluribus tutoribus conjunctim gerendam communi conſilio & conſenſu; vel diviſim, ut unus ſola immobilia adminiſtret, alter ſola mobilia, tertius ſolus educationi præſit. Gerunt plures conjunctim idem munus, quando nihil unius arbitrio fieri poteſt, ſed cæterorum conſenſu opus eſt ad gerendum unumquodque.

§. 292.

Si uni co-

Quando populus imperium ſuum transfert in unicam duntaxat perſo-

personam, tum nascitur monarchia, vel regnum absolutum. Si nempe populus summum imperium, quo gaudet in unam transfert personam, tum summum imperium incipit esse penes illum unum hominem, vel est in unius illius proprietate & dominio (§. 257.) & (§. 661. *P. II. Jur. nat.*), in quem fuit translatum. Sed respublica, in qua summum imperium non est nisi unius hominis, adpellatur monarchia (§. 133. *P. VIII. Jur. nat.*) vel regnum absolutum (§. 66. & 139. *ibid.*). Lucet igitur, eo casu, quo populus imperium suum in unicam transfert personam, nasci monarchiam, latinis regnum absolutum dictam. *fertur, habetur monarchia.*

Monarchia, inquit *Aristoteles Rhetor. L. I. c. 8.* secundum ipsum nomen est, resp. in qua unus est omnium dominus, quæ si ordini consentanea (recta) est, regnum (βασιλεια) vocatur. Ideo *Lib. III. Polit. c. 7.* regnum dicit monarchiam, ad communem salutem (συμφερον) comparatam sive respicientem (αποβλεπουσαν). Eodem *Lib. III. c. 10.* innuit regnum esse civitatem, in qua unus (solus) omnium optimus imperat. Quia vero ipse Aristoteles regnum sæpe latius usurpat ut principatum latini, præstabit hic regnum absolutum, quod limitatum non est, adhibere, aut uno nomine monarchiam. Quia summum imperium in monarchia non est nisi unius, etiam hic secundum eundem omnia ordinantur, seu ordo civitatis resp. simplex habetur, quam secundam vocare licet, nisi eam temporis causa cum *Aristotele* primam dicere malis. Contendit enim *Lib. IV. Polit. c. 2.* monarchiam esse primam remp. Cujus rationem hanc affert *L. I. Polit. c. 2.*: quia civitates primo sub regibus erant (εβασιλευοντο), nunc etiam gentes, quæ coaluerunt ex iis, quibus reges erant (potius quibus unus præerat.). Omnis enim domus regitur a seniore (ὑπο του πρεσβυτατου) quare itidem (reguntur) coloniæ propter consanguinitatem, quod confirmat illo Homeri: jura dant singuli natis & uxoribus. Suffragatur ea in re Aristoteli historia sacra, ut a posteriori recte quodammodo dicatur,

catur, monarchiam esse antiquissimam reip. formam, addatur (§. 886. *seqq. Oecon.*). Si tamen deinde consideretur resp. uti pacto humano recte oriri possit, tum democratia fontem juris aperit, quo unus omnibus recte imperare possit. Quanquam suo hic sensu cuique abundare licet.

§. 293.

Monarchia affinis est imperio divino.

Monarchia, recte se habens, divino imperio propior est, cæteris rebus publicis. Est enim regnum absolutum, nullis humanis limitibus circumscriptum, in quo summum imperium in unius est proprietate (§. 292.). Sed hujusmodi in longe eminentissimo sensu est absolutum unius Dei dominium & imperium in totum hoc universum, omnesque in eo res intelligentes (§. 965. *seq. P. I. Theol. nat.*). Cum igitur divinum imperium sit optimum, idque monarchicum, seu regnum absolutissimum; in aprico est, monarchiam, recte comparatam vel cæteris paribus, divino imperio esse similiorem, quam cæteras rerumpublicarum formas.

Hæc ratio movisse intelligitur *Aristotelem*, ut *Lib. IV. Polit. c. 2.* regiam formam reipublicæ diceret divinissimam (θειοτάτην) si talis sit propter magnam regis excellentiam. Sic *L. III. Polit. c. 13.* scribit: Si unus sit adeo excellens virtute, ut vix comparanda illi sit omnium cæterorum virtus & facultas gerendi remp. eum putandum esse tanquam Deum inter homines. In talem non esse legem, ipsum enim esse legem *c. 15.* Eo nomine regiam formam reip. appellat optimam *L. 8. de mor. c. 12.* Potuisset Aristarchia dici a monarchia.

§. 294.

Aliæ rationes eam suadentes.

Invitare homines ad eligendam monarchiam potest & hæc ratio, quia facilius est reperire unum virtutibus præstantem, & beneficiis erga cæteros clarum, quam multos. Nihil enim optabilius est civitati, quam ut summum imperium recte se habeat conveniatque voluntati divinæ (§. 242.) quo felix esse possit & stabilis (§. 245. *seqq.*)

seq.). Enimvero hoc fieri nequit, nisi in imperio optima, quæ haberi possunt, præferantur (§. 241). Sed inter tot homines depravatos facilius reperiatur unus, quam multi, virtutibus ita excellens, ut optime saltem melius quam cæteri imperio publico præesse possit, quam multi. Qui ideo magis merebitur, si etiam plurimis erga alios beneficiis jam inclaruit. Quapropter liquet, invitare cives ad eligendam monarchiam potuisse quoque facilitatem citius reperiundi unum, propter virtutum præstantiam & beneficiorum copiam ac merita, imperio dignum, quam multos.

Hanc rationem urget *Aristoteles Lib. III. Polit. c. 15.* Ob hoc forsan rex ab initio repertus est, quod difficile erat, viros plures excellentes virtute reperire; præsertim cum tunc civitates parvæ essent. Præterea ob accepta beneficia regem creavere, quod est opus bonorum virorum.

§. 295.

Quænam sit aristocratia.

Si vero pluribus, quam uni, iisque optimatibus, summum imperium conjunctim tradatur, nascitur tertia simplex forma reipublicæ, quæ aristocratia salutatur. Etenim si summum imperium transfertur in plures uno, quidam tantum, iique pauci, illud deinde tanquam suum peculium habent. Sed quoniam populus conjunctim imperium summum habet; nisi expresse aliud declaretur, conjunctim quoque illud paucis illis traditum intelligitur, ut non penes unum totum sit, uti in monarchia, neque penes alium hæc pars illius, & alia penes alium eorum, sed penes optimates simul sumtos, vel penes concilium optimatum sit summa rerum (§. 291.). Quare quum & hæc forma reip. unum duntaxat ordinem civitatis, unamqne regulam imperandi & parendi contineat, scilicet, ut semper & in omnibus summum imperium habeatur in concilio optimatum: planum est, & hanc formam reip. esse simplicem, ideoque post duas

duas jam memoratas tertiam, vel rationem imperantium meddiam, quia inter unum & omnes, aliqui ſeu pauci interſunt. Satis ergo apparet, ſi in optimates imperium conjunctim transferatur, eam naſci ſimplicem reip. formam, quæ clariſſimo nomine Ariſtocratia ſalutatur.

Retinuit quoque Cicero & jure Latii donavit Græcorum Ariſtocratiam, cui unum nomen in latino ſermone nullum reſpondet, ſed circumſcribi ſolet, optimatum respublica. *Ariſtoteli* *L. VI. Polit. c. 7.* vocatur ἀριςοκρατεια ea resp. qua plures uno pauci tamen ſumma poteſtate gaudent communis ſalutis cauſa. Rationem denominationis reddit duplicem 1) hanc, quia in ea optimi præſunt 2) quia ad id, quod in bono publico vel civitati optimum eſt conjunctis viribus reſpicere debeat. Optimi autem non dicuntur qui vel divitiis, vel pulchritudine vel nobilitate vel magnitudine alios ſuperant, uti in Aethiopia magiſtratus olim diſtributi feruntur (*Ariſtot. L. IV. Polit. c. 4.*) vel uti Saul maximus erat inter omnes Iſraelitas; ſed qui virtute excellunt *Lib. III. Polit. c. 17.* quanquam tales imperantes in omnibus rebuspublicis requirantur *Lib. III. Polit. c. 18.* Quia ratione cæterorum civium optimates ſunt pauci, refert *Ariſtoteles Lib. IV. Polit. c. 3.* a quibusdam eam eſſe dictam oligarchiam, cujus ſpecies ſit Ariſtocratia (την ἀριςοκρατιαν της ὀλιγαρχιας ειδὸς τιθεασι). Poſtea vero jam Platonis & Ariſtotelis ævo oligarchia vitioſæ paucorum imperantium dominationis nomen fuit. Cæterum in modo formas rerum publicarum definiendi alii dichotomiam, alii trichotomiam ſequuntur. Qui duas malunt formas, afferunt monocratiam & polycratiam (*Martini Polit. L. II. c. 2. n. 4.*) vel monarchiam & polyarchiam, quarum illam *Machiavellus* vocat principatum, hanc rempublicam *c. 4. de principiis rerump.* Sed hi revera non diſſentiunt ab illis, qui tres recenſent formas, utpote dirimentes polycratiam in ariſtocratiam & democratiam. Quemadmodum qui Triangulum ratione angulorum dividunt in rectangulum & obliquangulum, hoc vero in acutangulum & obtuſangulum æque tres admittunt ſpeci-

species, ac qui illas illico ennarrant. Alii vero dividunt formas in rectas & pravas, ducibus Platone atque Aristotele. Sed hæc divisio potius est hominum imperantium, quam ipsius reipublicæ. Saltem accidentalis dici potest, & abusus neglectusque formæ genuinæ.

§. 296.

Quando unius virtus adeo eximia non est, uti ad summum imperium requiritur, plurium tamen egregiæ virtutes conjunctim excellentissimam, quæ haberi possunt, conficere valent, tum aristocratia in alienando summo imperio præferri meretur. Etenim si populus imperium mavult alienare, quam sibi retinere, potest illud vel in unum, vel in plures conjunctim transferre, prout placet (§. 291.). Sed ope distinctæ cognitionis non placebit tunc in unum illud transferre, quum unus non datur tot virtutibus præcellens, quot ad summum imperium requiruntur: quia sic non recte consuleret publicæ saluti, uti debet (§. 86. & 153.). Placebit igitur præferre plures optimates, uni eorum, quorum virtutes conjunctim sumtæ sufficiant summo imperio ad salutem publicam accommodando. Sic in alienando imperio summo præferri merebitur Aristocratia, quando unius adeo eximia virtus non occurrit, quanta ad summum imperium requiritur; plurium tamen egregiæ virtutes conjunctim sumtæ eidem pares deprehenduntur, vel summam illarum virtutum conficiunt, quæ imperio summo pares ducuntur.

Quando Aristocratia recte constituatur.

Fallor, aut similia fere jam in mentem venerunt Politicæ conditori *Aristoteli L. III. Polit. cap. 7.* largienti, facilius unum aut paucos virtute excellere quam omnes, *c. 15.* item alia tractando, ait optabilius fore civitati, ab optimatibus regi, modo plures (æque studiosi virtutum) reperiri possint - - - Cum postea contingeret, ut plures pari virtute reperirentur, non amplius civitates tolerasse regem, sed commune quiddam quærentes, remp. constituisse optimatum. *Lib. IV. c. 7.* ait, Aristocratiam

 recte

recte appellari illam, quæ ab optimis viris simpliciter per virtutem gubernatur; non eam, quæ videtur tantum ab optimis regi; licet largiatur, & illos appellari optimates, qui tales apparent *Rhet. L. I. c. 8.*

§. 297.

Aristocratia medium tenet inter monarchiam & democratiam.

Commendare etiam Aristocratiam potuit media illius inter monarchiam & democratiam natura validissime excitandis eminentioribus virtutibus civilibus inserviens. In monarchia enim unus rerum omnium arbiter est monarcha (§. 292.), quæ quidem Theocratiæ esse potest viva imago (§. 293). Sed imbecillitas humana, nec unum in civitate omnia scire; nec omnibus optime gerendis parem esse sinit; nec mortalitas optimum licet monarcham semper superesse civitati patitur. Nunquam fæculo, perraro vix dimidio regnare monarcham videmus. Vbi excedens e vita vel nullos, vel impuberes aut infantes relinquit hæredes, vel nullos, vel dubios & de principatu contendentes, civitati non ita consultum est, ac vivo benigno monarcha, aut civitas bellis implicatur funestis. Omnis populi raro æquus datur consensus, unde facile factiones seditionesque ambitiosorum demagogorum rempublicam in summum adducunt discrimen, ipso libertatis abusu (§. 287. 288). Optimates in Aristocratia & inter se facilius cavent, ne unus eorum ad monarchiam adspirare possit, & populus simul obstat istiusmodi ambitioni. Iidem melius examinare consilia & tutiora sequi solent, nec facile carent dignis successoribus æmulisque virtutum, quum virtutibus deberi optimatum locum animadvertunt. Augendis ergo civium virtutibus ac fortunis, & cavendis civitatis malis accommodatior esse potest Aristocratia recte se habens (§. 296.) Quapropter commendat Aristocratiam illius media inter monarchiam & democratiam natura.

Eamdem vero inservire validissime excitandis virtutibus civi-

civilibus excolendisque ab omnibus, qui apti ad illas nati ſunt, inde elucet, quia majora præmia magis movent animos, quam minora. Sed majora dare civitas nequit ipſo ſummo imperio, in medio poſito loco brabei.

Paullo aliter id inculcavit Stagirita *Lib. IV. Polit. c. 11.* Si recte dictum eſt, vitam beatam eſſe ſecundum virtutem non impeditam, virtutem autem ipſam eſſe mediocritatem: neceſſe eſt, mediam vitam & in civitate optimam eſſe; eamque ex mediocritate, quam quilibet aſſequi poſſit, eſſe æſtimandam - - Eſt enim resp. quædam civitatis vita - - - Inde inter divitias & inopiam intercedens mediocris bonorum fortunæ poſſeſſio etiam optima eſt judicanda, quæ facilis eſt ad obedientiam mandatorum - - - Qui bonis fortunæ abundant, velut opibus, divitiis, amicis & aliis hujusmodi, nec imperium cujusquam pati volunt, nec ſciunt ſive docti ſunt - - - Qui autem nimia laborant indigentia, dejecto nimis animo vilesque exiſtunt, ex quo fit, ut magiſtratus gerere neſciant, ſed ad parendum ſerviliter ſint aptiores. Efficitur ergo inter hos dominorum & ſervorum civitas, non autem liberorum, quod plurimum abeſt ab amicitia & civili ſocietate. Maxime igitur civitas ex iſtis mediis & paribus fieri poteſt & debet, & hujusmodi civitas optime gubernatur - - - Neque enim hi inſidiantur aliis neque alii iſtis. Optima igitur erit civitas, ex mediocribus conſtans, & in qua vel mediocres plurimum valent, vel plurimi ſunt. Sola hæc exceſſus optime cavet, ſeditionibusque carebit - - - Melior igitur e cæteris erit, quæ proxime huic accedit; deterior vero, quæ magis diſtat a medio, niſi ad inanem ſpeciem judicetur. Alibi de iſta, quæ hic urgetur, mediocritate dicendi locus erit. Dictis igitur illud tantum videtur addendum eſſe: quum ſalus publica virtutibus ſit ſuperſtruenda (§. 40.) & egregiæ virtutes in illa ſint neceſſariæ, ad omnia rite perſpicienda, ſtatuenda & conſervanda, quæ ſalutis ratio requirit: civitati enitendum eſſe, cum omnes eminere virtutibus nequeant, ut tot provocet ad eminentiores virtutes, quot ad eas apti ſunt & habiles nati.

nati. Quod utique validius fieri nequit, quam si virtutibus suis ipsum civitatis imperium præmii loco propositum videant. Quam esse indolem aristocratiæ notio ejus docet (§. 295.). Quomodo hæc in reliquis civitatibus imitanda sint, deinceps ostendetur. Sufficit, Aristocratiæ tot hominum virtuti eminentiori excitandæ excolendæque, quasi propriam videri, quot ad illam adspirare valent voluntque, propter incitamenta ab ipsa civitatis indole & reipublicæ forma sibi efficacissime suppeditata. Maxima præmia & Deus hominibus proposuit in futura vita, & civitates recte proponunt virtutum culturæ promovendæ. Ne miremur igitur Stagiritam Aristocratiæ finem (ὅρον) & terminum in virtute ponentem *L. IV. Polit. c. 8. & L. I. Rhet. c. 8.*

§ 298.

Cur simplices reip. formæ sint tres? *Simplices Rerum publicarum formæ non dantur nisi tres.* Etenim simplices rerum publicarum formæ in alias formas resolvi nequeunt, sed unico tantum ordine imperandi parendique gaudent (§. 287.). Quoniam ipsa resp. non est nisi ordo civitatis, ordinem imperii & obsequii civilis inferens (§. 236.): patescit, ordinem imperii summi a quo in republ. omnia pendent & reguntur non aliter penitus, variare posse, quam ratione eorum, in quorum manu seu proprietate illud situm est, hoc est ratione numeri imperantium generatim diversi. Ab imperio enim summo obsequium dependet (§. 280.). Tot igitur dabuntur formæ rerum publicarum genera speciesve, quot dari possunt numeri imperantium generatim diversi, alium ordinem imperii summi efficientes, a quo ordine imperii publici, tanquam a primo principio, omnia reliqua in republica dependent. Sed hujusmodi numerus imperantium vel est minimus, vel maximus, vel inter utrumque medius. Minimum imperantium numerum sistit unicus vel quasi unus, in monarchia. Maximum imperantium numerum sistunt omnes cives habiles, vel quasi omnes in democratia. Medium denique numerum sistunt

sistunt pauci, quot nempe pro civitatis indole sufficere optime possunt, in Aristocratia. In *Monarchia* summum imperium omne est in unius arbitrio (§. 292.); in Aristocratia totum est in optimatum arbitrio (§. 295.); & in Democratia totum est in populi arbitrio & proprietate (§. 287.). Sed totum si dividatur, non manet totum seu salvum, nec in similia tota homogenea dividi potest, præsertim in moralibus. Si quid simile post divisionem oriretur, id antea tale in rep. non fuisset, sed foret novum. Hinc resolvi nulla harum rerum publicarum in alias potest. Sunt ergo tres simplices reip. formæ, nec plures nisi tres, nec pauciores.

Quia civitas est societas vicorum tanta, quanta haberi potest, salutis publicæ causa coalescens (§. 31.) & in qualibet societate universis est jus cogendi singulos, ad actiones suas fini societatis attemperandas (§. 9. *P. VII. Jur. nat.*): itidem in civitate universis jus est, singulos adigendi ad officia erga civitatem (§. 255.). Quod jus cum sit imperium publicum (§. 256.): liberum erat civitati id jus vel per se exercere in democratia, vel per unum quemdam, in monarchia, vel per paucos optimates in Aristocratia. Quia summum imperium civitati est ita proprium, ut primum inter ejus proprietates merito censeatur, & ut omnium, quæ civitati propria sunt ratio in ipso contineatur, quatenus omnia in civitate agenda vel omittenda a summo imperio reguntur & dependent: minime dubium esse potest, summum imperium esse civitati essentiale, seu principium omnium civilium publicorumque negotiorum. Vt non immerito definitio civitatis essentialis dici posset, qua illa statueretur societas summo imperio gaudens. Hinc essentialis divisio civitatis a summo imperio petenda, quatenus illud proprium esse in civitate potest. Sed potest proprium esse vel universis, vel paucis, vel uni. Ergo essentialis & simplex divisio reip. non exhibet nisi monarchiam, aristarchiam & demarchiam. Hæc ratio *Aristotelem* movisse videtur, ut *Lib. IV. Polit. c. 3.* concederit

derit quidem tot esse Resp. quot sunt ordines summi imperii (ὑπεροχαί); missam tamen faceret *διχοτομίαν* in oligarchiam & democratiam. Nec non, quod 4 quidem recenset resp. *Rhetor. L. I. c. 8.* oligarchiam his tribus addendo, sed & in fine monet, exquisitius de his disputatum esse in politicis. Cur quasi unum, & quasi omnes adjecerim, ex infra dicendis elucescet.

§. 299.

Quomodo ab his formis aberretur?

Quælibet harum formarum aberrat ab eo, quod esse debet, vel vitiosa est, si loco salutis publicæ privata quærantur imperantium emolumenta. Etenim si loco salutis publicæ commoda imperantium privata quærantur, salus publica negligitur non tantum, sed & data opera illi anteponitur privata utilitas; sive id fiat impediendo publicam, sive diminuendo, sive illam plane evertendo. Sed sicubi salus publica & privata simul haberi nequeunt, ibi publica privatæ est anteferenda (§. 252.) nec bonum proprium augendum iis, quæ bono publico derogantur, nec quidquam in præjudicium communis boni moliendum (§. 21. *P. VIII. Jur. nat.*). Quælibet autem forma Reip. esse debet salutis publicæ causa (§. 236.) debetque sectari optima, quæ haberi possunt (§. 241.). Patet igitur, simplices Reip. formas tum aberrare ab eo, quod esse debent, vel corruptas & vitiosas esse quum posthabita salute publica non quæruntur nisi privata imperantium emolumenta.

Observavit hoc *Plato* æque ac *Aristoteles*. Hinc enim *L. III. Pol. cap. 7.* ait: quando unus vel pauci, vel multi commune bonum (συμφέρον) imperando sequuntur, has esse rectas rerum publicarum species necesse est. Quando autem ad propriam utilitatem vel unius, vel paucorum vel multitudinis summum imperium refertur, tum sunt transgressiones (παρεκβάσεις) aberrationesque vitiosæ. Et in *cap. præcedenti* dixerat, eas rerump. formas jure rectas vocari, quæ commune spectant bonum, vel quibus publica salus est proposita; quæ imperantium tantum spectant commodum, aut in quibus qui præsunt non nisi sua

ſua quærunt compendia, eas eſſe depravatas. Ille vero docuit *Dial. 9. de Legg.* haud procul a fine, publica in civitate privatis eſſe præferenda, & privatum ut publici comitem non ducem eſſe ſpectandum. Quare poſtquam rectum imperandi modum dixerat unum, in quo fiunt, quæ civitati ſunt optima de *rep. Lib. III.* licet bifariam nominetur, regnum nempe ſi unus vir excellens præeſt; ſi vero plures, ariſtocratia *de rep. L. IV. in fin.* deinde *L. V.* malas & erroneas recenſet 4, quas enarrat *Lib. 8.* ſcilicet ambitioſam vel laconicam, oligarchiam, popularem & tyrannicam.

§. 300.

Respublica popularis vitioſa *ochlocratia* vel dominatus plebejus dici poteſt. Eſt enim aberratio a democratia (§. 299. & 287.); ideoque forma eſt vitioſa, & vix nomen reip. meretur, niſi ordinem perverſum ſubaudias, qui confuſio perverſitasque rectius audiret. Hinc perverſitas democratiæ, vel vulgi dominatus dici meretur. *Quid ſit ochlocratia?*

Ochlocratiæ vocabulum alii commode hic adhibuerunt v. c. *D. Matthias in ſyſtem. polit. Lib. 2. Exercit. II. ſect. 1. ſent. 2.* quia οχλος turbam notat & turbatum populi ſtatum, cujusmodi in everſo ordine non poteſt non dari. *Ariſtotelis* ævo hoc nomen uſitatum non erat, unde ipſe, Platonem *Lib. 8.* de rep. ſequutus, democratiam vocat, transgreſſionem politiæ (reip.) qua ad egenorum commodum imperatur *L. III. Pol. c. 7.* (προς το συμφερον το των αποςων.)

§. 301.

Corruptio Ariſtocratiæ, vel aberratio ab ariſtocratia, *oligarchiæ* nomen jam Platonis ævo adepta erat. Refertur inde & oligarchia ad respublicas corruptas ſeu depravatas, tanquam contraria Ariſtocratiæ, quemadmodum ochlocratia contraria erat democratiæ. Latinis dici poſſet dominatus paucorum. *Quid oligarchia ſit?*

Verba quidem Platonis hæc habentur *Lib. 8. de rep.* qualem ſtatum vocas paucorum principatum (ολιγαςχιαν)? Eam, inquam,

quam, in qua divites imperant, pauperes a principatu removentur? Sic quoque *Ariſtoteles*, L. *III. Polit. c.* 7. oligarchiam dicit ſummi imperii abuſum ad opulentorum utilitatem. Non jam id agimus, ut examinemus an ſoli (ευποροι) opulenti ſint hi, in quorum privata commoda declinat ſummum imperium; an vero idem quoque in gratiam paucorum egenorum contingere poſſit. Sufficit, tum temporis id frequentius eſſe factum, cum iſta ſcriberentur, & a potiori factam eſſe deſcriptionem. Paulo ante oligarchiam dixerat transgreſſionem ariſtocratiæ, vel everſionem illius ſcopi.

§. 302.

Quid ſit tyrannis?

Monarchiæ vitioſam indolem, aberrationemque a genuina indole ſua dicimus *tyrannidem*, nomine fere tam antiquo ac ipſa monarchia. Latinis Dominatus unius dicatur. Vnde & illa tyrannis corruptis annumeratur formis rerumpubl. nec poteſt non monarchiæ eſſe contraria, niſi hanc more Ariſtotelis genus facias regni eſt tyrannidis: quo caſu regno contraria dicetur.

Appellatur hunc in ſenſum tyrannis in *Platonis L.* 8. *de Rep.* item in *Ariſtotelis L. III. Polit. c.* 7. ubi eam dicit transgreſſionem Regni, & monarchiam ad unius monarchæ utilitatem attentam. Qualia paſſim in aliis ejus locis recurrunt. Cæterum dixi fere tam antiquo, quia non ignoro, quæ *Cornelius Nepos Miltiadis c. ult.* Miltiadem Cherſoneſi omnes illos quos habitarat, annos perpetuam obtinuiſſe dominationem, tyrannumque fuiſſe appellatum, ſed juſtum. Addit *Nepos*: non erat enim vi conſequutus, ſed ſuorum voluntate, eamque poteſtatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur & dicuntur tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea civitate, quæ libertate uſa eſt. Qua de re & *Seneca de Clement. I. c.* 12. tyrannus inquit diſtat a rege factis non nomine. Abuſu autem ſummi imperii factum, ut incubatores imperii, qui armis oppreſſerant liberas civitates, nec æquis legibus, ſed ex ſua libidine

dine & crudelitate dominantur, dicerentur tyranni. Quare *Cicero* tyrannidem crudelem vocat dominatum.

§. 303.

Nascitur tyrannis & ex violenta oppressione liberarum civitatum, & abusu summi imperii in privata monarchæ commoda. Prius docent historiæ antiquæ, docet etiam res ipsa, quoniam civitates non factis illicitis, & vi armorum, libertatem & jura reliqua insontium civium opprimente (§. 211.), sed libera civium voluntate, consensione & pactis sunt instituendæ (§. 215. *seqq.*). Si vero auspicia civitatis recte habuerunt, deinceps vero degeneravit imperium monarchicum, ut abusu enormi unice in privata monarchæ commoda, & in perniciem salutis publicæ verteretur: iterum enatam sic esse tyrannidem, ipsa ejus notione monemur (§. 302.). Duplici igitur hoc modo nasci posse tyrannidem, liquet cuicunque. *Vnde tyrannis oriatur.*

De tyrannide explicanda hic tantum agitur, in qua explicatione ejus genesis scrutanda fuit. Cæterum ad priorem tyrannidis ortum respexisse videtur *Plato lib. 8. de Rep.* eam repetens ex paucorum dominatu & populari dominio, v. c. si quis paucorum, aut demagogus tandem prævaleat, cæterosque sub jugum suum mittat. Sed fieri idem quoque potest a peregrino liberam civitatem, aut regnum vi subigente usurpanteque. Vnde genus hic tantum posui, quo ab initio tyrannis oriri possit subito, ubi ante non erat. De specialibus enim suo loco erit exponendum.

§. 304.

Oligarchia oritur vel ex præpotente paucorum astutia & vi, jam in primordio civitatis omnia ad se rapiente; vel ex abusu imperii optimatium, paucis in fraudem salutis publicæ privatam tantum utilitatem sectantibus. Etenim si in ipso primordio civitatis jam adsint seu tam callidi & in fraudes acuti, ut circumveniant alios simpliciores ita quidem, ut non animadvertentes dolose secum agi, *Origo oligarchiæ.*

agi, indulgeant illorum libidini & aviditati; seu tam præpotentes, ut vi metuque reliquos adigant ad subjectionem: quis dubitet, ita ipsum exordium civitatis vi & dolo sic vitiari, ut loco aristocratiæ oriatur statim oligarchia (§. 227. *seq.*)? Sin primordium civitatis recte quidem habuit, sed invalescens postea summi imperii abusus in paucorum emolumenta convertit id, quod saluti publicæ debebatur, apertumne est, tum ab aristocratia ita aberrari, ut illius locum sibi vindicet oligarchia (§. 301.).

Possent hic similia illis adnotari, quæ ad §. præcedentem monuimus; quæ obiter tantum innuisse satis habeo. Illud vero addo, *Aristotelem Lib. I. Rhet. cap. 8.* finem oligarchiæ satis ex moribus paucorum posuisse in divitiis. Præterea illum videri *L. III. Polit. c. 6. & 7.* jam ad utrumque casum instituisse suam explicationem formarum civitatis aberrantium: quoniam illas generali nomine παρεκβάσεις, digressiones, excessus, degenerationesque rectarum vocat, item ἡμαρτημένας peccantes & aberrantes. Quæ in utroque casu nostro locum habent, quum tam in principio, quam in progressu aberrari possit. Denique Platonis ambitiosa forma pariter est hujus loci & peculiaris tantum oligarchiæ casus, uti suo loco ostendetur.

§. 305.

Natales Ochlocratiæ.

Ochlocratiæ natales repetendi erunt ex eorum, qui præesse civitati debent, studio publicam salutem postponendi privatæ suæ utilitati, sive id jam in ortu democratiæ irrepsit, sive in progressu ipsius demum eo degeneravit. Generatim Ochlocratia id populi vitium notat, quod sua potius curat, quam publicam salutem, ex quacunque causa illud fiat (§. 299.). Quod fit, quum vulgus dominatur pro sua libidine, & privatus quisque sua tantum sectatur commoda, publicæ salutis rationes vel ignorans, vel studiose negligens (§. 300.). Facile autem liquet, præposterum illud privatæ rei studium in vulgo vel tum jam dari posse;

se, cum civitas popularis coalescit; vel si tum nondum adfuit, illud postea subnasci & invalescere abusu imperii democratici posse. Recte igitur natales ochlocratiæ in dicto fonte quæruntur, e quo duplici modo emanare & rempublicam depravare valent.

Quia opus videtur, ut illum dilucidemus casum, quo a primordio civitatis vitiosa aviditas vulgi animos jam infecit obseditque: ponamus aristocratiam, in qua plebeji cives cum suis asseclis egestate premuntur, sive illa paucorum dominatu iis acciderit, sive vitio plebis, aut alia calamitate, pluribus civitatibus communi. Si invidia, ditescendique cupido inopum eo invalesceret, ut optimates vel oligarchi imperio exuerentur, & sub specie formæ democraticæ arriperetur ochlocratia: nonne manifestum tunc foret, vitium ochlocratiæ proprium natales dedisse ochlocratiæ demum oriundæ? Verba igitur *Aristotelis L. III. Polit. cap. I.* respublicas corruptas & aberrantes esse posteriores incorruptis rectisque, de frequentiori casu pronuntiant, aut de notione rerump. ita enim aberratio sine regula corruptio sine re integra & neutiquam corrupta intelligi nequit.

§. 306.

Tres simplices aberrationes rerumpublicarum. *Vti tres dantur genuinæ reipublicæ formæ simplices: ita quoque iisdem adversantur tres degeneres formæ simplices, tyrannis, oligarchia & ochlocratia.* Tres dari genuinas reipubl. formas simplices ostendimus (§. 298.). Quæ erant Monarchia, Aristocratia & Democratia. Iam Monarchiæ contraria seu degeneratio habetur in tyrannide (§. 302. *seq.*); Aristocratiæ degeneratio in oligarchia (§ 301. & 304.); denique democratiæ degeneratio occurrit in ochlocratia (§. 300. & 305.) Inde evidens est, tres dari civitatum formas simplices aberrantes degeneresque, videlicet tyrannidem, oligarchiam & ochlocratiam.

Quartam a Platone dictam ambitiosam, in nota ad §. 299. non esse novam, sed ad oligarchiæ subdivisionem referendam, vel nomen tantisper suggeret, donec illud res ipsa pendet. Ju-

vabit hic non præterire locum *Aristotelis Eth. Nic. Lib. VIII. c. 12.* Vbi primum memorat tres rerumpublicarum species & tres earum aberrationes. Illas appellat regnum, Aristocratiam & Timocratiam (censi potentiam) quam plerumque politiam dici subjungit. Regni transgressionem vel Monarchiæ pravitatem (φαυλοτητα) esse tyrannidem, tyranno suam, rege subditorum utilitatem spectante. Aristocratiæ corruptionem esse oligarchiam; & Timocratiæ degenerationem esse democratiam. Postea vero illustrat has formas, cum domo eas comparando. Patris erga liberos imperium esse regium. Tyrannicum esse imperium dominorum in servos. Viri & uxoris vel patris matrisque familias imperium optimatum potestati simile apparere, dum pro dignitate imperat vir, cætera, quæ uxori conveniunt, ea illi attribuit. Si vir omnium dominus esse vellet, præter dignitatem id fore velut oligarchiam, perinde acsi uxor per divitias & potentiam sibi imperium sumeret. Timocratiam occurrere inter fratres æquales; democratiam vero in domo (αδεσποτω) mortuo imperante vel infirmo, qua unusquisque sibi arrogat potestatem agendi quidquidlibet. Erit postea de Timocratia planius disputandum.

§. 307.

Rectus imperii usus in Rep. est per-necessarius, vitandus autem abusus.

Si imperantibus non desit scientia eorum, quæ ad bonum publicum procurandum sunt necessaria, nec constans & perpetua voluntas nil faciendi nisi quod bono publico inservit, nec omittendi in imperio suo, nisi quæ publicæ saluti adversantur, quælibet forma reip. simplex apta est ad finem civitatis consequendum (§. 150. *P. VIII. Jur. nat.*). Contra si ipsis desit & cognitio eorum, quæ ad finem civitatis consequendum sunt necessaria, & voluntas utendi salutis publicæ præsidiis adjumentisque, in nulla earum formarum reip. finis civitatis obtinetur (§. 151. *ibid.*). Quapropter *in civitatibus maxima navanda est opera, ut imperantes sint quales esse debent, & ut abusui imperii quam optime fieri potest occurratur.* Vel si aliis verbis

bis idem dicendum est, Reipublicæ maxime interest, ut imperantes recte imperent, cavendumque, ne summo imperio abutantur.

§. 308.

Comparatione inter rectas respublicas instituta, primæ partes tribuendæ videntur Monarchiæ, secundæ partes Aristocratiæ, tertiæ vero democratiæ. Etenim in Monarchia summa imperii est penes unum (§. 292.); in Aristocratia penes optimates (§. 295.); in democratia penes omnem populum (§. 287.). Sed si unus recte imperat, nullus in usu imperii orietur dissensus, per invidiam sæpe bonis exercendis obsistens; promta erit bonorum procuratio, malorum aversio propulsatioque prout res postulat; arcana reip. erunt manebuntque secreta; Monarcha rectius curabit omnia, ut sua, quæ gloriosa dici poterunt, vitabit cavebitque ut sua, quæ ignominiosa in imperio fieri poterunt. Constat vero per experientiam, homines plerumque sua rectius curare, quam communia, quæ parum ad se pertinere arbitrantur. Imperium summum vero Monarcha recte suum esse ducit (§. 292.). Quas ob res intelligitur, si recte curetur summum imperium, illud non tantum divino similius esse (§. 293.), sed aliis quoque gaudere præcipuis salutis publicæ adjumentis expeditis stabilimentisque, in cæteris Reip. formis non deprehendendis; ideoque monarchiæ primas esse vel principatum quemdam inter cæteras simplices rectasque publicæ rei formas. *Comparatio Rerump. rectarum.*

Aristocratiæ recte præsunt optimates, propterea que & scientia gaudent rerum ad salutem publicam bene procurandam conducibilium, & constanti perpetuaque voluntate impulsi tum faciunt quæ sunt facienda, tum fugiunt, quæcunque sunt fugienda (§. 150. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Idcirco communi consilio salutaria quæque excogitabunt, excogitata probe

be perpendent, quæ cæteris meliora deprehendent communi consensu approbabunt, approbata recte exsequentur. Bene erit igitur civitati optimatibus sic se gerentibus. Enimvero licet hæc egregie expediant Reipublicæ, dum res moram patiuntur; tamen in contrario casu conventus, deliberatio, difficultatesque emergentes dissensui & discussioni longiori locum dabunt, ut interim occasio rerum feliciter gerendarum facile elabatur. Præterea & hi conventus, & communicatio consiliorum, suffragiorumque tam secreto fieri nequeunt, ac si unus par omnibus tacite illa secum volvat, decernat, & exsequatur eo modo, cui minima obverti ab hostibus possunt impedimenta. Inferiorem ergo quendam gradum in rebus moræ impatientibus & arcanis rite tractandis Aristocratiæ inesse, quam Monarchiæ, vel ex hisce patescit, etiamsi non urgeamus communionem summæ rerum non pati, ut quisque optimatum omnia sua ducere possit. Alterum ergo proximumque a Monarchia locum inter resp. simplices Aristocratiæ tribuendum esse perspicuum est.

Denique in democratia recte se habente ponendum est populum universum omni cura incumbere salutis publicæ procurationi (§. 150. *P. VIII. Jur. nat.*). Peritiores igitur in communi concilio ea ponent in medio, quæ consultanda sunt, quæque ipsis consulta videntur in suis suffragiis exponent. Imperitiores iis, quæ applausum merentur peritiorum, suum adjicient calculum, ut vel unanimi vel plerorumque consensu decidi res publicæ possint. Nihilominus & in convocandis, congregandis, audiendis, examinandisque tot diversis suffragiis, & in decreto formando, non potest non plus temporis requiri, quale quantumque res moræ impatientes minime ferunt. Præterea arcanis rite occultandis inter tot conscios summa obstabit difficultas, ab ipsa imbecillitate humana & le-

vi

vi culpa facile nascens, si vel omnem, ut hypothesis jubet, malitiam dolumque excludamus. Neque diffiteri quisquam poterit ob plerorumque imperitiam res communes nec ita ac proprias cuique curæ cordique fore, nec ut monarchæ vel optimatibus optima parere, sed in dissensu facile meliora at omnium captui non æque pervia, ac minus bona, postposi-tum iri. Lentius igitur nec æque perite, diligenter feliciter-que res communes in democratia curabuntur, ac in monar-chia, item in Aristocratia, ubi multo pauciores, quam in de-mocratia, peritioresque rerum præsunt civitati. Non igitur nisi tertium locum simplicium rerump. democratiæ vel recte se habenti assignare licet, habita salutis publicæ procurandæ ratione.

Homerus sua jam ætate prætulit Monarchiam Polyarchiæ, *Iliade* 2. canens: ȣκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλευς. Multorum principatus non est bonus, unus sit princeps unus rex. Quod approbans *Aristoteles* regnum vocat formam imperii optimam (τȣ τῶν δε βελτίςη ἡ βασιλεια.) *L. VIII. Nicom. c. 12.* Ibidem quoque pessimam (χειρίςην) melius ultimam vel gradu infimam appellat τιμοκρατιαν, quæ ipsi est populare imperium. Aristocratia igitur est in medio, in qua, inquit, necesse ut imperantes optimi viri sint saltem esse videantur. *Rhetor. L. I. c. 8.* Hinc *Polit. IV. c. 2.* ait, de optima rep. disputare idem esse, ac de Monarchia & Aristocratia agere utraque ad virtutem constituta & tendente. Pariter Platoni in Politicis rex dicitur quidam Deus esse humanus (ἐξ ἀνθρώπων). *Livius L. II. Hist. c. 9.* regnum, inquit, res est inter Deos hominesque pulcherrima.

§. 309.

Comparatio degenerationum a sim-

Vice versa degenerum rerumpublicarum simplicium pessima est Tyrannis, minus improba oligarchia, & impeditior reliquis in pravitate ochlocratia, cæterorum posita paritate. Tyrannis enim est con-

plicibus rebusp.

contraria Monarchiæ (§. 302.), continetque aberrationem a salute publica & imperii summi abusum (§. 303.). Sed in Monarchia summa rerum est penes unum, vel in unius dominio (§. 292.). Posito igitur eodem vitiorum gradu, in imperio summo in privatum quæstum & libidinem suam vertendo, quia imperio summo resistendi jus nemini esse potest (§. 279.): libidini monarchæ summa potentia abutenti nihil resistere poterit audebitque. Pessime igitur se geret grassabiturque contra quorumque civium jura, ipsamque vitam eorum. Contra in Aristocratia unius libidini refragabuntur cæteri optimates, pariter imperii summi participes & consortes; in democratia vero omnis populus obstabit unius ambitioni, libidini, avaritiæque, simulac illam animadvertit. Apertum igitur est in pari malitiæ gradu tyrannidem plurimum civitati esse nocituram, veluti omnium minime impeditam, & omnium difficillime compescendam, accedentibus inprimis fœderibus vicinorum nihilo meliorum. Non immerito igitur illa simplicium reip. aberrationum pessima censeatur.

Posito autem in Oligarchia unum alterumve privato quæstui posthabere commune bonum, summoque imperio abuti, per ipsam indolem oligarchiæ (§. 301. *seq*). Reliquis tamen optimatibus jus erit intercedendi, illosque inhibendi, dum non minus ipsorum est summa rerum, quam degenerantium. Hinc licet par pravitatis gradus insit paucis illis, ac tyranno, qui restant optimates civium fruentur ope, ad compescendam removendamque illorum nequitiam. Si vero & pauci, qui cum imperio sunt, omnes ita degenerassent in abusu imperii, ut idem gradus corruptionis in ipsis detur, ac in tyranno; tamen sibimet invicem invidiæ instinctu oberunt, unoquoque eadem sibi arrogante vel quærente, quæ alter. Quare cum omnes simul idem habere nequeant, quod publi-

co

co bono ſubtrahunt, mutuo in ſe odio exardeſcent, ſeſe mutuo laceſſent, & in bellum inteſtinum prorumpent, atque ita quadamtenus ſaltem ſe invicem impedient in abuſu ſuæ poteſtatis. Erit igitur per ſeipſam oligarchia impeditior in abuſu ſummi imperii ac tyrannis.

Denique in Ochlocratia non eſt niſi corruptio democratiæ (§. 300.), orta ex ſtudio rem privatam publicæ anteponendi (§. 305). Sed quum penes omnes ſit ſummum imperium in democratia (§. 287.), manet illud quoque penes omnes in corruptione. Hinc quum omnes idem habere multo minus nequeant, ac pauci oligarchiæ domini, multo magis omnes ſe invicem impedient, ac illi pauci; ſive ſtatuamus magnam populi partem manere incorruptam, ſive omnes iisdem vitiis pari gradu infectos eſſe, invita veritate fingere vellemus. Majora igitur pravitas ochlocratiæ experietur obſtacula ac oligarchia, quamdiu ab interitu nondum abſorberi vitioſas illas civitates admittimus. Eaque propter gradus pravitatis ochlocratiæ, cæterorum poſita paritate, cohibebitur in arctiores limites, atque in cæteris imperii publici degenerantibus ſpeciebus.

Generatim rectiſſime docet Stagirita *Lib. III. Pol. c. 7.* nullam harum corruptionum communis boni rationem habere. προς δε το κοινω λυσιτελεν ουδεμια αυτων. Deinde *Lib. IV. Pol. c. 2.* concludit, tyrannidem eſſe deterrimam harum transgreſſionum, quia a prima eaque diviniſſima (monarchia) & univerſim a recta gubernandi ratione plurimum abeſt. Secundo loco occurrere Ariſtocratiæ everſionem oligarchiam. Tertio denique corruptionis gradu cenſeri democratiam (quam vocamus ochlocratiam), quæ longe minus vitiata ſit (μετριωτατην) ante memoratis. Inde eam a Platone bonarum formarum peſſimam, malarum optimam dici, & a multis cum bona rep. confundi. A ſe vero omnes illas cenſeri vitioſas & abortus, quorum poſtremus

præ cæteris tolerabilis dicatur. E quibus conſpicuum eſt argumentum Ariſtotelis huc redire: Quæcunque forma imperii præſtantiſſimæ eſt diſſimillima, illa eſt neceſſario deterrima: quoniam in regno divina prorſus virtute opus eſt, a qua tyrannis longiſſime abit. Sic arguit quoque oligarchiam ab optimatum virtute maxime deflectere; & dominationem vulgi a legitimo populi imperio.

§. 310.

Quid ſit resp. mixta? *Mixta* vocatur *respublica*, quæ ex diverſis ſpecie aliquot ſimplicibus coaleſcit. Quia enim resp. eſt ordo civitatis (§. 236), & tres dantur ſimplices resp. (§. 298.): conjectu facile eſt, compoſitas dari poſſe respublicas, e ſimplicium conjunctione oriundas, & ex illis conſtantes. Si plures homogeneæ v. c. Ariſtocratiæ coaleſcerent, compoſita fieret Ariſtocratia; ſed mixtam dum diverſæ ſimplices uniuntur, mixta prodit. Quemadmodum ordini rerum contingenti plures præſcribi poſſe regulas, una obſervandas, evictum habetur (§. 482 *Ontol.*) Compoſita hujusmodi e diverſis ſimplicibus resp. olim mixta dici conſuevit. Sic ſimul patet, mixtam remp. eſſe ſemper compoſitam, ſed non contra.

Aliis verbis mixta Resp. dicitur, ſed non tam generalibus, quæ in aliis ad monarchiam, in aliis ad ariſtocratiam in aliis ad democratiam accedit (§. 138. *P. VIII. Jur. nat.*). *Jacobus Martinus Politicæ L. II. c. 16.* Remp. mixtam dicit, in qua formæ ſimplices ita junguntur, ut incertum relinquatur, quo nomine appellari debeat, quam finitionem perfecte mixtorum corporum natura illuſtrat. Idem quoque obſervat, differre mixtionem a confuſione, alterationeque ordinis in imperando. *Cellarius* vero *Polit. c. 6.* mixtam dicit remp. in qua plures diviſim ſumma gaudent poteſtate, vel qua plures resp. coaleſcunt in unam ut partim in ea ſint, partim vero non ſint. Ariſtotelis ævo hujus mixtionis ratio parum perſpecta fuit, quare eam non attingit niſi ratione illarum rerumpubl. quæ paucorum & populi imperium

perium conjunxerant. Ita *Lib. IV. Polit. c. 8.* ait, est autem, quæ communi nomine resp. appellatur, μίξις ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατείας, mixtio imperii paucorum & populi. Consueverunt enim declinantes ad paucorum gubernationem vocare aristocratias, & inclinantes ad democratiam politias. Quæ deinde *cap. 9.* fusius persequitur.

§. 311.

In republica mixta summum imperium debet esse certa lege divisum inter illas simplices resp. quæ ipsi insunt. Coalescit enim mixta resp. ex aliquot diversis simplicibus, e quibus constat (§. 310.). Quoniam quælibet simplex resp imperio summo gaudet (§. 262.); & in Monarchia summum imperium est penes unum (§ 292.); in Aristocratia penes optimates (§. 295.); in democratia penes populum universum (§. 287): manifestissimum est, ita coalescere ne duas quidem simplices resp posse, ut unaquæque integrum retineat summum imperium Repugnaret enim sibi invicem v. c. summum imperium esse simul Monarchæ & optimatum: quoniam si monarchæ est, nequit esse optimatum. Eapropter aliter coalescere plures resp simplices in mixtam nequeunt, quam ut aliquæ partes summi imperii, quæ penes unam esse debent, penes alteram non sint. Dividendum igitur est in mixta rep. summum imperium inter illas simplices, e quibus constat, ut qua parte imperii summi una gaudere debet, eadem altera destituatur. *Imperium summum in ea est divisum.*

Ita derivamus imperii summi, illiusve exercitii divisionis necessitatem ex indole compositionis mixtarum rerump. Ideo opus non fuit, ut illico in definitione mentio fieret divisionis, quemadmodum præter Cellarium plures alii mixtam remp. definire sic solent. Cui tamen satius videtur, ut in ipsa definitione imperium divisum adducatur, is sua utatur libertate, nostra nobis relicta. Eadem vero indoles quoque est aliorum ordinum compositorum seu mixtorum, ut quantum primi regulæ obser-

observari debent, tantum negligantur secundi ordinis regulæ & contra. Quemadmodum si in libro ordo scholæ & naturæ simul sit observandus; quatenus neuter cum altero conflictatur, utrique satisfaciendum; quatenus vero ordo naturæ consistere & constare sibi nequit, eatenus ordo scholæ negligendus est, ut ordini naturæ satisfiat.

§. 312.

Ideoque limitatum.

Quia in republica mixta summum imperium certa lege divisum esse debet inter simplices illas civitates, e quibus constat, ideoque quædam partes illius penes alios sunt atque alios (§. 311.); partes vero imperii non sunt nisi jura, quæ si separari a se invicem ita possunt, ut alterum ab altero non dependeat (§. 61. *P. VIII. Jur. nat.*): summa sunt, & exercitium hujus partis summorum jurium, quæ publico imperio insunt, non subjacet exercitio aliorum jurium aliis assignatorum. In mixta igitur republica jura quædam summi imperii, ab his quibus assignata sunt, libere exercentur, nec indigent cæterorum consensu. Alia tamen jura ita separari nequeunt, hinc illa indigent libero aliorum consensu. Quatenus nimirum hæ partes imperii pro re nata in publicam salutem congruere debent, exercitium eorum consensu indiget. Item quatenus exercitium illorum jurium humanis legibus est restrictum in iis, quæ semper eodem modo fieri possunt (§. 74. *P. VIII. Jur. nat.*), eatenus exercens consentire debet cum legum autoribus. Sed imperium publicum, cujus exercitium certis legibus est adstrictum, vel alterius consensu indiget, appellatur limitatum (§. 66. *P. VIII. Jur. nat.*). Patet inde *imperium publicum in mixta republica esse limitatum.*

Limitatur nempe unius simplicis reip. imperium per illam partem, quæ alteri est concessa, sibi autem denegata. Ubi enim imperio publico aliquid deest, quod ipsi inesse potest, ibi ejus sunt limites (§. 827. *Ontol.*). Vel si limitatum dicas, quo majus

jus concipi poteſt (§. 825. *Ontol.*), utique illo imperio publico majus concipi poteſt, cui aliquid eſt ademtum & alteri traditum. Si vel pars illa ſumma eſt, totum tamen imperium & plenum non eſt, ſed aliquid tantum ejus, quod eſſe poteſt v. c. inter Judæos olim ſummum ſacrorum erat ſupremi pontificis, non Regis. Idem quoque ex eo perſpicitur, quia imperium publicum eſt diviſum, itaque minus plenum (§. 62. *P. VIII. Jur. nat.*) & limitatum (§. 67. *ibid.*). Sic limitatur monarchia per adjunctam ipſi Ariſtocratiam, & hæc viciſſim per jura monarchæ tributa, neutra igitur omnia habet jura publici imperii.

§. 313.

Quid in limitatione imperii publici ſit ſpectandum?

Limitatio imperii publici in rep. mixta ſic inſtituenda eſt, ut eadem abuſui formis ſimplicibus facile irrepenti occurratur, genuinus autem uſus earum firmetur. Limitatum enim requiritur in rep. mixta imperium publicum (§. 312.). Limitatio vero adſtringit exercitium imperii publici, vel legibus, vel civium conſenſui in nonnullis juribus (§. 66. *P. VIII. Jur. nat.*). Quia imperium publicum meriendum eſt ex fine civitatis h. e. ſalute publica (§. 268); limitatio illius quoque attemperanda eſt publicæ ſaluti, cavendo illa, quæ ipſi nocere poſſent, & provehendo quæ ipſi ſunt profutura. Quare cum abuſus reip. ſimplici familiares, ſeu facile & frequentius in ea occurrentes, nocere ſaluti publicæ obſerventur: his nocumentis ipſa limitatione imperii ita inſtituta, ne facile abuſus ingruere poſſit, quam optime erit occurrendum. Vſus autem genuinus imperii publici quia non poteſt non ſaluti publicæ expedire, limitatio imperii ad eandem juvandum ſtabiliendumque erit accommodanda (§. 307.).

Liberum nempe eſt populo, quomodo imperium transferre velit, quas illius partes aliis aſſignare, quasve ſibi reſervare. Inde etiam ex reſervatis populo in imperantes juribus natales

mixtæ

mixtæ reip. derivari possunt. Hisce enim reservatis populo juribus limitatur imperium publicum eorum, in quos est translatum. Omnino autem hæc reservatio ad salutem publicam accuranda est, ut eidem prospiciatur melius ac in forma simplici fieri solet per solitam ejus degenerationem. Præsto igitur est contra corruptionem civitatum simplicium medela in sapienti illarum conjunctione sita. Vnde experientiam in hisce ducem esse adhibendam & rationis præsidio regendam patescit.

§. 314.

Cujus sit illa limitatio?

Mixtis rebuspublicis pro re nata modum convenientem ponet populus, omnibus prudenter expensis. Mixtæ enim reip formæ variis modis differre possunt (§. 138. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed in populi arbitrio officioque est electio ejus reip. formæ, quæ optima censeatur (§. 195. 241. & 249. Quam ob rem quemadmodum in arbitrio populi erat, velletne imperium sibi retinere, an transferre in alios conjunctim aut divisim (§. 286.); sic quoque in ejus arbitrio est, quantum imperii sibi reservare, quantum illius & qua lege in alios transferre velit (§. 36. *P. VIII. Jur. nat.*), nec non utrum limitare seu diminuere jura & quomodo id consultum judicet (§. 38. *ibid.*). Quia in electione formæ reip. e præsentium rerum facie probe considerata statuendum est, quid sit factu optimum: dubium esse nequit, populi remp. constituturi esse, pro re nata mixtis quoque rebusp. convenientem ponere modum, omnibus prudenter expensis, quæ attendi merentur.

§. 315.

Quomodo denominandæ sint Resp. mixtæ?

Nomen mixtis rebus publicis commode tribuetur a præcipua forma simplici, quæ in illis datur, addita limitatione vel subaudita. A potiori enim petendam esse denominationem, sicubi plura occurrant in re, quæ uno nomine indicari non possunt (§. 148. *Log.*), omnes concedunt. Præcipua vero resp. simplex, quæ in mixta rep. datur, est cæteris potior. Ab illa igitur nomen reip.

reip. mixtæ generale duci posse, difficultate caret. Ne tamen ambiguitas imponat, dum nomen simplicem notat formam, addendum est ei aliquid, quo mixtio commode innuatur. Hanc vero esse limitationem, patet ex §. 312. *seqq.* Quapropter simplex illa resp. dicetur limitata, quæ mixtæ reip. princeps est. Interim vulgari usu nota si supponatur limitatio, illa omitti & subaudiri tantum solet.

Quodsi exemplis illustrandum est, ponamus, mixtam remp. constare ex Monarchia & Aristocratia, si monarchia in ipsa præcipua publici imperii jura exerceat, nemo dubitabit, illam esse dicendam Monarchiam limitatam. Strictius si innuenda & ab aliis monarchiis limitatis discernenda sit vel ipso nomine suo, appellari poterit monarchia Aristocratica. Vulgo tamen ista non adduntur.

§. 316.

Quia vel unus imperat in civitate vel plures, *in duas classes dividi vulgo respublicæ solent*, scilicet in *monarchias* seu regna & principatus; & *polyarchias*, quæ respublicæ dici solent, & aristocratiam atque democratiam rarius occurrentem complectuntur. Vtroque casu generale nomen tum illimitatam tum limitatam prævalentem formam comprehendit. Regnum enim ea dicitur resp. in qua imperium summum sive plenum illimitatumque sive limitatum & diminutum quomodocunque penes unum est (§. 139. *P. VIII. Jur. nat.*). Quando enim summum non est, sed ab alio extraneo ex parte dependet principatus nominatur plerumque, tam amplo cæteroqui nomine, ut & Monarchias involvat. Simili ratione Respublica a latissimo ambitu suo revocata est ad denotandam quamcunque civitatem, in qua penes plures est imperium prævalens publicum, sive id sit limitatum sive illimitatum.

Cur vulgo resp. dividantur in regna & resp.

Vsui inhærens recepto missum hic facio illum principatus significatum, quo cum Grotio adhibetur pro regno laconico (*Wolfii Politicæ P. I. C. V.*)

 deno-

denotando (§. 262. *P. VIII. Jur. nat.*). Sic nota sunt regna plurima antiqua & recentiora; noti sunt principatus plurimi in Europa, aliorum sceptra reverentes. Et quis ignorat diversas respublicas Italiæ Germaniæque, modo aristocratiæ modo democratiæ similiores? Audivit Aristoteles jam similem reip. usum, ut nomen generale populare imperium tantum indicaret, quem sequi tum citra confusionem potuit. Postquam vero reip. nomen & aristocratiam notat, citra confusionem uti eo in exquisitiori doctrina non licet, sed inhærendum erit nominibus rerump. propriis antea memoratis. Sufficit hic rationem usus vulgaris exposuisse. Nihil enim lucraremur si illi insistere luberet, nisi ut pluribus persæpe vocabulis appellandum sit, quod uno nominari potest. Quo cur non utamur, brevitati ut par est litantes, nihil est quod vetet.

§. 317.

Obsequium publicum limitatur ut imperium.

Prouti imperium publicum summum limitatur: ita quoque limitatur obsequium civile. Respondet enim semper obsequium publicum publico imperio (§. 281.). Hinc si imperium est divisum, erit & obsequium divisum; si illud limitatum est, erit & hoc limitatum; si illimitatum seu absolutum, hoc non minus tale erit (§. 283.). Proinde in mixta rep. obsequium est limitatum vel ope divisionis, vel ope restrictionis exercitii ejus per leges, vel ope necessarii aliorum consensus (§. 312.).

Ita verbi gratia in rebus sacris Judæi obtemperare summo pontifici iubebantur; in rebus sæcularibus vero regi suo. Si rex legibus humanis est adstrictus, iisdem quoque adstrictum erit obsequium, nec ultra contraque illas ipsi erit præstandum. Si consensu optimatum indiget ad quædam imperanda, sine consensu illo imperanti obsequium poterit denegari.

§. 318.

Num obsequium tantum genera-

Obsequium publicum ita limitari generatim nequit, ut recte imperantibus sit parendum, male imperantibus resistendum obsequiumque denegandum. Etenim imperium ea lege transferri nequit, ut

popu-

populus univerſus recte imperanti parere, male imperanti obſiſtere eumque coërcere debeat (§. 82. P. VIII. Jur. nat.). Quia imperio limitato etiam non niſi pariter limitatum obſequium reſpondet (§. 317.): palam eſt, etiam publicum obſequium ita obſcure limitari non poſſe, ut bene imperantibus ſit obediendum, male imperaturis reſiſtendum vel non obſequendum. *tim limitandum?*

Et utique in officio eorum, qui præſunt civitati, ut recte imperent, & eandem ob cauſam, quia bene imperant, ipſis eſt obediendum. Sed quia judicia hominum de exercitio publici imperii, admodum differunt, improbantibus aliis id, quod alii approbant: obtentu perverſi judicii de adminiſtratione imperii civilis, omnis resp. interimi obſequio prave denegato poſſet. Quamobrem diſtincte conſtare & imperantibus debet, quid omnes recte, quidve prave factum in imperio cenſeant; & parentibus ſive obſequuturis, ne neſciant, quouſque ſit obtemperandum in ferendis ſibi imperatis. Falli igitur eos, qui exiſtimant, tacitam hanc exceptionem omni ineſſe imperii translationi, ut populus univerſus recte imperantibus parere, male imperantibus nequaquam debeat; itaque priori caſu populus imperantibus; poſteriori vero imperantes populo ſubeſſe cogatur (§. 83. P. VIII. Jur. nat.). Si obvertas, eam tamen eſſe imperii precarii rationem, ut conferatur imperanti hac lege, quamdiu placuerit (§. 69. ibid.), idque quovis momento adimi poſſit. Licet vero videatur imperium precarium ſic conferri, quaſi recte imperanti illud ſit relinquendum, male vero imperanti abrogandum; aliter tamen res habet, ſi accuratius res penſitetur. Etenim in precario imperio abrogatio fit citra ignominiam imperantis, quia placet; ſed in noſtro caſu non fieret citra ignominiam, quoniam fit, quia male imperaſſe dicitur a tota civitate. Non poteſt non quilibet malle, ut citra ignominiam civilem poteſtatem aliis relinquat, quam ut illud fieri nequeat, niſi ignominia notetur, præſertim ſi illud æque innocenti timendum ſit, quam nocenti factisque ſceleſtis nil niſi pœnam demerenti. Neque comparari cum hoc caſu poteſt clauſula ſeu lex regni

regni commiſſoria (§. 322. *ibid.*). Ea enim leges requirit præſcriptas ſeu pacti conditiones, ad quas facile exigere & componere res ſuas actionesque poſſit, ne regno excidat, quod in noſtro caſu ſecus habet.

§. 319.

Limitatio reip. ſit ſpecialis & perſpicua.

Omnis reipublicæ limitatio ſpecialis & perſpicua eſſe debet ratione jurium, eorum exercitii, temporis, & reſervatorum. Nequit enim imperium & obſequium publicum ita generatim limitari, ut bene imperaturis ſit, male imperaturis non ſit obſequendum (§. 318.). Si igitur limitatio ſalutaris adhibenda videtur, ut abuſui ſimplicium reip. formarum occurratur, genuinus vero earum uſus ſtabiliatur (§. 313.); adhibenda erit ſpecialis (§. 44. *ſeq. Logic.*), perſpicue nominatimque definiens jura imperantium, modum & tempus exercitii eorum, hoc eſt quomodo, & quamdiu imperare debeant, & reſervata populi circa jura in imperantes tranſlata. Quam igitur mixta resp. poſtulat imperii limitationem (§. 312.), ea eſſe nequit niſi ſpecialis tamque perſpicua, ut omnia & jura & eorum exercitium, & duratio illius, & populi reſervata ſint quam planiſſima.

Conſtat ex *P. VIII. Jur. nat.* imperium publicum poſſe dari temporarium, & precarium (§. 69.); ejus exercitium poſſe legibus præſcriptis adſtringi, ratione eorum, quæ ſemper eodem modo fieri poſſunt; quoad ea vero, quæ non niſi e præſenti rerum facie definiri poſſunt, vel conſenſum totius civitatis, vel optimatum quorundam pro norma ponendum eſſe (§. 74.); poſſe populum declarare, ſe imperantium judicio ſtare nolle, niſi legibus præſcriptis ſatisfiat (§. 81.); poſſe imperium transferri inſtar fideicommiſſi (§. 99.); item uſusfructus, vel patrimonii jure (§. 155. *ſeq.*); poſſe populum ſibi partes, quas velit, ſummi imperii luculenter reſervare (§. 121.). Quæ omnia quoniam multis modis variari poſſunt, perſpicua indigent conventione & explanatione.

POLI-

POLITICAE P. I.
CAPUT V.
DE ISOCRATIA IN CIVITATE MAXIMA.

§. 320.

Non fingitur, sed datur omnino isocratia, & dari debet. Non fingitur enim genus humanum, sed datur omnino, ubicunque orbis terrarum ab hominibus habitatur, quod inter omnes controversia caret. Enimvero omne genus humanum maximam conficit civitatem (§. 103.); & maxima civitas commode appellatur isocratia ab æqualitate morali in eadem indubia (§. 290.). Dubio igitur caret, nequaquam fingi, sed dari omnino isocratiam. *Isocratia datur darique debet.*

Neque tantum datur civitas maxima, & isocratia in eadem, sed obligantur quoque homines ad colendam maximam civitatem, si omnibus erga Deum se aliosque officiis defungi recte velint, uti par est (§. 165.), ut salutem generis humani, quanta haberi potest, adipiscantur suamque faciant (§. 166.). Quare quum civitas maxima sit moraliter necessaria (§. 167.); eaque esse & fieri debeant, quæ sunt moraliter necessaria (§. 170. *P. I. Phil. pract. univ.*): coit conclusio, isocratiam dari debere.

Interest nostra in hoc capite, ut ante omnia certum sit, agendum hic esse de rebus, non vero de figmentis aut ludibriis ingenii humani. Quod quidem hac in re eo magis necessarium esse omnes intelligent, quo minus hæc in politicis hactenus locum habuerunt. Commentis operam dare, ubi de rebus agendum est, philosophum minime decet. Quapropter stabiliendum

hic fuit, civitatem maximam, ab aliis civitatibus isocratiæ nomine honorifico facile distinguendam, non esse commentum phantasiæ humanæ, sed actu dari, & esse e numero rerum, quæ politicæ sunt discussionis, vel e numero civitatum neutiquam in dubium vocandarum. Quod inde effecimus, quia omnino & indubie dantur homines, per omnem terrarum orbem habitabilem dispersi, inter quos natura societatem communitatemque jurium & officiorum instituit (§. 138. *P. VII. Jur. nat.*). Illa vero societas omnium hominum non tantum physice seu per naturam hominum rerumque cæterarum dari deprehenditur; sed legitima quoque est & in officio hominum continetur, ut homines ad eam obligentur (§. 7. *Jur. Gent.*). Si illicita foret & legibus divinis adversa, non aliter hic de eadem agi posset, quam de re cavenda, quæ secundario tantum annectenda esset officiis, quibus repugnaret. At quum & ipsa legitima sit, & in officiis ponenda; peculiare caput sibi jure meritoque vindicabit tanto majori, quanto minus de ea prostat, quanto dignior civitas maxima minoribus, velut partibus tantum suis est censenda. Cæterum utrumque recte dicemus, dari debere isocratiam, tanquam civitatem maximam æqualitatis naturalis tenacissimam; & dari debere isocratiam, tanquam æqualitatem moralem maximam, in civitate maxima, velut societate omnium omnino civitatum humanarum, vel totius generis humani quam optime excolendam.

§. 321.

Quid sit civitas Dei? Civitas, cui Deus præest, jure vocatur *civitas Dei*. Quia Deus gubernat hoc universum (§. 900. *seqq. P. I. Theol. nat.*); ampliori sensu totum hoc universum civitas Dei posset vocari. Quatenus vero ad civitatem proprie dictam requiritur societas hominum bene multorum jam in minoribus societatibus conjunctorum (§. 31.), proprie civitas Dei reperietur in consociatis rebus intelligentibus. Cujusmodi quum in terra nostra sint homines, civitas Dei in terris, seu terrestris, in hominibus

nibus erit quærenda. Idcirco civitas Dei terrestris erit civitas totius generis humani (§. 102.).

Alias quidem recordor civitatem Dei dici, societatem inter Deum omnesque creaturas intelligentes intercedentem, de qua *Augustinus* & nuper *Canzius* ex instituto egere. Quia civitatis indoles superius jam exposita est, non opus fuit, ut ipsius genus hic adhiberemus. Præterea ratio Dei ad hanc civitatem videbatur distinctius esse ob oculos ponenda, ope imperii, quod ipsi proprium summum & eminentissimum est. Hinc dixi civitatem Dei illam civitatem, cui Deus præest. Cæterum, quia homines in tellure nostra dari certum est, hæc pars civitatis Dei terrestris vel terrigena dici meretur, dum illud vocabulum notat quidquid in terra degit, hoc, quidquid in terra aut ex terra natum est. Quoad corpus nempe homines ex terra constare, indubitatum est.

§. 322.

De civitate Dei in terris s. terrestri.

Maxima civitas est civitas Dei terrigena. Est enim maxima civitas societas totius generis humani, vel omnium civitatum humanarum societas (§. 102. *seq.*). Sed Deus est dominus totius mundi, ac omnium, quæ in eo sunt (§. 965. *P. I. Theol. nat.*) ideo & omnium hominum (§. 966. *ibid.*), gaudetque jure obligandi homines ad actiones suas non suo arbitratu sed juxta Dei voluntatem determinandas (§. 986. *ibid.*). Cum igitur hominibus præsit, & civitas Dei appelletur, cui Deus præest (§. 321.): patescit, maximam civitatem esse civitatem Dei terrestrem.

Agimus in Philosophia de illis, quæ ope facultatum mentis naturalium innotescunt. Sic in terris homines constituere civitates, ideoque maximam civitatem esse civitatem civitatum omnium, civitatem terricolarum vel universi generis humani, liquet, eamque esse civitatem Dei terrestrem sive georgicam. Si in reliquis sideribus incolæ dantur intelligentes, illi ibidem constituent civitatem Dei aliam v. c. Selenitarum seu lunarem, martialem,

tialem, jovialem, ſaturninam &c. Theologiæ revelatæ reliquimus civitatem Dei angelicam. Hic nobis manendum eſt, in iis, quæ obvia nobis ſunt in hocce terrarum orbe globoque, noſtræ habitationi & culturæ deſtinato.

§. 323.

Dei civitas eſt Theocratia. *Si civitas Dei ratione imperantis vocatur Theocratia, maximam civitatem eſſe naturalem Theocratiam concedendum eſt.* Maxima enim civitas eſt civitas Dei in terris habitatis (§. 322.). Quam ob rem; quia civitas, in qua ſummum imperium eſt penes unum, monarchia audit (§. 292.): civitas Dei eſt monarchia, & Deus in ipſa ſummus eſt monarcha (§. 901. *P. I. Theolog. nat. in Schol.*). Vt igitur diſcernatur a monarchia humana, cui unicus homo præeſt, appellari poteſt monarchia divina in terrarum orbe obvia, vel recepto unico nomine Theocratia, aut ſi hoc mavis, Theocratia naturalis.

Deum eſſe regem regum, & monarcham monarcharum omnium, antiquitus fuit perſpectum. Hinc ejus regnum eſt abſolutum ſeu monarchia vere univerſalis. Cujus particula forſan infinite parva terreſtris hæc majori jure dicatur, ac mathematicorum quæ dicuntur infinite parva. Theocratia olim a Joſepho dicta fuit Resp. Judæorum, & rem ipſam longe antea docuerunt ſacræ res geſtæ 1 Sam. VIII, 7. Licet igitur Theocratiæ alia tum notio ſubjecta fuerit, qua ſcilicet Deus peculiari genere inſpirationis, editisque miraculis præerat & imperata ſua inculcabat; nil tamen obſtat, quo minus & naturalis ratio imperata ſua legibus naturalibus omnibus manifeſtans, velut theocratia naturalis conſideretur. Sic enim a Theocratia ſupernaturali & miraculoſa facile diſcernetur.

§. 324.

Rector civitatis maximæ eſt deus. *Civitatis maximæ verus rector eſt Deus.* Eſt enim civitas maxima Theocratia, eaque naturalis (§. 323.). Sed in Theocratia naturali ſolus Deus eſt monarcha, imperans eidem legibus naturalibus, omnes obligantibus. Jam monarcha eſt rector

ctor monarchiæ, quia ipsius est imperium monarchiæ (§. 42. P. *VIII. Jur. nat.*). Ea propter Deum esse civitatis maximæ rectorem innotescit.

Idem quoque sic ostenditur: civitas maxima est civitas Dei (§. 322.). Dei civitas non est, nisi cui Deus solus præest (§. 321.). Qui vero civitati præest, is summum in ea imperium exercet, itaque rector civitatis audit, non tamen dependens ab hominibus, sed independens (§. 42. *P. VIII. Jur. nat.*). Hinc Deum esse unum verumque civitatis maximæ rectorem dispalescit.

Equidem fateor, fingi & inter homines posse quendam civitatis maximæ rectorem (§. 21. *Jur. Gent.*). Sed quoniam pro voluntate omnium habendum est in illa non nisi id, quod sequi debent gentes vel civitates si ductum naturæ sequutæ ratione sua recte utantur vel quod moratioribus placuit (§. 20. *ibid.*); id vero in quod consentire debent recte sua ratione utentes, non debet repugnare legibus Dei naturalibus: fictus ille rector civitatis maximæ fini civitatis accommodare debet jus naturale, quantum fert conditio humana, uti ibidem admonetur, ideoque obsequi debet vero rectori civitatis maximæ Deo. Non obstat igitur fictus ille rector, vero civitatis maximæ rectori; sed si verus quoque statui posset rector humanus civitatis maximæ, is tamen non foret nisi secundarius, primariique rectoris Dei vicarius.

§. 325.

Quando isocratia non subsit nisi uni Deo?

Nisi pacto quodam civitates humani generis in communem consentiant rectorem, maximæ civitates neminem agnoscunt se superiorem, nisi unum Deum, vel non subsunt nisi uni Deo. In maxima civitate æqualitatis studium maxime viget, ut inde merito isocratia appelletur (§. 289. *seq.*). Vtique igitur in illa datur naturalis civitatum libertas (§. 50. *seq. P. VIII. Jur. nat.*) & moralis civitatum æqualitas (§. 320.). Sed ubi omnia societatis membra

inter se sunt æqualia, ibi superius unum altero non datur (§. 141. *P. VIII. Jur. nat.*). Quocirca quia membra maximæ hominum societatis sunt civitates inter se moraliter æquales (§. 16. *Jur. Gent.*) relinquitur, maximæ civitatis membra non subesse nisi uni Deo, ideoque inter homines nullum agnoscere se superiorem. Quia tamen æquales, si velint, pacto eligere aliquem possunt, quem revereuntur superiorem (§. 27. *P. VII. Jur. nat.*): apertum est, nisi pacto quodam constitutus sit quidam maximæ civitatis rector; eandem neminem præter Deum agnoscere se superiorem, vel nullius quam Dei divino subesse imperio.

Prius dispiciendum erit, ad quid Deus omnes in civitate maxima obligaverit, quam de pactis inter eas ineundis statui queat. Quoniam enim verus rector maximæ civitatis est Deus (§. 324.), eique soli subsunt omnes civitates humanæ, quæ maximæ civitatis membra sunt & esse debent (§. 16. *Jur. Gent.*): ad ipsius nutum imperiumque ipsis dirigendæ sunt potissimum publicæ actiones, ne secus fiant, ac fieri deberent. Ne quis existimet, fieri posse, ut civitas detur, ne Deum quidem agnoscens superiorem, repetenda partim sunt illa, quæ §. 185. præmunita fuere, partim addenda illis, quæ mox sequentur. Etenim ostensum jam est, etiamsi atheæ darentur civitates, illas nihilo minus obligatas fore ad colendam civitatem maximam, nisi suæ saluti stolide velint adversari. Neque enim vel ignorantia vel dubitatio vel negatio subditi legitime imperantis jura labefactare vel evertere unquam valet. Nihil agis, ingratissime mortalium, inquit *Seneca Lib. IV. de Benef. cap. 10.* qui te negas Deo debere, sed naturæ: quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura.

§. 326.

Nemo certius novit Deo, quid

Deus optime novit, decrevitque quidquid salus publica civitatis cujuslibet etiam maximæ omnium ubicunque requirat. Deus enim perspecta habet distinctissime & simul, quæcunque cognosci pos-

possunt (§. 154. 156. 160. 164. *P. I. Theol. nat.*). Præterea *saluti publicæ* omnia cognoscit intuitiva perspicientia (§. 207. *ibid*), & quia *ce expediat*. errare nequit (§. 294. *ibid.*), ejus omniscientia (§. 301. *seqq. ibid.*) est certissima & nescia falli (§. 532. *ibid.*) sive præterita spectentur, sive præsentia, sive futura quomodocunque aut non futura (§. 535. *ibid.*). Quoniam qui omnia simul distinctissime certissimeque perspicit, & optime illa novit, & ignorare nequit, quidquid salus publica cujusque etiam maximæ omnium civitatis ubicunque requirat: patet luculenter, Deum optime certissimeque nosse, quidquid salus publica uti cujusvis alterius, ita & maximæ civitatis ubique gentium requirat, ideoque neminem Deo rectius scire, quidquid saluti publicæ & sigillatim & universim adquirendæ, conservandæ, augendæ, tuendæque prosit.

Quia determinatio voluntatis ad aliquid agendum vocatur decretum (§. 497. *P. I. Theol. nat.*) & Deus non decernit, nisi quod optimum est, tam in se, quam ratione sui ipsius (§. 515. *ibid.*): Deus qui optime intelligit, quidquid saluti publicæ tum cujuslibet alterius, tum maximæ civitatis expediat, id ipsum quoque cæteris præfert & decernit vel ab æterno decrevit, ita quidem, ut nemo rectius vel melius decernere illa possit, quantovis gaudeat acumine intellectus.

Omnia Deum scire & *Homerus* docet *Odyss. 8. v. 379.* & *Sophocles* in *Antig.* Jupiter & omnia videt & semper, & *Cicero* *Lib. 2. de divin.* Neque enim ignorare Deus potest, qua mente quisque sit.

Quantum in recessu habeat omnium scientia in perspiciendis iis, quæ saluti publicæ conducant, omnes experiuntur, qui ad gubernacula rerump. sedent attenteque observant difficultates sæpenumero obortas in rebus dubiis decidendis, prævidendisque eventibus futuris. Qui dum secus accidunt, atque fuerat speratum corvos deludunt hiantes, & post festum rectius sapere discunt.

discunt. Quo sublimior ergo est intelligentiæ divinæ majestas incomprehensibilis, eo majoris ipsa in civitatibus omnibus, ipsaque maxima fieri meretur.

§. 327.

Nec quisquam melius saluti publicæ consultum vult.

Quemadmodum scit, ita quoque cujuslibet etiam maximæ civitatis saluti optime consulere constanter perpetuoque vult. Voluntas divina non fertur nisi in optima quæque (§. 383. & 407. P. I. *Theol. nat.*) tum in se (§. 384. *ibid.*); tum ratione sui ipsius (§. 385. *ibid.*), tum ratione totius universi (§. 391. *ibid.*). Quare cum Deus non velit, nisi quod optimum omnino esse perspicit (§. 390. *ibid.*); exploratissimum vero habet, quidquid saluti cujuslibet, etiam maximæ civitatis ubicunque optimum sit (§. 326.): in promptu est consequens, Deum cujuslibet civitatis, ideoque & maximæ omnium saluti optime consultum cupere. Iam quia voluntas divina est immutabilis (§. 368. *P. I. Theol. nat.*); neque unquam pœnitere ipsum potest ejus, quod vult & facit (§. 369. *ibid.*): constanter perpetuoque saluti & omnium & maximæ civitatis Deus optime it consultum; itaque nemo melius saluti vel maximæ civitatis, omnes omnino homines complectentis, cupere atque consulere numine divino valet.

Civitates Deo curæ esse agnovit *Cicero in somnio Scipionis*, Platonem sequutus, his verbis: Qui omnem hunc mundum regit Deo nihil, quod quidem in terris fiat, acceptius est, quam concilia coetusque hominum, quæ civitates appellantur. Qui etiam *Lib. 2. de Legg.* Deos esse docet dominos ac moderatores omnium rerum, eaque quæ geruntur, eorum geri judicio & numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem, a principio omnibus civibus persuasum esse debere. Item *L. II. de nat. deor.* Nec vero universo generi humano solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli ac provideri solet.

§. 328.

§ 328.

Neque minus lege immutabili Deus homines docet, perfecteque obligat, ut eadem, quæ ipse, velle in civitate quavis debeant. Posita enim hominum rerumque natura posuit Deus simul legem naturæ (§. 136. & 274. *P. I. Phil. pract. univ.*) eamque æque immutabilem (§. 142. *ibid.*), ac essentia rerum & voluntas divina, cui lex illa respondet & debetur (§. 284. *ibid.*). Hac lege immutabili, per ipsam hominis rerumque naturam perspicienda, nec promulgationis indiga (§. 257. *ibid.*) docet Deus omnes omnino homines, quid divinæ voluntati sit conforme, ut operationis recte adhibitæ id ignorare nequeant (§. 259. *ibid.*).

Docet Deus suam voluntatem homines & obligat eos ad illam servandam.

Quoniam vero Deus homines obligat ad actiones liberas non suo arbitratu, sed secundum Dei voluntatem componendas (§. 974. *P. I. Theol. nat.*), obligatione immutabili (§. 130. *P. I. Phil. pract. univ.*) a lege naturæ profecta (§. 142. *ibid.*), quæ prohibendo obligat ad omittenda legi adversa (§. 163. *ibid.*), præcipiendo autem ad committenda eidem consentanea (§. 164 & 188. *ibid.*): indubitatum est, Deum homines lege naturæ perfecte obligare (§. 236. *P. I. Phil. pract. univ.*), ut eadem velle & nolle debeant, quæ ipse Deus in civitate qualibet etiam maxima fieri vult, aut plane non vult.

Esset utique exceptioni locus, fieri non posse nec debere, quorum ignorantia vinci nequit. Quam ob rem docendum fuit, ejusmodi ignorantiam insuperabilem non dari circa moralia, quæ in civitate qualibet, ipsa quoque maxima omnium Deus fieri velit, aut nolit. Oggerenti, multos dari populos id ipsum ignorantes & vitiosos, olim *Plato* respondit *Lib. X. de rep.* si quid mali fiat, culpa eligentis est, Deus sine culpa vel insons (ἀναίτιος); & in *Epinomide* si quid secus accidit, non divina culpanda natura est, sed humana, quæ injuste vitam suam distribuit.

§. 329.

Exsequitur etiam certo sua decreta.

Potentissime, sapientissime, justissimeque Deus exsequitur sua decreta in quavis civitate. Quidquid enim Deus decrevit, id etiam facere potest, & in tempore facit, quemadmodum decrevit (§. 525. *P. I. Theol. nat.*). Quia Deus est potentissimus (§. 349. *seq. ibid.*), sapientissimus (§. 640. *seqq. ibid.*) & justissimus (§. 1070. *ibid.*); idem quoque potentissime, sapientissime, justissimeque in quavis, hinc & in maxima civitate facit, quæ decrevit facere, aut sapienter permittere & permissa punire. Quare quia is exsequitur aliquid, qui facit, quod facere decrevit, vel permittit quod permittere decrevit: palam est, Deum in quavis civitate potentissime, sapientissime, justissimeque sua exsequi decreta.

Cui ignotum esse potest, vel optime decreta nihili esse facienda, si exsecutioni eorum nulla datur opera? Ostendendum igitur fuit, Dei leges naturales in iisque decreta illius esse indolis, ut exsecutioni illarum, quantum salva libertate hominum fieri potuit, nihil possit derogari. Aut enim faciunt homines imperata lege naturali, aut omittunt. Priori casu certissima experiuntur felicitatis suæ incrementa, a nemine sibi vel eripienda, vel præripienda. Posteriori dignam sua culpa vel malitia pœnam sortientur.

§. 330.

Nec pœnas ejus eludere quisquam potest.

Dei imperio nec homo ullus, nec civitas ulla se subducere, aut effugere ejus pœnas potest. Deus enim gubernat hoc universum (§. 900. *P. I. Theol. nat.*), gaudetque dominio plenissimo totius universi, naturæ rerum, omniumque quæ in eo sunt (§. 963. *ibid.*), homines vero omnes non sunt nisi servi Dei (§. 968. *ibid.*). Propterea quoque obligat eosdem ad actiones secundum Dei voluntatem dirigendas (§. 974. *ibid.*). Quia jure obligandi alium gaudens ad actiones suas sic & non aliter instituendas, imperio gaudet (§. 197. *P. VII. Jur. nat.*): necesse est, ut

ut Dei imperio omnes subsint homines, omnesque civitates, ne maxima quidem excepta. Eapropter moralis adest necessitas imperium divinum reverendi, per quam fieri nequit, ut ullus homo ullave civitas se licite illi subducat, vel refragetur. Unde relinquitur, illicite id & nefarie fieri, si quo libertatis abusu id contingat.

Præterea vero Deus sanctiones legum naturalium immutabiles, immutabili voluntate sua non potest non semper approbare (§. 327.), hominesque perfecte obligat, ut suas actiones conforment divinæ voluntati (§. 328.), denique potentissime, sapientissime, justissimeque sua exsequitur decreta (§. 329.). Inde fieri nequit, ut transgressor legum divinarum promeritas pœnas unquam eludat, effugiatque, potius velit nolit easdem deo det necesse est. Constat igitur & physice, neminem effugere pœnas divinas, quas promeruit, posse aut unquam valiturum esse.

Deus, inquit *Plato in Theot.* est nusquam & nunquam injurius, sed longe justissimus. *Aristoteles L. 2. Magn. Mor. c. 8.* Talem, inquit, dominum merito statuimus Deum, qui bona malaque meritis distribuat. Inde *Sophocles* in *Oedip.* ita velim existimetis, Deos & pios homines videre, & impios; neque adhuc quenquam impiorum pœnam divinam effugisse; & *Horatius L. III. Od. 2.* Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna dando. Si differatur aliquamdiu, gravior postea manet, in quam sententiam *Cæsar L. I. de bello gall.* Consueverunt, ait, dii immortales, quo gravius ex rerum commutatione doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res & diuturniorem concedere impunitatem. Præter exemplum Pharaonis exodo Israëlitarum refragantis alia multa prostant & in sacris & profanis historiis, idem loquentia.

§. 331.

§. 331.

Quis rector civitatis ſit optimus?

Digniſſimus optimusque appellandus eſt rector civitatis, qui & valet & vult ſemper eidem optime præeſſe, ſive proſpicere ejus ſaluti. Nempe rector civitatis vocatur, qui imperio in civitate gaudet, ſive illud ipſi ab aliis ſit delatum, ſive a ſe ipſo illud habeat (§. 42. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed in rectore civitatis apto ad ejus finem conſequendum requiruntur virtutes tum intellectus, tum voluntatis, ut illarum ope gaudeat ſcientia eorum, quæ ad ſalutem publicam faciunt, & harum ope conſtanti præditus ſit perpetuaque voluntate, nil faciendi, niſi quod procuratio boni publici requirit, nec omittendi in imperio, niſi quæ ſaluti publicæ adverſantur (§. 150. *ibid.*). Eo igitur aptior erit, eoque dignior imperio, quo melius illa reip. ſalutaria perſpecta habet, eoque melior in exercitio imperii publici, quo minus ejus voluntas a norma ſalutis publicæ conſequendæ deflectit. Hinc non poteſt non digniſſimus cenſeri rector civitatis, qui pleniſſime certiſſimeque ſcit rationem ſalutem publicam adipiſcendi, ſartam tectamque conſervandi, & tuendi; nec minus optimus erit omnium cenſendus, qui ſemper optime proſpicere illius ſaluti dignatur. Conſtat igitur, digniſſimum optimumque appellandum eſſe civitatis rectorem, qui & valet & vult ſemper eidem optime præeſſe.

§. 332.

Deus eſt optimus rector maximæ civitatis.

Deus maximæ civitatis digniſſimus optimusque eſt rector. Deus enim optime novit, & decrevit, quæ ſalus publica maximæ civitatis unquam requirat (§. 326.). Idem maximæ civitatis ſaluti optime conſtantiſſimeque conſultum vult & cupit (§. 327.); homines quoque univerſos docet & obligat, ut idem ſimiliter ſequi in ſuis actionibus debeant (§. 328.). Quæ vero decrevit, eadem ſemper potentiſſime, ſapientiſſime, juſtiſſimeque

que exsequitur etiam in maxima civitate (§. 329.). Neque ullus homo secus, ac debet, agens illius pœnam evitare valet (§. 330.). Quare quum dignissimus optimusque rector civitatis appellandus sit, qui & valet & vult semper saluti publicæ optime præesse (§. 331.): relinquitur, non nisi Deum maximæ civitatis dignissimum optimumque esse rectorem.

Quotquot Deum dari exploratum habent, ejusque majestatem recte norunt, iis quæ hic statuuntur, assensum facile præbebunt. Si quid scrupuli nascatur, ex multorum populorum barbarie, paganismo, moribusque scelestis, id vel ex iis, quæ in citatis hic locis adducta fuere, eximi poterit; vel & postea suo loco lucidius ostendetur.

§. 333.

Quis monarcha sit absolutissimus.

Absolutissimus vocatur Monarcha, cujus imperium prorsus est illimitatum, independens infinitumque. Absolutum enim vocatur imperium, quod limitatum non est (§. 66. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero quia potest imperium esse absolutum, quod tamen summum non est, item quod minus plenum est (§. *eod.* & *seq.*), & quod temporarium tantum est, & absolutum esse potest & summum (§. 70. *ibid.*), immo & precarium datur absolutum (§. 72. *ibid.*): innotescit, absolutissimum vel omni modo & prorsus absolutum imperium esse non posse, nisi sit prorsus illimitatum, independens finisque expers. Quid? quod omnia simul habere nequeat, quæ necessaria in ipso sunt, nisi proprie sit infinitum. Quapropter absolutissimus Monarcha is demum erit, cujus imperium prorsus est illimitatum, independens infinitumque.

§. 334.

Quis sit autocrator?

Autocrator proprie non est, nisi qui imperium in omnes habet a se ipso, suisque viribus retinet. Primitus notat eum, qui per se potest & valet, qui sui est arbitrii, deinde qui per

ſe imperat, non eo ſolum ſenſu, quod ſufficiat imperio ſolus, nec aliorum indigeat ope, prout homines quicunque imperent, ſine aliorum ope imperare nequeant; ſed potiſſimum eo, quod imperandi jus nulli ullatenus debeat, ſed a ſe ſolo totum habeat.

Eodem modo dicitur αὐτόπιστον quod per ſe fidem facit, per ſe fide dignum eſt, nec aliis eget argumentis. Item αὐτοδίδακτος, qui per ſe & a ſe doctus eſt; & αὐτόνομος qui ſuis vivit legibus & ſui juris plane eſt. Alias quoque αὐτοκύριος appellatur, qui per ſe vel a ſe ipſo eſt dominus. Docet nos *Ariſtoteles*, ſuo jam ævo inter barbaros quosdam eligi αὐτοκράτορας μονάρχους monarchas abſoluta gubernandi poteſtate pro ſuo arbitrio inſtructos. *Polit. L. IV. c. 10.* Deinde non electos, ſed citra electionem quaſi per ſe imperantes & a ſe vel ab ipſa nativitate imperandi jure gaudentes notavit; ut αὐτοκράτωρ diceretur talis, qualis erat Romanorum imperator, & αὐτοκράτεια deſignaret imperium ſummum. Nunc hæc ſeponentes primam attendimus vocabuli originem poteſtatemque ei reſpondentem.

§. 335.

Deus abſolutiſſimus eſt monarcha maximæ civitatis.

Deus uti omnis alterius, ita & maximæ civitatis, abſolutiſſimus eſt monarcha. Etenim ipſe eſt digniſſimus optimusque maximæ quoque civitatis rector (§. 332.). Qui cum unicus ſit (§. 1106. *P. I. Theol. nat.*). Meritiſſimo appellatur monarcha maximæ civitatis. Enimvero Dei imperium æque ac ipſa Deitas ejus eſt prorſus independens (§. 125. & 901. *ibid.*); æque prorſus illimitatum ac ipſius intellectus (§. 166. *ibid.*); & æque infinitum ac ipſius eſſentia (§. 1004. *ibid.*). Eo igitur quod abſolutiſſimus dicendus eſt monarcha, cujus imperium prorſus eſt illimitatum, independens infinitumque: perſpicitur, Deum, uti omnis alterius, ita & maximæ civitatis abſolutiſſimum eſſe monarcham.

Vnum ſolumque Deum abſolutiſſimum monarcham eſſe poſſe,

se, vel ex unico eo liquet, quod infinitum involvit. Id enim notat & summa omnia, quæ haberi possunt, & eadem simul atque prorsus immutabili ratione ac æterna. Quorum nihil in ullum hominem cadere posse, evidentissimum est.

§. 336.

Ejusdemque summus autocrator.

Deus solus est maximæ civitatis pariter, ac alterius cujuscunque, summus autocrator. Etenim Deus est uti omnis alterius ita & maximæ civitatis absolutissimus monarcha (§. 335.). Atqui absolutissimus est prorsus illimitatus & independens (§. 333). Cujus imperium prorsus est independens, is non potest illud habere nisi a se ipso (§. 30. & 125. *P. I. Theol. nat.*), æque ac spiritus independens non nisi a se ipso esse potest (§. 126. *ibid.*). Jam quisquis imperium in omnes a se ipso habet, is appellatur autocrator (§ 334.); & sic dubio caret, Deum esse & omnium cæterarum & maximæ civitatis autocratorem summum.

In Titulis omnium Russorum Monarchæ habetur etiam autocrator, quo ante imperatoris elogium usus est, & Germanis Russisque non æque commode Selbsthalter, ac Selbstherrscher diceretur. Nondum hic egimus de Monarcharum discrimine, sed ostendimus tantum summo jure Deum autocratoria eaque summa gaudere & infinita.

§. 337.

Monarchæ non sunt nisi Dei vicarii.

Omnes cujuscunque civitatis rectores non sunt nisi Dei vicarii. Deus enim & omnis alterius & maximæ omnium civitatis absolutissimus est monarcha (§. 335.), summusque autocrator (§. 336). Si vicarii sunt, qui idem præstant, quod alter præstare debebat (§. 847. *P. VII. Jur. nat.*): illi imperio alterius funguntur, & alterius loco imperant, qui monarchæ vicarii sunt. Quibus rationibus conficitur, non esse nisi Dei vicarios omnes quarumcunque civitatum rectores, ipsisque valde honorificum esse, quod Dei loco hominibus præsint.

Posset illud quoque sic ostendi: Quicunque alterius sunt vicarii, illi vivo altero tum monarchæ loco adhiberi solent, quum præstat iis uti, quam ipsum monarcham adesse, aut quum fieri nequit, ut ipse monarcha præsens sit (§. 419. Oecon.). Jam per præsentem vitæ humanæ conditionem fieri nequit, ut homines præsens numen intuerentur, ideoque præstat, ut Deus infirmitati ipsorum indulturus vices suas tradat hominibus, quos vel aptos reddidit deditque hominibus, ut vicarios a se ipsis missos; vel saltem usurpare aliquamdiu sinit istos honores, donec tempus vindictæ sumendæ adsit (§. 177. & 244). Sunt igitur omnes omnium civitatum rectores non nisi imperii divini inter homines vicarii.

Vsu venire interdum inter monarchas humanos solet, ut vicibus suis in imperando uti vel velint, vel permittant tantum v. c. uxoribus aut ministris, quibus non committere suas partes mallent, nisi aliæ obstarent rationes. Quod in his casibus plerumque impotentiæ humanæ & virium defectus argumentum est, id in aliis quoque sapientiæ impulsu fieri potest, & tum propius adest simulacrum aut quoddam quasi speculum illius casus, in quo divina providentia usurpatori permittit habenas imperii, sua culpa tristem exitum sortituri. Pari modo & in aliis rebus vices Dei sustinent, qui aliis hominibus ea præstant, quæ Deus ipsis præstari vult. V. c. benefactores loco Dei exercent beneficentiam, qua vel bona ipsis tribuuntur, quibus egebant, vel mala sedantur arcenturque, ut si medicus ægrum morbo liberet sanitatique reddat. Doctores omnis generis veritatibus homines imbuentes, ipsis præstant, quæ Deus ipsis vult præstari. Similiter parentes in imperio privato liberorum Dei sustinent vices, uti monarchæ in imperio publico civitatis.

§. 338.

Vices Dei sunt dignissime gerendæ. *Eniti ideo rectores civitatis debent, ut dignissime dei vices impleant.* Sunt enim Dei in imperio hominum publico vicarii (§. 337.). Vniuscujusque vero vicarii est, dignum se præbere vicibus

vicibus alterius gerendis, ita ut & deceat alterum, & officio ſuo ex aſſe ſatisfaciat (§. 417. *Oecon.*). Hinc non agere debent, niſi quæ & dignitati alterius conveniunt, ſuamque tum dexteritatem tum fidem comprobent (§. 418. *ibid.*). Quamobrem rectoribus civitatis omni opum vi enitendum eſt, ut nil agant, niſi quod majeſtati divinæ conveniat, ſuamque loquatur dexteritatemque fidemque, h. e. ut in imperio publico quam digniſſime Dei vices ſuſtineant exerceantque.

Summam ſuſtinere perſonam rectores civitatis hoc ipſo intelliguntur, quod non ſuo ſed Dei nomine atque numine imperio publico civitatis vacare obligantur. Quantum hoc honoris ipſis conciliat, tantum quoque oneris ipſorum humeris imponit, ſi recte officio fungi velint. Quo major eſt difficultas explendi has partes, eo majorem quoque merentur gloriam illud faſtigium adepti.

§. 339.

Quia rectoribus civitatis enitendum ſummopere eſt, ut digniſſime vices Dei in imperio civitatis ſuæ ſuſtineant (§. 338); ſine ſummis autem virtutibus, leges Dei naturales obſervantibus, digni Deo vicarii eſſe nequeunt: prono ſequitur alveo, *rectoribus civitatum ſtudendum eſſe tantæ virtutum ſublimitati, quantam aſſequi mens humana valet; iisdemque imitandum quam maxime eſſe divini imperii, quod in ſe ipſis experiuntur, exemplum.* *Ope ſtudii virtutum ſublimium & imitationis Dei.*

Procul igitur abeſſe debet a rectoribus civitatis vitiorum amor, animusque ſibi omnia indulgens, niſi humanis & civilibus coërceatur pœnis. Potius quo excelſiori loco poſiti ſunt, eo nobiliori quoque virtute Deum debent æmulari tanquam in hunc finem electi evectique ſupra alios homines imperii divini vices gerentes. Neque id tantum decet ipſorum inter cæteros homines ſublimitatem, ornatque egregie, uti exceſſus & vitia eos magis quam cæteros deformant dedecentque; ſed adeſt quoque obligatio divina, virtutes in tam excelſo loco coronatu-

ra, inferioribusque amabiles redditura; vitia autem eo gravius ultura, quo plures ad ſimilia ſunt ipſorum exemplo ſeducti.

§. 340.

Gloriæ Dei illuſtratione.

Opera danda eſt rectoribus civitatis, ut ad illuſtrandam Dei gloriam conferant quæcunque valent. Studendum enim rectoribus civitatis, ut Dei imitentur exemplum, quod in ſe ipſis experiuntur (§. 339.). Experiuntur vero in ſe ipſis, Deum manifeſtare ipſis ſuam gloriam, cumulando ipſos honoribus & beneficiis prorſus eximiis, induendoque eos ſuæ majeſtatis perſona (§. 337.): quemadmodum cæteroqui compertum habere debent, Deum nihil non facere & facturum eſſe patefaciendæ ſuæ gloriæ cauſa (§. 629. *ſeqq. P. I. Theol. nat.*). Neque debent ignorare, ſe pariter ac homines quoscunque, obligari ad actiones ſuas ad gloriæ divinæ illuſtrationem dirigendas (§. 977. *ibid.*). Quid igitur æquius, quid evidentius eſt, quam operam dandam eſſe rectoribus civitatis, ut ad illuſtrandam Dei gloriam conferant, quidquid conferre valent?

Si omnibus modeſtiam affert cognitio rerum cœleſtium, qui videant, quanta ſit etiam apud Deos moderatio, quantus ordo ſi magnitudinem animi conciliat deorum opera & facta cernentibus, & juſtitiam, cum cognitum habeas, quod ſit ſummi rectoris & domini numen, quod conſilium, quæ voluntas, cujus ad naturam apta ratio vera illa & ſumma lex dicitur, autore *Cicerone L. IV. de Fin. c. 5.*: quidni rectoribus civitatum, præpoſitos ſe tam multis intelligentibus calcar addat contemplatio Dei ejusque operum, ad ſectandas virtutes tam excelſas divinasque, quas ubique in tam illuſtri univerſitate rerum, & in ſe ipſis exſplendeſcere animadvertunt?

§. 341.

Pro gradu virium.

Quo plus valent rectores civitatis, & per ſe & ope civitatis ſuæ; eo plus quoque ipſis ad illuſtrationem gloriæ divinæ eſt conferendum. Vnusquisque enim obligatur ad conſequendas omnes

mentis

mentis virtutes quas assequi valet (§. 212. *P. I. Jur. nat.*) & ad consensum usus omnium facultatum suarum comparandum (§. 204. *ibid.*), vitandum autem dissensum, usus neglectum, & abusum (§. 205. *seqq. ibid.*). Jam cui amplior est facultatum virium & rerum usus, majusque auxilium alienum, is quoque ad plura præstanda obligatur (§. 177. *ibid.*), & in cujus potestate plura sunt, illius quoque obligatio est major (§. 179. *ibid.*). Extra controversiam vero positum est, rectoribus civitatum non modo ampliorem multo, quam cæteris hominibus, patere facultatum, virium, rerumque quarumvis usum, verum etiam amplissimum aliorum, quorumvis certe sibi subjectorum fœderatorumque, præsto esse auxilium. Quapropter apertum est, quo plus valent rectores civitatis & per se, & ope aliorum universæque civitatis suæ, eo plus quoque ipsis ad illustrationem gloriæ divinæ esse conferendum, quam hominibus privatis (§. 340.). Item & illud claret, quo plus alii civitatum rectores aliis valent præstare, per se aliosque, eo etiam plus illis, quam his, ad eundem scopum esse conferendum.

§. 342.

Nec secus ac suæ gloriæ.

Neque aliter Rectoribus civitatum gloria numinis est consideranda, quam suamet, eaque solidissima. Sunt nimirum Rectores civitatum non nisi summi rerum omnium Rectoris vicarii (§. 337.); ipsisque enitendum est, ut quam dignissime personam Dei gerant (§. 338.). Sed vicariorum est, uti alterius funguntur juribus, ita quæcunque tanquam vicarii gerenda habent, ea spectare & curare tanquam suamet (§. 451. *Oecon.*). Neque digni erunt vicarii, nisi agant, quæ decent illum, vel illius dignitati respondeant, cujus vicibus funguntur (§. 338.). Eapropter non aliter rectoribus civitatum gloriæ numinis nominisque divini est consideranda, quam suamet.

Enim-

Enimvero si rectores civitatum gloriam Dei in imperio suo rite sectantur, conferunt ad illustrandam Dei gloriam, quæcunque conferre valent (§. 340.). Major autem & solidior gloria ab ipsis adquiri non potest ea, qua ipse Deus excellit. Hanc adipiscuntur, & apud Deum & homines intelligentes, quando quo plus valent suis aliorumque facultatibus tanto plus conferunt ad gloriam Dei amplificandam (§. 341.). Si igitur rectores civitatum gloriam Dei non secus considerant & ob oculos habent quam suammet, eo ipso sibi verissimam, solidissimam & sempiternam pariunt gloriam (§. 47. *Jur. Gent.*).

Compertum inter omnes habetur, mandatario partes mandantis ita esse peragendas, ut mandantis dignitati nihil officiatur. Quo facto non tantum honori mandantis, sed & suo recte prospexisse merito statuitur, nec tantum ab omnibus peritis laudatur, sed & ipsius mandantis beneficentia fruetur. Pariter quoque censendum est de civitatum rectoribus, quibus imperii divini vices sunt demandatæ. Quas si plene impleverint, si gloriam numinis divini suo imperio pro facultatum suarum ratione illustrarunt: omnino & sibi pepererere gloriam, quantam consequi possunt, ideoque omni exceptione majorem nec unquam intermorituram. Gerunt & hi imperium Dei jussu & autoritate, ut adimplendo mandata Dei participes fiant gloriæ divinæ, tum ut vicarii ipsius, tum ut virtutibus inter cæteros homines eminentes.

§. 343.

Gloriosa contentio de hoc principatu.

Contendere de principatu in gloria divina illustranda rectoribus civitatum est gloriosissimum. Opera enim danda est rectoribus civitatum, ut ad illustrandam Dei gloriam conferant, quidquid conferre valent (§. 340.). Multo plus autem ad illam conferre valent, quam ulli homines privati, & quo plus alii eorum aliis præstare possunt, eo plus ad gloriæ divinæ illustrationem ipsis est conferendum (§. 341.). Quid? quod omne illud, quod

quod eo conferre possunt, ipsis considerandum est tanquam summa gloria solidissimaque, quam sibi comparare possunt (§. 342). Non alia igitur pulchriori æmulatione de principatu inter se contendere possunt, quam si alius alium in illustranda divini numinis gloria vincere, honestissime nitatur. Contendere ergo de principatu gloriæ divinæ illustrandæ rectoribus civitatum non potest non esse gloriosissimum.

Non de vana ambitione inanique ostentatione hic sermonem esse, omnia loquuntur. Est enim in officio uti omnium aliorum hominum, ita & rectorum civitatis gloriæ divinæ illustratio (§. 977. *P. I. Theol. nat.*) & æmulatio in officio recte peragendo eodem pertinet (§. 354. & 356. *Occon.*). Laudantur etiam in sacris literis reges, qui alios virtutibus antecelluere, uti David, Salomo, Josias aliique.

§. 344.

Invitamenta ad hanc æmulationem.

Invitantur rectores civitatum ad hanc æmulationem virtutum non tantum gloria, qua alii aliis antecellunt & vivi & post fata inter omnes virtutum cultores, verum etiam aliis præmiis divinis. Certum enim est, contendere de principatu in gloria divina illustranda, idem esse ac contendere de pietatis & virtutum principatu (§. 111. *P. III. Ethic.*), idque rectoribus civitatum esse gloriosissimum (§. 343.). Quo magis igitur rectores civitatum in illustranda Dei gloria excellunt, eo hoc ipsis est gloriosius. Hinc quo plus præstant in æmulatione de principatu illustrandæ gloriæ divinæ, eo majorem gloriam adipiscantur, tum inter omnes, quibuscum vivunt, virtutum æstimatores, tum postquam e vita demigrarunt in veris historiarum monumentis. Invitantur igitur hac ipsa immortali gloria ad istam virtutum excelsarum æmulationem diligenter persequendam.

Præter eam qua inter cæteros homines, ipsosque Dei Vicarios celebrantur, gloriam multa alia dantur hujus præstan-

ſtantiæ virtutum emolumenta. Ea enim eſt divinæ benignitatis ſapientia, ut virtutes quaſcunque & naturalibus & arbitrariis præmiis commendare & condecorare ſoleat (§. 310. & 313 *P. I. Philoſ. pract. univ.*), item ut virtus ſibimet ipſi præmium ſit (§. 353. *ibid.*). Quæ quia virtutibus reſpondent, eo ſunt plura eoque majora, quo pluribus majoribusque virtutibus aſſignanda ſunt. Neque ea tantum huic vitæ, ſed & futuræ ſunt propoſita exſpectandaque. Invitantur ideo rectores civitatum quoque ad æmulationem ſublimium virtutum variis præter gloriam ſuam prœmiis divinis hujus & ſequuturæ poſt eam vitæ.

Poſtremum in *ſomnio Scipionis* inculcat *Cicero* his verbis: ſed quo ſis; Africane, alacrior ad tutandam remp. ſic habeto. Omnibus, qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, acceptius quam civitates. Harum rectores, & conſervatores, hinc profecti, huc revertuntur. Hic ego perterritus - - quæſivi tamen, viveretne ipſe, & Paulus pater, & alii, quos nos exſtinctos arbitraremur. Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere evolaverunt; veſtra vero, quæ dicitur, vita, mors eſt. Quin ru adſpicias ad te venientem Paulum, patrem. Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi - - - - atque ut primum fletu repreſſo loqui poſſe cœpi, quæſo inquam, pater optime, quoniam hæc eſt vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris, quin huc ad vos venire propero? Non eſt ita, inquit ille, niſi Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt.

§. 345.

Ad gloriam Dei facit — *Ad gloriam Dei illuſtrandam facit penitior rerum naturalium cognitio, earumque uſus, qui haberi poteſt, ampliſſimus.* Homo enim

enim Deum debet cognoscere ex contemplatione hujus universi, & rerum, quæ in eodem habentur, tanquam operum Dei (§. 1131. *P. I. Jur. nat.*), ideoque obligatur ad contemplandum hoc universum & quæcunque in eodem occurrunt, ut cognoscat qualia sint, & cui bono (§. 1132. *ibid.*). Quare quia omnia Dei opera ad manifestandam ipsius gloriam condita sunt (§. 629. *P. I. Theol. nat.*) & perpetuantur (§ 841. *ibid.*): utique ad gloriam Dei illustrandam facit ope contemplationis accuratioris adquisita penitior rerum naturalium, tamquam operum Dei, cognitio solidaque scientia, ubicunque haberi potest. *rerum scrutinium usus-que amplissimus.*

Quoniam res naturales a Deo procreantur etiam nunc propter usus, quoscunque præstare possunt, & hi usus sunt inter fines Dei (§ 648. *P. I. Theol. nat.*), in ipsis quoque rebus artificialibus (§. 649. *ibid.*): investigandi quoque sunt rerum naturalium usus, quoscunque & in statu naturali, & eo, quem ab ingenio & arte adipisci possunt, præstare valent. Quando investigati sunt & perspecti habentur, amplificandi perficiendique sunt illi usus, quousque fieri potest (§. 655. *seqq. ibid.*): ideoque & res in eosdem usus aptandæ sunt applicandæque. Quam ob rem ad gloriam Dei illustrandam destinati quoque sunt rerum naturalium usus quicunque (§. 656 - 659.); & illustratio gloriæ Dei requirit simul usus earum, quotquot haberi possunt, amplissimos.

§. 346.

Penitior rerum naturalium cognitio adquirenda requirit sedulam latentium investigationem; detectarum & patentium curatiorem contemplationem; utendarum adquisitionem; nociturarum vero evitationem. Si enim res, quæ habentur, naturales ignorentur, nulla earum nedum penitior cognitio locum habere potest. Proinde ut cognosci possint, ignotæ, vel & latentes, ante omnia sunt investigandæ eruendæque e suis latibulis, fere quemad- *Quid requirat penitior rerum cognitio adquirenda?*

modum latentes in ſuis cubilibus feras venamur. Opus igitur eſt ſcrutinio & labore, quo in lucem protrahi res abditæ poſſint, ſi earum cognitio penitior deſideretur (§. 345.).

Quando vero detectæ ſunt, aut per ſe occurrunt nobis & ſenſibus patent, nondum propterea perſpectæ dici poſſunt, quoniam vulgo multæ res ſunt obviæ v. c. ſidera, meteora &c. quarum tamen mira laborat ignorantia, propter ſummam confuſionem notitiæ vulgaris, a beſtiarum ſenſione parum vel nihil differentis. Hinc minime vulgari opus eſt earum obſervatione, diligenter variisque modis inſtituenda & repetenda (§. 672. *ſeqq. Logic.*) Quia contemplatio infert adquiſitionem cognitionis rerum exquiſitioris, tum quales ſint in ſe, vel ſeorſum ſpectatæ, tum ratione rerum cæterarum, quod colligi poteſt ex (§. 1131. *P. I. Jur. nat.*); & penitior cognitio rerum dici nequit, niſi rerum natura in ſe & in relatione ad fines ſuos perſpecta habeatur (§. 345.): propalam eſt, ad penitiorem rerum cognitionem neceſſariam eſſe rerum vel patentium per ſe, vel detectarum curatiorem contemplationem.

Enimvero quia curatior contemplatio poſtulat adquiſitionem cognitionis rerum exquiſitioris tum in ſe, tum ratione aliarum, vel finium ſuorum, *per proxime præſtructa;* ſi hujusmodi rerum utendarum contemplatio fieri nequit, niſi res ſint in poteſtate noſtra, ut pro lubitu eas rimari & ad alias referre poſſimus: nullo negotio perſpicitur, opus eſſe, ut illas res ita tractandas noſtræ poteſtati ſubjiciamus, ſeu dominium earum, ſeu uſum in perquiſitione earundem noſtrum faciendo. Quodſi res utendæ alterius ſint, hoc eo magis erit neceſſarium, quo magis illarum uſu indigemus. Eapropter penitior rerum naturalium cognitio comparanda, flagitat quoque rerum utendarum comparationem impetrationemque.

Si vero nocere possint res in iis tractandi modis, quibus earum cognitio venanda: utique male sibi consuleret loco emolumenti sibi nocumentum arcessens. Ea propter in ipsa contemplatione instituenda nihil cœco impetu audendum, sed circumspecte cauteque suscipienda sunt illius examina, ne damni temere contracti sera afficiaris pœnitentia. Patescit igitur, quanta cautione in penitiori rerum cognitione adipiscenda opus sit, ut nocitura quæque provide evitentur.

Non sunt quidem res naturales per se in hominum damna conditæ, sed hominibus æque ac aliis rebus prodesse debent, & actu prosunt quando ibi adhibentur, ubi earum usus locum habet, & ea ratione, qua salutares sunt. Neque urgeri potest, quod nesciatur, quem usum venena & his similia habere possint: quia nostra ignorantia nil arguit nisi nostram negligentiam in perscrutando debito earum usu, qui in aliis olim æque rejectis jam exploratus habetur. In abusu dum nocent, non ipsæ nocent, sed earum abusus punitur; unde in pœnam abutentium aperte intelliguntur comparatæ esse. Nec vulgarem loquitur sapientiam ea rerum naturalium conditio, qua recte utentibus proficuæ sunt & salutares, abutentibus autem damno pœnæ & perniciei.

§. 347.

Neque solæ observationes semper sufficiunt, sed varia sæpe requiruntur experimenta, modo fortuito, modo consilio facta, si ope contemplationis penitior rerum cognitio est obtinenda. Etenim observationes suppeditant experientiam circa facta naturæ sine opera nostra oriunda; experimenta autem occupantur in factis naturæ non nisi interveniente opera nostra contingentibus (§. 456. *Psychol. empir.*), & in veritate a posteriori detegenda indigemus cum observationibus accuratis, tum experimentis (§. 457. *ibid.*). Quam ob rem si illa facta rerum naturalium per se contingunt, quibus indigemus, ut ope curatioris contem-

Sæpe opus est experimentis.

plationis penitiorem earum rerum cognitionem adipiſcamur: utendum eſt obſervationibus, quousque illæ ſufficiunt, ad res illas penitius noſcendas (§. 346.). Vnde ſi ope obſervationum omnia indagari poſſunt, in illis erit adquieſcendum. Quoniam vero hoc perraro contingit in rebus terreſtribus, & fere duntaxat in cœleſtibus ſeu aſtronomicis omne id conficit, quod ibi haberi poteſt: ſæpiſſime in terræ noſtræ rebus naturalibus ſcrutandis peropus eſt experimentis, & arte experimenta rite inſtituendi (§. 459. *Pſychol. empir.*). His enim diu multumque & varie ſubjectæ res demum prodere ſolent, quid valeant. Sed docuit rerum uſus alia experimenta eo conſilio eſſe inſtituta, ut illud exploraretur, cujus gratia adhibentur; alia vero alio conſilio, aut aliud agentibus & nihil tale opinantibus accidiſſe, quibus non minus ad contemplationem rerum uſi ſunt. Priora dicimus conſilio, poſteriora fortuito facta experimenta. Pateſcit igitur in rebus naturalibus noſtræ telluris perſæpe opus eſſe capiendis ſive hoc ipſo ſive alio quocunque conſilio experimentis, ſi penitior earum cognitio curæ cordique habetur.

Cui ignotum eſt, multis alia omnia agentibus & quærentibus fruſtra, obveniſſe inſperata nec ullo modo prævifa vel conjectata? Quis neſcit, pulveris pyrii, vitri, teleſcopiorum inventionem fortuito occurriſſe aliud agentibus, aut tentantibus, quid ſic ſit eventurum, quum quale id futurum eſſet, præcipere animo non poſſent? Conſtructis e vitro feneſtris idem contingere aliis potuit, quod me præſente 43 abhinc annis Landsbergæ ad Wartam eveniebat alii mecum ante feneſtram colloquenti, cujus ater pileus in capite & perforabatur & incendebatur, nihil tale ullo opinante, nec antea ibi experto. Quo patebat feneſtræ ineſſe vitrum cauſticum. Quod cujusmodi eſſe debeat ibi vitrum contemplando explorare potuiſſemus, niſi id nobis aliunde notum fuiſſet. Certe ſic innotuiſſe potuit ratio ope diorum

diorum solis vitro corpora incendendi, & conficiendi posthæc vitra caustica.

§. 348.

Penitiori rerum naturalium indigenarum cognitioni excolendæ consulendum in primis æmulandumque est rectoribus civitatum, ne ab aliis ea in laude vincantur. Sunt enim rectores civitatum præditi & præfecti imperio civitatis summo (§. 42. P. VIII. *Jur. nat.*), iidemque Dei vicarii (§. 337). Qua rectores communi bono provehendo conjunctis civium viribus præesse obligantur (§. 35. & 268.), quod sine cognitione accurata & usu debito amplissimoque rerum indigenarum fieri nequit (§ 345.). Qua vicarii eniti debent, ut dignissime Dei vicibus fungantur (§ 338). Quia idcirco ipsis opera est danda, ut ad illustrandam Dei gloriam conferant, quidquid conferre valent (§. 340.); contendendumque de principatu in isto studio (§ 342.): nihil ipsorum muneri convenientius est, quam si rerum indigenarum penitiori cognitioni in civitate sua provehendæ præsidia præstent & adjumenta, quanta possunt, atque ea in re inter se invicem honesta æmulatione contendant, ne facile ab aliis ea in laude vincantur.

Rectorum civitatis officium circa res indigenas.

Nondum hic sermo est de illis, quibus hac in re utendum est, subsidiis, quæ suo sequentur loco. Illustrari hoc pacto Dei gloriam patet inde, quia agnita rerum naturalium utilitas & copia in Dei beneficiis est ponenda, quarum causa utique est celebrandus. Patet vero necessitas hujus scrutinii rerum naturalium indigenarum abunde ex eo, quia stultum foret aliunde petere, quæ domi nascuntur, & forte in tanta abundantia, qua & perigrinis superflua non sine lucro, vendi possent. Quia hoc casu civitas duplici afficeretur damno, male emendo ab aliis, cujus emendi nulla adest necessitas, & male negligendo culturam rerum sibi divinitus beneficii loco indultarum, una cum omni usu earum, & sibi & aliis suffecturo. De cujusmodi casu olim

olim ſtatuere peritiores, ſtultum eſſe exſpectare ab aliis, quod tibi ipſi præſtare poſſis. Quod non ſolum de ſingulis hominibus ſed de ſingulis quoque ſocietatibus civitatibusque intelligendum eſt, quæ inter ſe ſunt ut perſonæ ſingulares liberæ & in ſtatu naturali viventes (§. 2. *Jur. Gent.*).

§. 349.

Gloria quoque & utilitate publica commendatum.

Præter officium erga Deum, urget quoque rerum indigenarum ſcrutinium univerſæ civitatis rectorumque illius gloria & utilitas. Generatim enim invitantur rectores civitatum, ipſæque ideo civitates, ad æmulationem virtutum publicarum non tantum gloria, qua alii aliis & vivi & poſt fata celebrantur inter omnes virtutum cultores, ſed aliis quoque præmiis divinis (§. 344.), & ſtudendum ipſis eſt tantæ virtutum ſublimitati, quantam aſſequi valent, & qua Deo ſimiliores cæteris hominibus, aptioresque ad imitandum ipſius exemplum, quod in ſemet ipſis experiuntur, evadant (§. 339.). Quam ob rem & in ſcientia rerum indigenarum operandum ipſis eſt tantæ ſublimitati, qua Dei partibus in civitate recte tuendis evadant pares. Quæ vera nec unquam inter moritura ipſorum & civitatis ſimul gloria omnino & poteſt & debet eos inflammare ad acrius rerum indigenarum ſcrutinium. Præter illam vero ipſa ſalus civitatis, rectoribus ſummopere curanda (§. 268.) poſtulat uſum rerum indigenarum, velut totidem ſingularium Dei beneficiorum, ampliſſimum (§. 345.). Vnde & hæc utilitas illarum rerum, quanta eſſe poteſt, tum civitati ipſi, tum rectoribus earum ſimul, tum quoque peregrinis, invitare debet ad hoc earum ſcrutinium debita diligentia & cura proſequendum (§. 110.).

§. 350.

Non omnis fert omnia tellus.

Naturaliter non omnia ſalutaria hominibus ubivis proveniunt, ſed alia alibi aut plane non, aut non niſi deterius multo haberi poſſunt. Com-

Comprobat experientia omnis ævi tam liquido, ut postulati instar id sumi posset. Ingnarum enim admodum rerum naturalium se præberet, quicunque illud vellet in dubium vocare. Norunt mercatores, quanta rerum peregrinarum copia indigeant civitates. Norunt pharmacopolæ & medici, quid virium detur in rebus peregrinis, quæ indigenis aut prorsus desunt, aut multo minus insunt. Norunt hortulani aliique curiosi rerum observatores, ipsique rustici, peregrinarum rerum aliorsum traductarum difficultatem eas conservandi & propagandi sic, ut sint pares in patrio solo natis, nec ab his sensim degenerent, tandemque extinguantur.

§. 351.

Eapropter Rectores civitatum operam quoque licitam dare debent rerum peregrinarum penitiori cognitioni adquisitionique. Naturaliter enim non omnia hominibus salutaria, quibus vitæ necessitas, commoditas, jucunditasque indiget, ubivis terrarum proveniunt, sed alia alibi aut plane non, aut non nisi multo deterius haberi possunt (§. 350.). Deus tamen res naturales omnium hominum saluti destinavit, & vel introductis non invita lege naturali rerum dominiis, jus est iis, qui ipsis indigent, ab aliis æquo pretio eas sibi comparandi (§. 58. *Jur. Gent.*). Quod quum fieri nequeat, nisi ad hunc usum invitet penitior illarum rerum cognitio: pronum est collectu, rectoribus civitatum licitam quamque operam esse navandam, ut & rerum peregrinarum scientia solidiori, saltem, quanta haberi potest, notitia vera imbuantur. At hæc penitior rerum cognitio ex ipsismet rebus optime hauritur, uti ex indigenarum rerum indole patet (§. 346.). Obtinendæ igitur æquis modis sunt res peregrinæ, ut ex ipsarum observatione, vel experimentis, quibus subjici possunt debentque, cuinam usui esse possint, innotescat (§. 347.).

Hinc opus est peregrinarum quoque rerum cognitione & adquisitione.

Comparantur autem res peregrinæ æquis modis, si citra ullius injuriam adquirantur, & pretio modico, quo nihil detrahatur facultati necessitatique potiorum officiorum; & in fines concessos, aut plane injunctos. Habent & hic quendam locum ea, quæ notavimus ad §. 348. quum cognitio perfectior certiorque ex ipso rerum intuitu & usu, quam aliorum relatu vel descriptione obtineatur.

§. 352.

Saltem notitiæ jucunditatis & magnificentiæ causa,

Etiamsi peregrina nondum alium spondeant usum, tamen vel penitioris cognitionis jucunditatisque adipiscendæ causa a rectoribus civitatum recte indagantur adquiruntürque. Est enim homini inserviens usus rerum varius, theoreticus alius, alius practicus. Ille perficit intellectum, liberando illum ab ignorantia, & imbuendo distincta veritatis cognitione, erroribus obstante. Hic in liberis actionibus ad vitæ necessitatem, commoditatem, ad quam etiam decus & ornamentum refertur (§. 644. *P. I. Jur. nat.*), & jucunditatem, ceu voluptatem innocuam, componendis dirigendisque occupatur (§. 548. *ibid.*) & (§. 346. *P. IV. Ethic.*). Quamdiu usus rerum practicus nondum constat, adquiescendum est in excolendo theoretico; & quamdiu nondum liquet, quomodo necessitati commoditatique nostræ inservire res peregrinæ possint, tam diu contentos nos esse oportet innocua, quam nobis afferunt, jucunditate vel & decora dignitate. Jam sæpe rerum indigenarum usus practicus est ignotus, & tum in perficiendo theoretico eo usque viribus conjunctis desudamus, donec & alter ille reperiatur. Item quando necessitati non inserviunt res indigenæ, utimur illis in augenda commoditate, elegantia & jucunditate vitæ, ipso usu rerum magistro. Jam quod in domesticis, idem quoque faciendum est in peregrinis rebus naturalibus, ut nimirum rectores civitatum, Dei, nihil ignorantis, vicarii, suam suæque civitatis cognitionem rerum, a Deo minime frustra conditarum suppeditа-

ditatarumque, penitiorem obtineant, augeant & perficiant, quousque fieri poteſt. Tum & jucunditati, dignitati, majeſtatique ſuæ decus & laudem conciliare poſſunt rerum inprimis rariorum & admirandarum copia, qua aliis privatis non æque potiri, uti & frui licet, ob inopiam facultatum ad ea neceſſariarum.

Poteſtne quisquam eſſe tam rudis rerum omnium, qui neſciat, magnificentiam rectorum civitatis, in primis monarcharum, omni ævo decuiſſe, laudibusque omnium & tum viventium & poſterorum cumulaſſe ſtudium in conquirendis rerum naturalium artificialiumque theſauris? Quis unquam non admiratus eſt, admirabiturque tot muſea ſplendidiſſima rerum mineralium, gemmarum, nobiliorum & ignobiliorum metallorum, ſemimetallorum, lapidum, petrefactorum, ſalium, bituminum, ſulphurum terrarum omnis generis? Quis non obſtupeſcit adſpectu tot generum hortorum, paradiſorum, vinearum, viridariorum, topiariorum, arborum, fruticum, herbarum, olerum, arundinum, graminum, frugum, lignorum, corticum, foliorum, florum, ſeminum, radicum, tuberum, herbariorum vivorum &c. quot nonniſi maximis ſumtibus congregari ad animos ſenſusque paſcendos ſatiandosque poſſunt? Quid dicam de iis, quæ & in his a communi ordine recedunt, & quidpiam monſtroſitatis vel inſoliti oſtendunt, quid de balſamis, ſuffimentis, reſinis, gummi, lacrymis, ſuccis; de paraſiticis plantis, de muſcis, fungis, lichenibus, byſſo vel lanugine, confervis, tremellis, ſimilibusque? Quid de iis, quæ in & ſub aqua dulci vel marina creſcunt, quorum genera innumera cimmeriis adhuc tenebris immerſa jacent & inculta, ut ſi qua eorum copia & ſeries gazophylacia marina ornet, illa pene novum mundum ſpectatoribus admirandum ſiſtant? Jam quanta animalium terreſtrium aquatiliumque varietas, quam ſtupendus habetur numerus? Quam oſtendit magnificentiam vel in vivariis, vel indaginibus, columbariis, aviariis, lacubus, piſcinisque obvia admirabilis indigenarum peregrinorumque quadrupedum, bipedum

dum & alitum, piſciumque progenies omnigena? Quid de oſſium & ſceletorum, de craniorum, dentium, cornuum, unguium, roſtrorum, ovorum, viſcerum & ſimilium mirifica diverſitate & multitudine; quid de ſerpentum, lacertarum, ranarum, bufonum, reptilium & omni inſectorum terreſtrium genere; quid de marinarum beluarum, cetorum omnique pulmonibus inſtructorum aut branchiis reſpirantium pinnisque natantium natura de cæterorum marinorum teſtaceorum, cruſtaceorum nudorum, hydrarum, anguium, inſectorumque innumeris formis ſpeciebusque dicendum reſtaret, ſi vel pauca de his tantum delibare vellemus, quibus magnificentia rectorum civitatis luculenter in publicum prodere & cives in admirationem numinis provocare poteſt? Nec dum quidquam diximus vel dicemus de iis, quæ hominibus propria ſunt, & ad penitiorem hominum cognitionem faciunt, ſive naturam tantum, ſive artem reſpiciamus; quia de his plurima lectoribus ſponte in mentem eſſe ventura autumamus.

§. 353.

Quid ſit intemperies circa peregrina.

Intemperies circa peregrina, vel nimius peregrinorum amor vocatur exceſſus ſtudii peregrinorum, ſeu illegitimum peregrinorum ſtudium. Quia quidquid illegitimum eſt officio repugnat & vitioſum eſt, nimius peregrinorum amor vitioſus eſſe intelligitur.

Nonnulli intemperiem circa peregrina appellant ἐξωτικομανίαν. Quod vocabulum propter neceſſitatem confictum, & paullo durius eſt, cum μανία furor ſit vel inſania furibunda. Præſtare igitur cenſetur uſus vocabulorum latinorum ad hoc vitium denotandum, quod in exceſſu amoris peregrinorum eſt poſitum. Quibus vero modis is committatur, exponendum videtur.

§. 354.

Quot modis ſe illa exſerat?

Nimius peregrinorum amor ſe exſerit partim in ſcopi pravitate, partim in ſumtibus officio contrariis, partim iniquo indigenorum contemtu. Scopus enim peregrina adquirendi debet eſſe licitus (§. 351.),

(§. 351.), tendens ad illustrandam Dei gloriam, perficiendasque virtutes intellectus & voluntatis (§. 352). Sed si scopus est pravus, vel minus rectus, tum non est licitus, sed illicitus, tum est legibus divinis adversus & illegitimus (§. 64. & 170. P. I. *Phil. pract. univ.*). Quia illegitimum est studium, cujus scopus est illegitimus, atque illegitimum peregrinorum studium, est intemperies circa externa, vel nimius peregrinorum amor: liquido apparet, si peregrina ob pravum scopum appetantur adquiranturque, hunc nimium vitiosumque esse eorum amorem.

Comparatio peregrinorum æquis fieri debet modis, itaque pretio tam modico, quo nihil derogetur officiorum potiorum præstationi (§. 351). Quapropter si impendia fiant in res peregrinas officio contraria potiori, derogatur illius præstationi, ideoque illa impendia sunt illegitima. Quia sic illegitimum est tale peregrinorum studium, nimium esse illum peregrinorum amorem clarescit.

Denique si res domesticæ præter rem, hoc est nulla necessitate vel insigni utilitate id exigente, peregrinis postponantur, hic contemtus earum est iniquus, & cum damno civitatis conjunctus, ideoque officio repugnat (§. 352). Quidquid vero ab officio abhorret, illud est illegitimum illicitumque (§. 170. P. I. *Phil. pract. univ.*). Ea propter hoc illegitimum est peregrinorum studium, & amor, qui in illa fertur, nimius vitiosusque.

Scopi pravitas tendit ad alendos pravos affectus actusque, v. c. ad libidinem, ambitionem, avaritiam alendam exercendamque, ad inferendas aliis injurias clandestinas, similesque alias vitiositates aut superstitiones disseminandas. Patet vero, vitiositatem non esse temere fingendam, ubi illa conspicua non est, vel ubi ambiguum esse potest, sitne vana ostentatio, aut alia licita causa. Quoties enim vitiositas certa non est, quæ in animo

resſidet, æquior interpretatio ſtudii exoticorum eſt præferenda. Agimus vero hic de intemperie domeſtica, nec in alias civitates injuſta.

§. 355.

Cavenda illa quoque rectoribus civitatum.

Cavenda etiam rectoribus civitatum eſt intemperies circa peregrina. Neque enim niſi licitam dare operam obligantur rerum peregrinarum comparationi (§ 351.). Sed illa intemperies circa peregrina eſt illicita atque illegitima (§. 353.), quacunque ex cauſa proficiſcatur (§. 354.), hoc eſt, ſive in pravum ſcopum tendat, ſive in impendiis modus excedatur, ſive id fiat cum contemtu rerum indigenarum. Conficitur inde, etiam rectoribus civitatum cavendam eſſe intemperiem ſtudii rerum peregrinarum.

Profundi ſcilicet ſumtus nimii poſſunt in res peregrinas, ut deinde vel deſint aliis officiis multo gravioribus impendenda, vel ſubditi oneribus moleſtis ſubjiciendi. Quorum utrumque evitatur, ſi non plus impenditur rerum peregrinarum adquiſitioni, quam ſalvis officiis majoris momenti fieri poteſt. Itidem conſervationi rerum adquiſitarum ea danda eſt opera, qua ipſæ vel in ſe, vel in exuviis, delineationibus & ectypis fieri poſſit quam maxime diuturna.

§. 356.

Modus illam evitandi.

Evitatur illa intemperies, ſi rebus quibusque verum ſtatuatur pretium, omniaque potiſſimum inſtituantur in Dei gloriam civitatisque ſalutem. Exceditur enim iſta intemperie, ſi res domeſticæ inique contemnantur, nimium in peregrina impenditur, & ſcopus eſt perverſus pravusque (§. 354.). Enimvero ſi & rebus indigenis & peregrinis verum ſtatuitur pretium, nec iniquus habebit indigenarum contemtus, nec peregrinarum locum habebit, ſed ſuum cuique tribuetur, tum in cognitione penitiori diffundenda, tum in uſu quantum fieri poteſt, amplificando (§. 345.). Si omnia potiſſimum inſtituuntur ad Dei gloriam illuſtrandam, præ-

pravitas ſcopi exulabit, qua gloria Dei offuſcaretur (§. 1153. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Si omnia ad ſalutem publicam inſtituuntur attemperanturque impendia in res peregrinas erunt tam modica, ut officiis gravioribus minime ſint repugnatura.

Solet quidem rebus ſæpe enorme ſtatui pretium ſive ex raritate, ſive ex affectione, ſive alia quadam cauſa, aut plane ex avaritia tantum poſſeſſoris vendituri. Licet igitur rectores civitatum invidere dominis rerum non debeant lucrum, quod alii emturi ipſis dare non verentur; tamen ſi tam enorme illud ſit, ut nec civis quisquam nec peregrinus illud ſit daturus, non tantum id ipſum evidenter ob oculos illis ponere poſſunt, verum etiam honoribus, dignitatibus, reditibusque oblatis aut quæſitis a dominis, æquiſſimo pretio obtinere poſſunt, quod privatis tantillo non veniret. Aut ſi ſic nondum obtinetur, quod quæritur, expectandum eſt, donec poſtea ſive fata ſuprema, ſive alia, mentem domini flectant, aut hæredes præſtent æquiores.

§. 357.

Aliæ cauſæ impendia in exotica minuentes.

Accedit ad moderandos hos ſumtus & illud, quod iis rebus peregrinis comparandis non opus ſit, quæ propter alios uſus copioſius in civitate habentur, & quod in muſei uſum ſpecimina non adeo magna requirantur, denique rectores civitatum permutationibus æquis uti poſſint. Scilicet ſi peregrinæ copioſius in civitatem invehuntur, & in ea paſſim proſtant, hæc reliquis civibus aliunde ſunt nota, inde opus non eſt, ut rectorum civitatis beneficio demum, illam notitiam obtineant (§. 352.). Ipſi vero rectores ſi qua ſpecimina illarum deſiderent pro muſeo, more ſolito facile aut invehentes, aut emtores ea & alia, quæ poterunt procurare donabunt, ne ullis opus ſit impenſis.

Præterea in iis, quæ ſic haberi non poterunt & cariora ſunt, muſei uſus nec adeo multa, nec adeo magna requirit, ut ingenti opus eſſet ſumtu (§. 352.), quanquam & is, qui privatis eſt magnus, rectoribus civitatum parvus erit, ſi partibus

œcono-

œconomiæ recte fungantur. Quamdiu igitur parva rerum ſpecimina parem excitare poſſunt cognitionem, ac magna; cæteris vero paribus, illa minus valent, quam hæc: tamdiu muſeum peregrina continens non adeo magnas requiret impenſas, habita quamvis debita decori ratione (§. 203. *P. I. Phil. pract. univ.*).

Si vel in ipſa civitate naſcantur quæ alibi non habentur expetunturque; vel ſi qua abundantius ſuppetant in muſeo; pro aliis, quæ in eo nondum proſtant, conſequendis, æqua inſtitui poterit permutatio (§ 879. *P. IV. Jur. nat.*). Sed ſumtuoſa dici nequit adquiſitio, quæ obtinetur ab opulento pro re ſua abundante. Quia igitur rectores civitatum permutationibus æquis uti poſſint in muſeis nullo fere ſumtu augendis, dubitari nequit in caſibus antea enarratis, ſi id ſe non dedecere arbitrentur, vel ſi res tanti ipſis eſſe videantur.

§. 358.

Quando nudi ſumtus occupationis ſufficiant?

Multæ res naturales tum domeſticæ tum peregrinæ, quamdiu ſunt res nullius, non indigent, niſi occupatione, vel expenſis propter occupationem neceſſariis. Si res domeſticæ ſint nullius, cedunt occupanti (§. 174. *ſeq. P. II. Jur. nat.*). Vnde ſi tanti ſint, rectores civitatum ſoli gaudent jure eas occupandi; ſi vero etiam a privatis occupari poſſint, multo magis & rectores, ſi velint, eas occupare poterunt. Jam quia rem mobilem, quæ nullius eſt, apprehendens nec rurſus abjiciens, eam occupat (§. 181. *ibid.*) ejusque dominium adquirit (§. 182. *ibid.*): ſi rectores civitatis res naturales, quæ ſunt nullius, vel ipſi vel per alios eas apprehendunt & retinent, utique eas occupando earum dominium adquirunt. Hinc earum adquiſitio tum nullo ſtat ſumtu, niſi quis in earum occupationem & cuſtodiam ſit faciendus.

Si res fuerint peregrinæ civitatis, & pariter nullius, & hæ conſentiente in occupationem rectore civitatis, adquirentur occu-

occupando; nec aliis tum opus erit expensis, nisi in earum occupationem & advectionem faciendis. Vtrovis igitur modo res naturales, dum sunt nullius, non aliis egent sumtibus, quam in earum occupationem faciendis. Certe quia tum res nulla egent emtione, fere idem est, ac si gratis a quoquam donarentur, qui donator in hoc casu est naturæ autor & dominus, monarcha absolutissimus (§. 335.) benignissimusque.

Quia minori sumtu res haberi nequit, quam si gratis detur seu donetur; & res occupatæ a Deo hominibus donatæ sunt censendæ: occupatio rerum naturalium est modus eas adquirendi gratuitus facillimusque cunctorum, qui haberi possunt. Respondet venationi, piscationi, similibusque modis aliis, quibus adquiruntur res naturales, nec dum ullius, in quibus pariter labore, instrumentis idoneis, & mercede pro laboribus danda opus est, ad occupationem earum peragendam.

§. 359.

Ratio juvandi indagationem rerum utilium.

Indagatio rerum naturalium earumque virium & usum quorumque adjuvanda est præmiis, propositis iis, qui salutaria detexerint. Modus adquirendi res naturales, quæ nondum sunt ullius, gratuitus facillimusque est occupatio (§. 358.). Fieri autem nequit, ut occupetur quidquam, quod plane latet ignotumque est. Multo minus vires & usus rerum latentes innotescere possunt, nisi sedulo indagentur (§. 346.). Indagatio vero sine labore multo, & sine sumtibus sæpissime fieri nequit, experientia teste. Quamobrem quia nemo sanus operam, tempus, opesque insumere indagationi rerum abditarum volet, sine spe indemnitatis & emolumentorum obtinendorum; incitandi sunt animi, ad ejusmodi indaginem nati & proni, adjuvandique proposita spe præmiorum periculo, quod subeunt, dignorum, iisque certo tribuendorum, qui utilia ac salutaria detexisse deprehendentur. Interest igitur civitatum earundemque rectorum, ut indagationem rerum naturalium laten-

latentium, item earundem, vel & aliarum non ignotarum, explorationem virium usuumque latentium quorumque (§ 352.) promissione præmiorum provocent adjuventque, iis tribuendorum, quibus contigerit, saluti publicæ profutura detexisse.

Comprobavit omnis ævi memoria, studia hominum efficiendi eruendique humano generi salutaria, tum maxime ferbuisse, & plurima præstitisse, quum præmia obvenere illis, qui se istis consecrarunt. Barbara autem fuere illa sæcula, quibus vel periculosum fuit, vel omni spe fructus destitutum, quidquid ejusmodi inquisitionibus dicabatur. Ab ingloriis inutilibusque naturali impetu refugiunt omnes, inprimis si contemtus tantum & contumelia exspectet talium studiosos; vel si ad summum virtus laudetur quidem, sed algeat tamen esuriatque.

§. 360.

Cujusmodi præmia sint proponenda? *Diversitati ingeniorum attemperanda sic sunt præmia, ut inventores & indemnitatem consequantur, & alia, quæ præ cæteris optant.* Constat enim duce experientia, unumquemque sua duci voluptate, nec eadem omnes optare. Vti ergo præmia liberorum, ita & adultorum attemperanda sunt eorum inclinationibus naturalibus & contractis in alteram velut naturam adultis (§. 296. & 298. *Oecon.*); talia quoque & tanta esse debent, ut illis sint accepta, tantique videantur momenti, cujus caussa cuncta strenue subeunda sint, sine quibus potiri illis nequeunt. Eapropter diversitati ingeniorum accommodanda sic sunt præmia, quibus ad salutaria investiganda excitentur, quasi quodam stimulo (§. 359.), ut inventores videant & indemnitatem se esse consequuturos, & alia hujusmodi, quæ præ cæteris exoptant.

Quo plures incitantur ad suam faciendam præmii consecutionem, eo major spes est, fore ut illa ipsa, quæ indaganda sunt, vel saltem alia utiliora interdum quæsitis reperiantur, prout

prout sæpius usu venit. Sed quo plures incitandi sunt ad investigationem, eo pluribus placere debet præmium promissum. Tale igitur ac tantum esse debet, ut placere pluribus possit. Hinc si privati in civitate, publicam salutem promoturi, communem pretiorum mensuram, quam pecuniam vocamus, eligunt, tantamque ejus summam, quanta sufficiat ad animos valide flectendos, certi sunt, se rem omnibus gratam elegisse. Rectores civitatum se decere arbitrabuntur, ut summam pecuniæ eligant vulgaria præmia longe superantem; aut constituent inventoribus præmia largiora in privilegiis, honoribus, dignitatibusque civilibus, pensionibus annuis, muneribus publicis, monumentis ipsorum memoriæ dicatis, aliisque & vivos evehentibus, & mortuos commendaturis, atque ad similia alios provocaturis. Si quem fructum insignem præstare inventum inventori possit, æquissimum erit, ut si eo contentus esse velit inventor, vel solus fruatur seu ad dies vitæ, seu ad definitum tempus etiam pro hæredibus; vel communicatio in publicum commodum facienda redimatur digno redhostimento. Hac enim ratione antiquitus egregia excitata sunt ingenia, ut eos facerent progressus inventorum, quæ immortale ipsis nomen, innumerosque posteritati usus peperere fructusque. Id quod multo minus iniquum censeri potest, quam si singularia quædam artis humanæ opera inter posteros raritatis voluptatisque causa longe majori pretio æstimantur & veneunt, quam quo sunt primum fabrefacta.

§. 361.

Quomodo præmia sint tribuenda?

Ne vero immerentibus præmia obveniant, merentes vero illis careant, ea a peritissimis optimaque fide bono publico intentis diribitoribus addicenda sunt. Attemperanda enim sunt præmia inventorum rerum salutarium ingenio, ut & indemnitatem inde consequantur, & alia, quæ præ cæteris optant (§. 360.). Enimvero non potest non corruere & evanescere omnis præmiorum stimulus, si ea obtingant indignis immerentibusque, meren-

merentes vero iisdem carere cogantur, quod multis contingere poteſt modis. Ne igitur irrita ſint præmia, dum immerentibus obveniunt, merentibus vero denegantur: & peritiſſimi & boni publici ſtudioſiſſimi illius diribitores ſunt conſtituendi, obligandique ut non niſi optime merentibus addicantur.

Eadem eſt omnium præmiorum natura, idem finis. Inde quemadmodum alias ubivis præmiorum poteſtas & uſus deſtruitur, niſi tribuantur iis, quibus debentur: ita quoque in ſcrutinio rerum civitati, univerſoque generi humano proficuarum major fere ratio habenda diribitionis juſtæ, ac conſtitutionis. Conſtituere enim poteſt præmia hujusmodi quisquis opulentia & animo ſua ex abundantia ſalutem publicam provehendi gaudet. Adjudicare vero merentibus non poſſunt, niſi judices periti & rerum jam inventarum ſcientia, & inveniendarum præſcientia quadam, & præſtitorum conaminumque diſceptandorum, fallaciarum detegendarum, decidendique arte ita inſtructi, ut res ipſa & perſpicaciſſimorum applauſus ab ipſorum ſtet parte.

§. 362.

Etiam exteri ad illa præmia admittendi.

Neque ſoli indigenæ, ſed & exteri quicunque ad certamen de principatu & præmio invitandi ſunt admittendique. Indagatio enim rerum ſalutarium adjuvanda eſt præmiorum ſpe iis propoſita, qui quicunque detegere illas velint & poſſint, ut iis gaudeant, qui eas detexerunt (§. 359.). Eaque diverſitati ingeniorum ita ſunt accommodanda, ut omnes, quotquot his pares ſunt, incitentur ad illud certamen (§. 360), merentesque illa actu conſequantur (§. 361.). Quas ob res non ſoli indigenæ, ſed & exteri quicunque ad illud certamen de principatu in rerum ſalutarium inveſtigatione, & de præmio ejusdem non invitandi ſolum ſunt, ſed & omnino admittendi, ſi illud præ cæteris meruere.

Fecit

Fecit jam recentior ætas & honesta rerum naturalium noscendarum æmulatio, ut & Regum majestas & aliorum liberalitas in nonnullis, duce natura rerum, eam viam ingrederetur in salute publica provehenda. De quibus cum hic ex instituto non agatur, nec opus est ut plura commemoremus. Hic enim occupati sumus in hisce ad civitatem maximam & isocratiam transferendis ampliandisque.

§. 363.

Eliminanda igitur e civitate qualibet est barbaries, quantum fieri potest, quæ cura in primis rectoribus civitatum est admodum gloriosa. Barbaries enim non est nisi neglectus culturæ intellectus (§. 52. *Jur. Gent.*) vel ruditas populi ipsorumque civitatis rectorum & magistratuum. Quapropter barbaries negligit necessariam in civitatibus penitiorem rerum naturalium cognitionem ad gloriam Dei illustrandam (§. 345.); negligit curatiorem investigationem & contemplationem rerum ad publicam salutem facientium (§. 346.); sive indigenæ sint, sive peregrinæ (§. 348. & 350.). Quo quum non possint non civitati vitio dari & multis modis nocere, manifestum est, eliminandam proscribendamque esse e civitate quacunque, quousque fieri potest, barbariem tanquam ignorantiam rerum civitati salutarium, Dei gloriæ inimicam pariter ac suæmet saluti (§. 54. *Jur. Gent.*). *Proscribenda e civitate barbaries.*

Quanquam omnium officio inest cura perficiendi, quantum valent, intellectum distincta rerum cognitione, eundemque liberandi ruditate sua (§. 220. *seq. P. I. Jur. nat.*), itaque & populus in qualibet civitate exilio multare debet barbariem & ignorantiam homine indignam: in primis tamen rectorum civitatis est a barbarie abhorrere, & scientia eminere rerum quarumque naturalium in civitate utendarum (§. 339. & 349), nec tantum indigenarum, sed & peregrinarum (§. 351.). Quia

quo plus valent rectores civitatis conferre ad gloriam Dei illustrandam, eo plus quoque ad illius illustrationem obligantur (§. 341.), & contentio de hoc principatu illis est gloriosissima (§. 342.): consequens est, in eliminanda ejiciendaque e civitate barbarie rectorum illius primarias esse partes, eamque curam ipsis non esse nisi admodum gloriosam.

Facile ostendi posset ex historiarum monumentis, admodum ignominiosam perniciosamque fuisse civitatibus barbariem; eamdemque a rectoribus earum diffusam esse in omnem populum. Non est hic locus inquirendi in varias causas barbariei civitatum & pristinarum, & quarundam quoque hodiernarum. Irrepit illa eo facilius, nisi obstent rectores civitatis ipsius inundationi: quo plures ex populo in omni rep. rudes esse & manere solent, etiamsi barbariei omni opum vi resistatur. Unde civitatibus eo magis curandum est, ut gaudeant rectoribus barbariei inimicis & extinctoribus, quantum conjunctis civitatis viribus illa exstirpari possit.

§. 364.

Idque vel ope peregrinorum. *Ubi nondum haberi in civitate possunt periti rerum salutarium scrutatores, ibi tum admittendi sunt, tum invitandi præmiis aut & salariis huic scrutinio pares peregrini.* Eliminanda enim est e civitate barbaries & ignorantia rerum salutarium quantum fieri potest, eaque cura inprimis civitatum rectoribus est admodum gloriosa (§. 363.) neque soli indigenæ, sed & exteri quicunque admittendi sunt invitandique ad hujusmodi scrutinium (§. 362.). Multo magis igitur si in ipsa civitate indigenæ non habeantur, periti rerum salutarium civitati scrutatores, cum admittendi erunt peregrini, si qui sponte se offerant, ad hoc scrutinium suscipiendum; tum si sponte se non offerant, invitandi erunt salariis aliisque præmiis isti scrutinio peragendo pares, omni securitatis immunitatisque ab injuriis fiducia adjecta.

In nonnullis rebus talia civitatibus olim suggessit publicæ utilitatis amor: quemadmodum ad metalla & mineralia exploranda & effodienda periti fossores ex aliis civitatibus rectorum consensu allecti, reditibusque largioribus, concessisque reliquis conditionibus exoptatis adducti passim fuere. Quod magnis sæpe sumtibus in hoc casu rectores civitatum fecere, quamvis spe non semper votis respondente; id minori sumtu in rebus aliis naturalibus æque consultum esset, ac sæpe non minus civitati fructuosum. Certum enim est, mineralia & metalla exiguam conficere partem eorum, quæ civitatum saluti inserviunt, quibus civitates non paucæ prorsus carent, neque ideo infelices sunt censendæ.

§. 365.

Quomodo peregrinaturi suo sumtu juvandi sint?

Juvat igitur civitates, si idoneos ad hujusmodi scrutinia viros suis sumtibus peregrinaturos systaticis aliisque testimoniis instruant, recteque suis partibus functos præmiis condecorare suum ducant. Indagatio videlicet rerum naturalium, earumque virium & usuum adjuvanda est præmiis, proponendis illis, qui salutaria detexerint (§. 359.). Sed quoniam non omnia generi humano salutaria ubicunque proveniunt, verum alia alibi aut tantum aut meliora & efficaciora habentur (§. 350.): rectoribus civitatum licita danda est opera rerum quoque peregrinarum penitiori cognitioni adquisitionique (§. 351.); etiamsi ultra cognitionem voluptatemque innocuam alios nondum spondeant usus (§. 352.). Quapropter quando & privatorum civium curiositas, & spes communis provehendæ utilitatis, eos inducit ad peregrinationem suo ære suscipiendam, ut & in privatos usus peregrina indagare & comparare possint: hoc ipsis ad moderandos sumtus publicos, alios eo conferendos, non tantum indulgendum est (§. 357.); sed etiam, quo fieri possit, modo adjuvandi sunt literis systaticis, eorum studium commendantibus libertatem eundi & redeundi ipsis procurantibus, & pa-

ria officia viciſſim promittentibus, aliisque teſtimoniis profuturis. Præterea reduces & ſalutaria civitati afferentes, pro periculorum, moleſtiarum, ſumtuumque ratione, præmiis condecorandi erunt, ne vel ipſos conſilii pœnitere, vel alios abſterrere ingratus eventus poſſit.

Si hoc pacto commeatus datur ſecuritasque eundi & revertendi procuratur, una cum adjumentis ad propoſitum finem obtinendum facientibus; neque facile pruritus ambitioſus adprobationem ſperabit & conſequetur, neque impedietur & irritus reddetur conatus peregrinatorum, ſua laude dignorum.

§. 366.

Quomodo exteri peregrinantes admittendi?

Expediet quoque civitati admittere peregrinos rerum naturalium indagatores, eosque ita juvare, ut ſi quid detexerint, illius communicatio certa habeatur. Non poteſt enim non civitati prodeſſe ſtudium exterorum naturæ conſultorum, ſi ſuo ſumtu id agere in civitate, idque ei procurare velint, quod ipſa ſibi deberet (§. 346.). Tantum igitur abeſt, ut advenis exterorum naturæ conſultis deneganda ſit exploratio rerum naturalium, earumque uſus, ut potius lubenter ad certamen ea in re cum indigenis admittendi, præmiisque pro merito ſuo afficiendi ſint, ubi egregia præſtitere (§. 362.). Hinc etiamſi ſoli inveſtigare talia velint, quorum uſus ſalutaris eſt ignotus, non poterit non expedire civitati, ſi perquam lubenter eos admittat, ſi innoxiam ipſis libertatem immunitatemque ab omni injuria & impeditione præſtet, ſi omni humanitate proſequendos, & vel præmiis eos ornandos excipiat, ubi proficua, quæ detexerunt, ingenue communicaverint. Quæ communicatio ut eo certius habeatur, adjungi ipſis poterunt periti indigenæ, eosdem adjuturi ſimul & obſervaturi, ne a fide data communicandi reperta facile deſciſcere poſſint. Ita dubium non eſt, expediturum eſſe civitati, non tantum quod hi peregrinantes ſuis

suis sumtibus in civitate degant, eam sic locupletando, sed etiam quod tanquam periti naturæ occultioris investigatores civium partes subire & occupare non vereantur, adjuvandi propter id ipsum, sicut cives indigenæ, & aliquanto magis, ut hi ad æmulationem excitentur, ipsa vero civitas ab exterorum scientia industriaque indubitatos capiat profectus.

Ea in re opus est autoritate rectorum civitatis, qui peregrinantibus & securitatem itinerum, & hospitalitatem civium suorum concilient, & invidiam coërceant, ipsos facile impeditu- ram aut quoque offensuram. Cæterum qui ipsis adjunguntur, illi & ducum instar, & protectorum, & observatorum loco erunt, ut & ipsis bene consultum & civitati simul intelligatur. Quam id honorificum civitati, quam salutare esse possit, non opus est, ut fusius ostendatur. Duplici enim modo civibus commodum accidit ejusmodi peregrinatorum studium. Discere primum ex ipsis cives possunt quæ inter peregrinos utilia & salutaria habentur, sine ullo non tantum itinere molesto, sed & sumtu. Discere simul possunt subinde alium aliumque rerum usitatarum usum ampliorem. Tum etiam rerum latentium investigatione ab ipsis instituta proficient in illis, quæ alias forte semper ignorassent. Quæ specimina ipsis incitamento erunt, ad paria in aliis quoque tentanda detegendaque. Sane hac via ab omni ævo felicitas unius civitatis in aliam transiit & derivata fuit.

§. 367.

An & publicis sumtibus ejusmodi peregrinatio suscipienda?

Si non dentur, qui suis sumtibus dictorum finium causa peregrinari velint, Rectorum civitatis erit, spei non dubiæ causa, quæ tanti esse videtur, vel publicis sumtibus peregre mittere acres naturæ & rerum salutarium investigatores. Etenim si non dentur privatis sumtibus communi bono operaturi, rectorum saltem civitatis est, operam quamque licitam dare rerum peregrinarum penitiori cognitioni adquisitionique (§. 351.), etiamsi alium nondum spondeant usum, quam theoreticum, & jucunditati dignitati-

que lenocinantem (§. 352.). Quare si spes non dubia sit hujusmodi rerum adquirendarum, si tanti esse videatur negotium; vel publicis sumtibus peregre mittendi erunt alacres rerum salutarium exoticarum conquisitores, earumque naturæ & usuum acuti investigatores, quibus itinerum publica securitas & supra allatis (§ 365.) rationibus, & ipsa spe emtionis earum, quæ in commercio habentur, pro parata pecunia erit paranda, modo juventur, ut tuto secum exportare coëmta possint.

Solemne id fuit non nisi magnis reapse & nomine rectoribus civitatum, vel per omnem, qua patebat terrarum orbem palantes emittere rerum naturalium investigatores comparatoresque. Sic enim certum habebant, non suæ tantum civitati, suoque sæculo se bene esse consulturos, sed omni simul posteritati egregie profuturos, non sine immortali gloria suorum meritorum. Ecquando obliteranda est aut obliterabitur Salomonis rerum naturalium studium, ad Indos, ni fallimur certe ad triennale iter navigiorum excurrens? Hinc & illi, qui Alexandro M. cum alia, tum bella quædam, tanquam latrocinia, cum Seneca vitio vertunt, tamen ipsius merita de rerum naturalium investigatione non possunt non laudare. Neque de C. Jul. Cæsaris & Augusti in literas, & salutarium rerum undiquaque conquisitionem studio ulla unquam ætas conticescet. Pauca hæc exempla hic instar omnium esse possunt.

§. 368.

Annecti & commerciis peregrinorum investigatio potest. *Cum ipsis quoque commerciis hujusmodi rerum ignotarum peregrinarum adquisitio apte conjungitur.* Commercia enim complectuntur jura expedita emendi vendendique invicem res quascunque necessarias utiles & jucundas (§. 60. *Jur. Gent.*); quæ si externa sint, exercentur cum civitatibus peregrinis (§. 61. *ib.*). Quapropter ubicunque commercia externa vigent propter alias rationes, ibi cum illis connecti apte possunt comparationes

rerum

rerum cæterarum, necdum exploratæ indolis & naturæ, quæ saltem cognitioni hominum ampliandæ, & jucunditati inservire possunt, donec earum usus ulteriores reperiantur (§. 352.). Quod & parsimoniæ publicæ ratio suadet, & intemperies circa peregrina ipsis quoque rectoribus civitatum cavenda (§. 355), idque quantum fieri possit, ope commerciorum alias propter causas colendorum (§. 357.).

Sic leguntur naves Salomonis, & Hirami Tyriæ, triennio semel reduces, non auri tantum & argenti vim reportasse, sed ebur quoque, simias & pavones 1 Reg. X. 22. quæ frustra interpretantur alexandrini verbis λιθων τορευτων και πελεκητων, quasi lapides tornatos & exasciatos aliunde habere non licuisset. De succino ope commercii longissime translato disserui *Tomo II. Sylloges p. 133. seq.* Neque alia nunc est ratio nautarum, vel nautica tractantium commercia, quam ut occurrentes sibi res insolitas peregrinas sui aut & emtorum forte causa secum afferant; quanquam parum ista per se curantes, obiter tantum ad ista attendant, quando aliqua spes lucelli inde affulgere videtur. Quare minime superfluum est, si ipsis injungatur, ut in omni re peregrina, nec domi nota, curiosi sint percontatores nominum usuumque, si qui habentur; neque prorsus negligant vel illa, quæ & ibi sunt ignota (§. 352.).

§. 369.

Quia sedula rerum latentium investigatio comparatioque tendere debet ad penitiorem illarum cognitionem ope curatioris contemplationis adipiscendam (§ 346.): non adquirescendum est in nuda earum adquisitione & possessione, nec in confusa nisi prorsus falsa narratione eorum, quæ afferentes vel ab aliis accepere, vel ipsimet confinxere. Sic enim penitiorem illarum cognitionem obtineri non posse, vel domesticarum rerum ratio unumquemque edocet & convincit. *Danda igitur opera ut peregrina ignota peritiorum naturæ consultorum observa-* *Peregrina ignota quomodo pernoscenda.*

servationibus experimentisque subjiciantur, quemadmodum domesticæ (§. 346. *seq.*). *Cui contemplationi excolendæ itidem prospiciendum est a rectoribus civitatum* (§. 348).

Nimirum contemplatio infert adquisitionem cognitionis distinctæ exquisitiorisque seu plenioris ac perfectioris, quam vulgo esse solet (§. 346.): qua res non tantum in se, verum etiam in relatione ad res alias, quomodo se habeant ad illas, utrum eas perficiant, & quomodo, ac quousque; an vero illas mutent qualicunque ratione, quæ nec nocere illis, nec prodesse videntur; an eas corrumpant, deteriores reddant, aut destruant? Quæ quoniam in ignotis exoticis eo sunt difficiliora, quo spissioribus involuta sunt tenebris, quo pauciora habentur specimina, quæ examinari possint, quo denique magis a suo statu naturali jam recesserunt: perspicuum est, nonnisi peritissimis versatissimisque in similium rerum natura istiusmodi examina esse committenda.

§. 370.

Cui bono ista fiat exploratio. *Ope hujusmodi curatioris contemplationis, propositis præmiis perficiendæ, innotescet, quid prodesse vel nocere possint res peregrinæ, ac quænam indigenæ illis possint aut nequeant æquiparari.* Penitior enim rerum cognitio tendere debet ad obtinendum earum usum, qui haberi potest, amplissimum (§. 345.) propter quem & primitus conditæ sunt, & propagantur vel conservantur, hominibusque a Deo præbentur (§. 648. *P. I. Theol. nat.*). Quam ob rem curatior istarum contemplatio quo magis est necessaria ad profligandam earum ignorantiam, & a rectoribus civitatum promovenda (§. 369), eo magis meretur præmia & brabéa, eas rite exploraturis proponenda (§. 359. *seq.*). Enimvero cum usus rerum dependeat ab illarum viribus, quas exserunt in aliarum rerum mutatione (§. 646. *P. I. Theol. nat.*): potissimum indagandæ sunt rerum ignotarum vires, ut constet, quid mutent in rebus aliis, quomodo id mutent, num in

in melius vel deterius? Nam & in deterius factus pœnis inservit, aut necessariæ interdum noxiarum rerum extinctioni profligationique, atque demum contra officium adhibitus fit abusus (§. 646. *cit.*). Proinde ope contemplationis accuratioris, propositis quoque præmiis exacuendæ, explorandum est, quid, cui, & quomodo res peregrinæ vel prodesse possint, vel obesse?

His pervestigatis compertisque, altera restat quæstio, num hujusmodi res peregrinæ perspecti usus gratia vel ipsæ sint adquirendæ (§. 346.); vel num aliæ habeantur indigenæ ipsis aut omnino, aut ex parte æquiparandæ substituendæque? Si enim nihil inter res domesticas habetur, rei peregrinæ omnino æquiparandum, ab iis, qui illo usu seu necessario, seu commodo, seu jucundo, potiri velint, omnino erunt adquirendæ atque in commercium vocandæ, quod per se liquet. Si ex parte aliquid rerum domesticarum vices earum subire potest; non nisi pro illa parte residua earum adquisitio erit expetenda. Sin autem domestica peregrinis illis plane æquipolleant, nulla superesit ratio, qua illarum emtio inprimis carior & frequentior esset concedenda. Constat igitur, etiam illud explorandum esse spe præmiorum facta, utrum datis rebus peregrinis indigenæ quædam substitui possint vel nequeant, aut omnino, aut quanam ex parte vel quatenus id recte aut perperam statuatur?

Multum has disquisitiones in recessu habere ratione commerciorum bene dirigendorum, item ratione emolumentorum e rebus peregrinis capiendorum, & ratione nocumentorum civitati inde facile nasciturorum, & nunc haud difficulter perspicitur, & ex commerciorum doctrina, suo loco sequutura, uberius patebit. Damnorum perspectorum ratio invitat quoque ad investigationem modorum, ista evitandi nocumenta; & si quis improvidus illis est affectus, alia nascitur disquisitio non

minus salutaris, quibus nempe remediis ad expellendum malum præsens, & ulterius ingruens seu impendens avertendum, & quo modo iis sit utendum in variis rerum faciebus? (§. 346.).

§. 371.

Quomodo damna inde oritura sint vitanda?

Ad damna e rebus peregrinis oritura pervestiganda vitandaque, pari incumbendum diligentia, præmiis promota, in eorum causas, remedia, horum usum convenientissimum inquirendi. Quemadmodum bonitatis divinæ beneficium est, dum mala impendentia a nobis avertit, ac dum bona tribuit (§. 736. *P. I. Theol. nat.*): ita generatim aversio & evitatio malorum in bonis emolumentisque nostris est ponenda. Esse vero damna nobis obortura e malorum numero, vel ex notione eorum patet, qua jacturam rei nostræ (itaque boni cujusdam nobis debiti) sistunt (§. 486. *P. II. Jur. nat.*). Prout igitur ad emolumenta ex usu rei consequenda opus erat curatiori illius contemplatione præmiis provocanda (§. 370.): ita quoque simili opus est curatiori contemplatione damnorum, e rebus peregrinis oriturorum, si illa prudenter sint avertenda arcendaque.

Verum enim vero sola perspicientia malorum, e re quadam oriundorum, valere ad summum potest in malis caventdis avertendisque, quando imminent; in abigendis autem evitandisque, quando jam adsunt illa deficiet, nisi & caussæ illorum, & remedia, has causas tollentia, habeantur perspecta. Quapropter etiam ad damna e rebus peregrinis oborta vitanda & expellenda opus est pervestigatione causarum, per quas nocent (§. 370.). Et quoniam ne sic quidem liquet, quomodo tollendæ sint istæ causæ; nisi & remedia causas ejicientia, saltem illarum vires cohibentia & eatenus superantia, ne nocere possint, habeantur explorata & in promtu: relinquitur, & ipsa remedia, quæ reperiri possunt, quæque inter cætera aut generatim aut in certis casibus sint præstantiora, so-licite

licite investiganda esse. Denique cum usus remediorum & prodesse possit quadam ratione, alia vero nocere; inquirendum quoque & ad liquidum perducendum est, quis usus remediorum, quando, qua dosi, & quomodo adhibitus, sit convenientissimus (§. 346.).

Si quis existimet, illas res ad id destinatas esse, ut noceant, vel ut nocentes puniantur; is tamen non negaret, quando nulla vis major adest maleficum coërcens, tum istam non esse pœnam nisi ignorantiæ vincibilis, & omnino evitandæ. Et ad vitandas has ignorantiæ pœnas naturales collineant ea, quæ hic inculcantur, præcepta.

§. 372.

Colendæ sunt in qualibet civitate illæ scientiæ & artes, sine quibus ista adquisitio penitioris rerum cognitionis, usus que earundem quam fieri potest amplissimi haberi nequit. Recensuimus quænam ad penitiorem rerum naturalium divinitus concessarum cognitionem requirantur (§. 346. *seqq.*) nec non quæ usus earum pervestigatio, & damnorum evitatio requirat (§. 369. *seqq.*). Quare uti eliminanda est e civitate barbaries (§. 363.): ita opus quoque est illis scientiis artibusque, quibus & adquisitio penitioris rerum cognitionis, & usus earundem quam amplissimus obtineri potest (§. 941. *Ontol.*). Colendæ igitur sunt beneficio rectorum civitatis, ab iis, qui ad hæc nati sunt pronique, illæ scientiæ artesque, sine quibus exquisitior illa rerum naturalium perspicientia, usus que earum quam amplissimus obtineri nequit, tum in emolumentis multiplicandis, tum in nocumentis evitandis.

Hinc opus est scientiis & artibus eo ducentibus.

Sufficit hic generale hoc præceptum e fontibus suis deductum. Quænam enim & quot scientiæ ac artes ad finem dictum consequendum requirantur, id alio loco rectius ostendetur.

§. 373.

§. 373.

Religio naturalis necessaria ad gloriam Dei illustrandam.

Ad illustrandam Dei gloriam directe facit scientia Dei naturalis, eique consentaneus ipsius cultus vel religio. Civitas enim maxima est civitas Dei in his terris (§. 322.) eaque est Theocratia naturalis (§. 323.); utpote cujus verus unicusque rector est Deus (§. 324.) isque monarcha absolutissimus & solus proprie dictus autocrator (§. 335. & 336.); cujus rectores civitatum humani non sunt nisi vicarii (§. 337.), obligati ad vices ejus quam dignissime implendas (§. 338.), & ad illustrandam Dei gloriam, quam plurimum valent (§. 340.). Jam per se noscitur, gloriam Dei illustrari non posse, nisi ab eo, qui Deum recte agnoscat viva cognitione. Quisquis autem Deum recte agnoscere vult, eum scientiam illius adquirere oportet (§. 7. *P. III. Ethic.*) ex Theologia naturali (§. 9. *ibid.*). Cum quilibet homo ad Deum recte agnoscendum obligetur (§. 1129 *P. I. Jur. nat.*); eamque cognitionem contemplatione hujus universi, & eorum, quæ in illo continentur, confirmare debeat (§. 1131.): ex ipsa gloriæ Dei indole liquet, ipsius illustrationem fieri nequire, nisi homo verbis factisque testetur, se agnoscere perfectionem Dei absolute summam, & quod eadem gaudeat, pro certo habere (§. 610. *P. I. Theol. nat.*) Propterea manifestum est, ad Dei gloriam illustrandam directe facere & manu veluti ducere scientiam Dei naturalem (§. 254. *P. I. Philos. pract. univ.*).

Ista vero scientia dei naturalis certa esse debet atque viva (§. 104. *seq. P. III. Ethic.*), ut homo gloriam Dei illustrare & pius esse possit (§. 111. *ibid.*); prout quisque pius esse debet (§. 1128. *P. I. Jur. nat.*). Omnis autem pius Deum colit in omnibus actionibus suis, quemadmodum coli vult, & ad illum cultum lege naturæ obligatur (§. 1121 - 1123. & 1127. *ibid.*). Obligatur ad illum sic, ut omnes actiones determinandæ sint per rationes a Dei proprietatibus petitas (§. 1229. *ibid.*). Inde aper-

apertum est ad illustrandam Dei gloriam præter scientiam Dei naturalem recta tendere cultum scientiæ Dei naturali conformem, qui dici solet cultus Dei naturalis. Atqui modus colendi Deum, qui ex principiis rationis demonstratur, vocatur religio naturalis (§. 512. *P. II. Theol. nat.*). Idcirco ad illustrandam Dei gloriam directe tendit religio naturalis (§. 621. *seqq. P. I. Phil. pract. univ.*).

Versamur in Philosophia, cujus pomœria circumscribuntur innitunturque principiis rationis sibi relictæ. Quam ob rem & in Theologia & religione naturali hic nobis subsistendum esse patet. Quæ sacra Christianorum his addunt, ea sacerdotibus sunt relinquenda. Munit naturalis Theologia & religio gradum, animosque præparat ad revelata naturalibus adjungenda. Docent id primordia religionis Christianæ, quæ in illis civitatibus faciliores pluresque nacta est asseclas, ubi Theologia & religio naturalis præ cæteris vigebat. Sane Antiochia, Ephesus, Corinthus, Athenæ, Philippi, Roma, permultos dedere Christianos, ne quid de reliquis civitatibus dicamus, quarum mentio habetur in actis Apostolorum & Apocalypsi. Quis vero nescit, tum temporis culturam mentis in ditionibus græcis, romanisque animos præparasse ad veritatem facilius percipiendam recipiendamque?

§. 374.

Cur scientia Dei excolenda sit in omni civitate?

Scientia Dei excoli & amplificari debet, quantum fieri potest, in qualibet civitate, ne maxima quidem excepta. Quilibet enim homo obligatur ad Deum recte agnoscendum (§. 1129. *P. I. Jur. nat.*) tum ex se ipso (§. 1135. *ibid.*), tum ex totius universi contemplatione (§. 1133. *ibid.*), item ad vivam certamque ejus cognitionem obtinendam (§. 1139. *seq. ibid.*). Hujusmodi vero cognitio datur in scientia Dei (§. 7. *P. III. Ethic.*). Eapropter obligari omnes omnino homines ad scientiam Dei adquirendam constat. Quælibet vero civitas constat ex tot hominibus con-

consociatis, quot ad salutem publicam sibi sufficere possint, saltem suffecturi utcunque videntur (§. 31. *seq.*); neque maxima civitas est, nisi omnium civitatum humanarum complexus, vel universitas totius generis humani consociata (§. 101. *seq.*). Quare & omnis civitas, quæ pars est maximæ civitatis, & ipsa quoque maxima civitas obligatur ad scientiam Dei adquirendam, & pro finita mentis humanæ indole, quæ omnia simul assequi & habere nequit (§. 837. *Ontol.*) & valde limitata est (§. 279. *Psychol. empir.*): illa Dei scientia excolenda subinde melius & amplificanda est, ut adolescat magis magisque in illum, quem capere in mente humana valet, gradum perfectionis.

Potest illud quoque sic ostendi. Omnis civitas coalescit salutis publicæ eo usque provehendæ causa, quousque conjunctis plurimorum hominum fieri potest viribus (§. 31. & 36.) & nonnisi maxima civitas sufficit ad omnem generis humani salutem consequendam, si in illa omnes suis partibus recte fungantur (§. 106.). Atqui salus publica primaria summi boni fruitionem infert (§. 37.) tantam omnium & singulorum felicitatem parientis, quanta haberi potest (§. 39.); ideoque non nisi virtutibus quibuscunque & legum divinarum custodia adquiri potest & perpetuari (§. 40. *seq.*). Vnde evidens est, scientiam Dei & legum naturalium in omni civitate esse excolendam & identidem amplificandam, nisi civitates suo fine, sua salute excidere velint.

Modos excolendi amplificandique scientiam Dei vel Theologiam naturalem dilucide ob oculos posuit *P. III. Ethicæ Cap. I.* Peti ergo inde generalia præcepta possunt, quibus in hunc scopum est utendum. De quibusdam specialibus hic tantum agendum restat, quæ ex natura civitatum derivanda sunt.

§. 375.

Etiam publicis sumtibus. *Vbi amplificanda scientia Dei sumtus requirit, privatam hominum*

num sortem superantes, ibi civitatis est, illos subministrare. Est enim in qualibet civitate scientia Dei excolenda & amplificanda quantum fieri potest (§. 374.). Enimvero petenda ex contemplatione hujus universi argumenta & ad liquidum perducenda, non tantum in rebus cœlestibus totaque siderum scientia, sed etiam in terrestribus, majores sæpe sumtus requirunt, quam a facultatibus privatis suppeditari possunt. Quo circa, uti reliqua bona communia conjunctis civitatis viribus sumtibusque publicis quærenda sunt, quæ privatis viribus sunt majora (§. 35.): ita quoque sumtus illi, qui in amplificandam Dei scientiam impendendi sunt, si privatorum hominum facultates excedant, publico ex ærario erunt petendi. Quam ob rem cum ultra vires suas nemo obligetur (§. 209. *P. I. Philos. pract. univ.*): ubi amplificanda scientia Dei sumtus requirit privatam hominum sortem excedentes, ibi publici sumtus a civitate erunt subministrandi, quæ illis scilicet par est.

Non potest iis ignotum esse, quænam sint in excolenda scientia Dei adeo sumtuosa, ut privatorum facultates istis sint impares, qui publica salaria iis danda esse norunt, qui alios scientiam Dei docent; vel *Caput 1. P. III. Ethicæ* legerunt, vel tantum audiverunt, quid penitior nostræ telluris contemplatio poscat. Siderum scientiam sumtuosa postulare nec pauca instrumenta, & ædificia seu turres, speculis astronomicis aptatas, quis ignorat? Quis privatus his sufficiat? Quis vacare illis observationibus dies noctesque posset citra neglectum reliquorum officiorum, nisi illi dato salario conpensetur suæ rei familiaris neglectus? Quo plures igitur ad ista perficienda requiruntur, eo magis patet necessitas faciendorum in hanc partem scientiæ numinis sumtuum publicorum. Quam multa vel in tellure nostra habeantur non sine publicis sumtibus & publica autoritate pervestiganda, uno eoque recenti exemplo confirmare liceat. Nostræ telluris figura penitius noscenda, nonne duplici itinere Geometrarum, altero ad circulum polarem, altero ad

æquatorem in America ſuſcepto, indiguit Regis Galliæ ſumtibus & autoritate perficiendo? De itineribus, quibus circumnavigata fuit tellus, quibus breviora quæruntur itinera nautica commercii cauſa, de interiori telluris ſtructura exactius ſcrutanda aliisque ipſi meditentur lectores, privatæne an publicæ opes his melius impendantur, ut optatior habeatur ſucceſſus.

§. 376.

Num & aliæ civitates ea ſint imbuendæ?

Quando quædam civitas Dei ſcientia carere ſentitur, aliarum eſt, quæ id commode facere poſſunt, ipſam in ea excolenda juvare, ſi iſto auxilio uti velit. Civitas enim quælibet alteri debet, quod ſibimet ipſi, ſi altera eo indigeat, ipſa vero id in ſua poteſtate habet (§. 156. *Jur. Gent.*). Quæ obligatio eo magis ſtringit, quia unaquæque civitas membrum eſt Dei civitatis maximæ (§. 9. *ibid.*), ideoque uti unum membrum corporis alteri opitulari debet. Sed unaquæque civitas, ſive minor, ſive major, ſive maxima dicenda ſit, obligatur ad Dei ſcientiam excolendam amplificandamque, quantum fieri poteſt (§. 374.), idque ubi opus eſt ſumtibus publicis adjuvandum eſt (§ 375.). Si igitur quædam civitas Dei ſcientia carere deprehendatur, illa quidem ſuo officio deeſſe intelligitur & peccare. Quatenus tamen alia civitas ipſam commode liberare valet iſto defectu & peccato, quin ad officium ipſi præſtandum obligetur, tanquam membro ejusdem ſecum corporis, quod civitas maxima audit, dubitari nequit.

Enimvero, quia in civitate maxima iſocratia habetur, omnesque civitates in illa moraliter ſibi ſunt æquales (§. 320.): ſed nulla alteri imperare, nec ſua beneficia obtrudere poteſt; integrum alteri civitati eſt relinquendum, velitne auxilio iſto hoc uti, nec ne? Poſterius ſi faciat, altera culpa vacat, quæ ſuo ſatisfecit officio, ipſa vero & contemtus ejusmodi pœnam luet. Si admittat auxilium, par erit, ut & ſumtus præbeat ad

ad suos cives instituendos necessarios, & aliis officiis vicem reddat.

Quia alias civitates dixi obligari, ad hanc opem laboranti inopia scientiæ Dei ferendam, non unius tantum civitatis id officium esse innuo, sed omnium reliquarum, quæ conferre quidquam ad istum finem possunt. Pro re nata igitur vel conjunctis viribus inopi undique succurrent sua scientiæ abundantia; vel ne id quidem exspectabunt, sed aliæ alias antevertere in isto studio recte nitentur, uti in privatis officiis fieri debet. Cæterum commode id præstare poterunt civitates alteri viciniores, aut sanguine, connubiis, fœdere consociatæ & commercio ipsi conjunctiores, aut linguæ ejusdem usu ad hoc aptiores; denique beneficentiæ & officiositatis laude florentiores & doctoribus abundantiores. Neque enim tantum officium erga alias civitates, ad ipsarum felicitatem perficiendam tendens, id flagitat, sed quoque officium erga Deum scientiam Dei longe lateque diffundendam gloriæ ipsius illustrandæ causa inculcans.

§. 377.

Modus secundario propagandi scientiam Dei.

Juvant autem aliæ civitates aliam hac in re partim suo exemplo, partim suis peregrinationes aut migrationes eo instituendas indulgendo, partim recipiendo & invitando ad se ipsius peregrinatores, scientia numinis imbuendos. Quæcunque enim civitates scientiæ numinis, quantam debent, operam navant, illæ non sibi tantum recte hoc ipso consulunt, sed simul quoque aliis exemplo sunt, docturo & quid fieri possit atque debeat, & quomodo non sine laude & insigni civitatis fructu rite fiat (§. 250. 266. & 275. *P. II. Phil. pract. univ.*), uti debent (§. 930. 639. & *P. I. Jur. nat.*). Quare licet civitates scientia Dei florentes primario suis fungantur officiis, suæque consulant saluti; tamen secundario (§. 619. *P. I. Phil. pract. univ.*) eo ipso aliis quoque exemplum præbent, quod eas docet incitatque ad imitationem æmulationemque.

Peregrinationes æque ac migrationes in aliam civitatem pari-

pariter principem finem alium habere consueverunt; nihilominus una quoque eo sapienter dirigi possunt, ut per peregrinantes aut aliorsum migrantes scientia Dei illis communicetur, qui eadem parum sunt instructi (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam igitur adjuvandæ sunt civitates ab aliis in excolenda Theologia naturali (§. 376.): peregrinationes quoque migrationesque in hunc finem concedendas esse patescit.

Etiamsi igitur ob alias rationes peregrini in civitatem deferantur, scientia dei destituti, opera tamen danda erit, ut & ipsi illa imbuantur, & nisi quid obstet remittantur ad suos, itidem ab ipsis rectiora docendos (§. 1141. *P. I. Jur. nat.*). Propter eandem rationem, ut alii nempe ad agnitionem Dei perducantur, quantum in potestate nostra est, invitandi etiam tales sunt ad civitatem, & vel gratis scientia numinis imbuendi, qui spem non vanam præbent, divulgandæ deinceps inter suos ejusdem Theologiæ naturalis (§. 376).

Non minus ac privati privatis suo exemplo inservire debent, ad eos ab erroribus & vitiis avocandos, & ad salubrem rerum cognitionem, virtutisque studium adducendos: civitates quoque aliis civitatibus publico inservire debent exemplo, in ignorantia & erroribus de Deo evitandis, & scientia illius adipiscenda amplificandaque (§. 2. *Jur. Gent.*). Cujus fama atque gloria cum sua sponte se diffundere quaquaversum soleat, invitare alias civitates debet ad imitandam æmulandamque istam laudem. Peregrinationes autem omni ævo concessæ fuere, tum illis, qui in alias civitates scientiarum laude illustres, excurrere voluere, suæ augendæ scientiæ causa, ut eam reduces suos cives docere possent; tum & tales advenæ in cultioribus civitatibus admissi fuere, non tantum ad alias scientias sed etiam ad mysteria religionis addiscenda, & ad penates suos transferenda. Veterum historia Philosophorum exempla hujusmodi offert bene multa, hic non commemoranda, quia perpaucis ignota esse possunt. Neque migrationes quorundam in alias civi-

civitates ignotæ sunt: prouti Abraham jussu divino in Palæstinam cum Lotho; Jacobus in Ægyptum concessit; vel Solon in Lydiam migravit & Crœsum rectiora edocuit; vel Pythagoras Philosophiæ suæ sedem constituit Samum & postea Crotonem. Denique fieri potest, ut vel errore, vel aliorum scelere & plagio (uti Josephus in Ægyptum), vel captivitate in bello in alias civitates deferantur inviti; vel ut sponte quoque sua propter alia negotia in civitates artibus claras proficiscantur, atque sic de Deo rectius erudiantur. Qui si revertantur ad suos penates, patriæ suæ impertiri poterunt, solidiorem, quam apportant, Dei cognitionem.

§. 378.

Modus directe & primario propagandi scientiam Dei.

Directe vero & primario juvantur civitates, a vera Dei scientia alienæ, missis ad eas doctoribus, quibus libertas docendi educandique eos comparatur, qui se ipsis concredere velint; item libris illam scientiam explicantibus. Etenim si mittuntur ad aliam civitatem scientia Dei præditi, & habitu docendi alios instructi, eo consilio, ut comparata ipsis libertate docendi uti possint & debeant, aliosque scientia Dei imbuant; tunc mittens propter hunc ipsum finem eos mittit, nec missi propter alium finem eo migrant & ibi commorantur. Quum igitur is finis sit primarius, propter quem agens ita agit, ut si vel nullum alium sibi haberet propositum, tamen propter hunc solum id ageret (§. 942. *Ontol.*); Quum directe id velle dicamur, propter cujus consecutionem agimus, vel cujus consecutio nobis est proposita (§ 621. & 623. *P. I. Phil. pract. univ.*): palam fit, primario & directe juvari civitatem in adipiscenda excolendaque Theologia naturali, si ad eam mittantur ejusdem doctores eo consilio, ut impetrata libertate docendi educandique eos, qui se ipsorum disciplinæ tradere velint, quam optime utantur, manendo scilicet in officio sibi demandato, nec alienis & Politicis se ingerendo.

Quia

Quia vero cognitio alicujus rei teste usu quotidiano, non tantum ex viva voce sed etiam ex scriptis eam tradentibus hauriri potest, & si cui epistola mittatur id exhibens, quod viva voce dici potuisset, idem est, acsi id coram esset enarratum: controversum esse nequit, libris Theologiam naturalem exponentibus missis, pariter directe & primario id agi, ut civitas, a vera Dei scientia aliena, ad eamdem perducatur. Quapropter missis tum vivis doctoribus, tum libris, idem docentibus, quod viva voce doceri potuisset, aliam civitatem in excolenda Dei scientia adjuvari posse liquet, si non desint, qui vel audire doctrinam, vel legere eandem attente dignentur.

Si uterque modus conjungi possit, videlicet ut & viva voce & scriptis homines doceantur, institutio eo majores habere potest successus, quemadmodum id usus docuit omnes civitates, in quibus scientiæ florent & artes. Nemini vero obscurum esse potest, quam multa sint necessaria, antequam uterque modus conjungi possit. Nec enim sufficit adesse libros exaratos, & adesse typographeum, in quo, aut scribas, a quibus describi possint libri exarati; sed sumtus etiam requiruntur vel ad libros typis edendos, vel manu describendos non pauci. Et si isti tandem præsto aut jam facti sint, & libri copiose prostent, tamen emtores requirentur, qui illos suo ære emere possint ac velint. Denique si & donare libros placeat, non tamen vel accipientur vel proderunt, nisi his, qui legere illos possint & velint.

§. 379.

Utrobique opus est lingua erudiendo nota.

Sive autem vivi adhibeantur doctores, sive libri, oportet, ut ea lingua doceant, quam intelligunt erudiendi. Posito enim, vel docentem uti tali lingua, vel scriptum exaratum esse ea lingua, quam erudiendus ignorat, si is vel loquentem audire, vel scribentem legere velit, sentiet tamen hoc ipso se nihil agere,

agere, & irritum esse suum desiderium ista intelligendi, nisi adsit interpres, in lingua nota exponens, quæ in ignota alteri dicta sunt vel scripta. Deficiente ergo interprete, aut si quidem talis adsit, sed vel malæ fidei homo, vel ipse non satis calleat utramque linguam, ut reddere in altera recte possit, quod in altera legit vel audivit; primo casu frustraneus erit omnis conatus, secundo mala fides vel scopo contraria molietur, tertio vix ac ne vix quidem obtinebitur scopus. Denique si interpres & calleat utramque linguam, & rem, de qua agitur, & optima fide agat, ipse proprie docet ea lingua, quam intelligunt erudiendi, saltem idem est, ac si ipse meditatus esset & doceret, quæ ab alio sibi suggesta accepit. Quæ cum ita esse experientia comprobet: liquidum est, sive vivi adhibeantur doctores, sive ipsorum loco libri, oportere, ut ea lingua præcepta edoceantur, quam intelligunt erudiendi.

Quoniam obvio interprete partim res oleæ plena est, vel quod is pessima fide bene dicta male sit interpretaturus, vel quod per imperitiam nec sensum dictorum sit assequuturus, nec quæ intellexit bene sit redditurus; partim si vel optime partes suas peragit, tamen tædio plenum est, tempus multum perdi interpretando, quod rectius collocari potest, ac facile interpreti plus tribui potest, quam vero doctrinæ autori: abunde perspicitur, optimum factu esse, si doctores vivi, aut libri eorum loco adhibiti, eadem doceant lingua, quam intelligunt erudiendi. Deficiente vero interprete, idem illud multo magis necessarium esse, expeditissimum est & omni dubio majus.

§. 380.

Quoniam ubicunque rudiores viva vox facundia flexanima & actio oratoris incitata modo & fortior, modo placidior, gestusque appositus multo magis afficit, quam litera muta, etiamsi illam legere utcunque possint; & quoniam semper facilius est, audire dicta voce canora & expedita, quam scripta lege- *Quando præstet viva vox lectioni?*

legere: *acceptior erit plebi rudiori viva doctrina, quam legenda in libris, quos vix recte legere didicit.* Ob easdem quoque rationes cæteris paribus eruditis commodior erit elegantia suadæ & flumen dicendi, oratorisque apta modo suavitas, modo acris vehementia, quam lectio diuturna, non omnis molestiæ expers.

Etenim lectio vel peragitur clara voce, vel tacite. Si clara voce diu legendum est, hoc ipsum defatigare organa loquelæ lectoris, nemo ignorat. Si vero vel tacite legendum tantum, oculi tamen defatigantur & hebescunt, quod in lectione elata voce peragenda simul contingit. Quapropter non principes tantum viri sed & alii eruditi alebant suos lectores, quos græco nomine anagnostas vocabant. Ita *Cicero ad Atticum L. I. Ep. 7.* quid, inquit, præterea ad te scribam, non habeo, & mehercule eram conturbatior, nam puer festivus, anagnostes noster, Sosisthenes decesserat. De Attico refert *Nepos*, in ejus familia fuisse pueros literatissimos, anagnostas optimos, plurimosque librarios, ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset. Vnde plures anagnostas uni fuisse Attico liquet, ut uno defatigato, alter pergeret. Sic *Plinius* junior *L. III. Epist. 5.* de seniore refert: liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Super cœnam liber legebatur, adnotabatur & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronuntiasset, revocasse & repeti coëgisse, huic avunculum meum dixisse: intellexeras nempe? quum ille annuisset; cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis.

§. 381.

Quid lectio librorum præcipuum habeat?

Liber vero & absentes & post mortem autoris semper docet, aliisque commoditatibus inservit & præcellit. Viva doctoris vox requirit vivum præsentemque doctorem ipsum, quo nihil est evidentius. Quando autem ipsius doctrina jam habetur libro consignata, tum ope libri & absentes quoscunque libri Lectores,

res, vel bene lecti libri auditores fere sic erudit, ac si eos praesens oretenus docuisset. Neque id tantum vivo libri autore obtinetur, verum etiam per omne tempus, quo ipsius scripta durant, attenteque leguntur, lectave audiuntur, idem illud praestat, acsi etiam tum superesset vivus, oretenus illa inculcans. Sic enim hodie legi antiquissima & sacra & profana scripta certissimum est & generi humano utilissimum. Sic barbaries intermediorum saeculorum, non nisi mortuorum eruditae antiquitatis doctorum libris depulsa fuit, insigni in nostram aetatem benignitatis divinae documento. Ecquis nescit caeteras librorum opportunitates? Docent sine invidiae & offensae suspicione. Adeuntes quoque civitates peregrinas, sine exploratore & proditore veniunt, tutius quam vivi doctores, ne alendi quidem. Examini scriptorum indulgent quantumcunque lubet spatium lectoribus omnis aevi. Repetitioni patent semper. Non subducunt se manibus dominorum. Praestant ipsis memoriae vicem. Nemini succensent, sive lectionem ipsorum aspernetur, sive incoatam abrumpat, sive pro lubitu continuet. Vbivis locorum, & quolibet tempore summa fide docent quae continent. Circumstant in cubiculo, in quamvis lectori commoditatem parati & obvii. Vna peregrinantur, si lubet domino cubitum eunt, surgunt; illum recreant, erudiunt, consolantur, & quid non? Neque id officii tantum praestant infimi subsellii, sed & supremi Autores. Num immerito glorietur sapiens librorum lector, sibi servire Caesares, Antoninos, Comnenas, Reges, principes, duces similesque summos Viros?

Comparando egregia commoda, quae doctor viva praestat voce, cum illis, quae libris suis consequi potest, nihil impedit, quo minus haec illis majora statuamus. Si enim vivus uno docet loco, unumque coetum, eadem libris publici juris factis in tot

 aliis

aliis locis præstare potest, quot sunt loca, ubi ejus scripta leguntur, vel & memoriter aliis cœtibus recitantur. Jam si mille exemplaribus divulgatis in mille cœtibus eadem doceantur, nonne vivus multo pluribus inservit libris suis, quam viva voce. Licet autem non integri cœtus ipsius libris erudiantur, tamen iisdem per omnem literatum orbem dispersis multo plures docet, ac viva voce. Neque ad illum scopum obtinendum, opus est, ut ipse vivorum numero intersit. Etiamsi ante sæcula aut millennia plura diem obierit supremum, vivit tamen in libris suis, & veluti superstes docet quoscunque lectores, quæ vivus docuerat, aut docere nunc posset. Habet & hic locum, quod Tullius *pro Archia c. 6. seq.* dixit. Pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Quæ jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores & græci & latini reliquerunt? - - - Quodsi non hic tantum fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen ut opinor hanc animi adversionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam cæteræ neque temporum omnium sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, non impediunt foris, pernoctant nobiscum; pergrinantur, rusticantur. Hæc ille, quibus addere possumus, divinam sapientiam non in his tantum, sed & in sacris rebus subsidio scriptorum absolvisse id, quod æternæ salutis causa hominibus inculcandum voluit.

§. 382.

Quid linguæ universalis in hac re prodesset?

Si lingua daretur universalis, facile civitates doctiores compendia concinnarent Theologiæ naturalis connexarumque disciplinarum, eaque vel gratis concederent rudioribus civitatibus pro gloria Dei illustranda. Linguam enim universalem omnes omnium linguarum populi intelligerent & ore pronuntiatam & scriptura expressam universali (§. 302. *Psychol. empir.*). Quam ob rem si illa

illa daretur lingua & scriptura, egregium illa præstaret adminiculum, scientiam Dei rerumque aliarum transfundendi ad omnes ubivis terrarum populos. Etiamsi in quavis civitate non adeo multi sed admodum pauci illius essent periti, hi tamen illa præscripta facile transfunderent in linguam populi vernaculam, & vel oretenus, vel scriptis in eadem, rudiores docerentur. Exsisteret ita spes minime vana, doctiorum civitatum liberalitate gloriæ divinæ amplificandæ causa compendiá conditum iri, quibus vel gratis, quorsum opus foret, distributis barbaries, ubicunque regnat, profligaretur.

Non disputabo, utrum Sinenses a Noacho acceperint suos characteres, quibus simulacra potius rerum, quam nomina designare perhibentur. Mihi ad *Bayeri Museum Sinicum* vel *Fourmontii Grammaticam Sinarum* attendenti, id parum verisimile apparet. Non tamen infitias ivero, Chinenses, Tartaros, & Japonenses linguis differentes, illas notas in sua lingua legere & interpretari posse, quia id plures attestantur. Contendit quoque *Guil. Ioharburton divinæ Mosis legationis Tom. II.* Ægyptios & primos homines pro rebus ipsis quasdam earum rudiores figuras adhibuisse, & sic ad hieroglypha transiisse, subinde arctius contracta. Quidquid vero de his sit & statuatur, illud sane attendendum videtur, dari jam quædam signa rerum recepta, quæ a diversis populis in sua lingua promte exprimuntur. Hujusmodi sunt signa astronomica in fastis usitata. Signa ☉, ♈, ☽, ☿, ♀ &c. Sic prostant notæ musicæ, chemicæ & pharmaceuticæ, saltatoriæ numericæ algebraicæ, pluribus linguis communes. Quæ, si quanta fieri posset facilitate, adhiberentur ad res alias pariter denotandas, v. c. ut æternitas per circulum, janua per hebræum ד, domus per ב, caput per ר, vola per כ, norma per L, uncus per ו, uncus duplex & filius per נ os per פ aut aliquid similius ori, & sic ulterius denotaretur: sensim divulgatis illis signis receptisque inter populos, quibus cum aliis commercium intercedit, multa illorum ope, accedente characteristica relationum, ita tradi pos-

 sent,

ſent, ut diverſæ nationes in ſua lingua illa intelligere & exprimere poſſent. *Dav. Solbrigii ſcripturam oecumenicam*, quam edidit Soltquellæ a. 1726. forma octipertita, pro latine doctis pp. 204. pro lingua gallica pp. 239. & pro germanica pp. 236. huic ſcopo parum reſpondere, animadvertet per ſe, quisquis illam parumper adſpexit.

§. 383.

Interim utendum lingua latina & verſionibus.

Donec deficiet lingua univerſalis, lingua eruditorum latina, longius propaganda, ejusmodi ſcripta recte concinnantur, transferenda per eos, qui his pares ſunt, in linguam vicinæ civitatis, latinam prorſus ignorantis, & ita ulterius. Etenim donicum caremus ſcriptura univerſali, uti illa nemo poterit. Vtendum ergo erit in libris lingua nota. Quo pluribus autem nota fieri debent ſcripta, eo pluribus lingua ejusque ſcriptura nota ſit oportet. Jam lingua latina, mortua quidem olim, tamen inter eruditos Europæos recepta eſt, veluti catholica. Idcirco in eadem ſcripta per totam fere Europam a civitatibus in eadem obviis ſaltem ab eruditis legi & intelligi poſſunt. Quæ cuncta uti per ſe radiant, ita & illud indubium eſt, eruditos latina in gratiam populi transferre poſſe in linguam ſibi vernaculam, aliamve, quam didicere. Quod vero attinet ad illas civitates, in quibus lingua latina eſt ignota; ex his vel nonnulli erunt erudiendi in latina lingua, ut illi ſcripta utilia latina in vernaculam ſuam transferre poſſint; vel ex vicinis eo migrantes illam addiſcent linguam peregrinam, ut eam calleant & in eadem ſcribere poſſint deinceps divulganda. Quæ harum, eadem & vicinarum reliquarum civitatum ratio eſt, ut ſcilicet vicini, utramque linguam callentes, ſuis vicinis id officium reddant, quod ſibi ab aliis præſtitum eſſe norunt. Neque aliter uſu receptum eſt inter civitates, linguis admodum differentes, ut Europæas & Indicas, Americanas &c., quando in mercatorum commerciis invicem paciſcendum fuit.

In

In confinio duorum populorum, lingua plane diſcrepantium, habitantes ſæpe utriusque linguæ ſolent compotes fieri, natura conſuetudinis invicem id exigente. Hi ergo interpretes agere inter eos ſolent, qui ſecum agere aut contractus inire cupiunt, nec ſe invicem patria lingua loquentes intelligunt. Horum igitur miniſterio utendum erit inter vicinos, ſcriptorum verſiones longius prolaturos & ad remotiores civitates transducturos. Sumimus in his civitates ſcientiarum expertes, ab illis non abhorrere niſi propter inopiam earum magiſtrorum, cujusmodi ſunt & libri, ſine ulla tamen ſuſpicione inſidiarum, explorationis arcanorum & proditionis, tuto admittendi.

§. 384.

Vivi doctores extra omnem ſuſpicionem ſunt ponendi.

Vbi libris officio ſatisfieri nequit, ibi utendum eſt doctoribus vivis, illa imbutis lingua, qua eſt docendum, & prudenter extra ſuſpicionem omnem ponendis. Quando enim civitas quæpiam inopia ſcientiæ Dei laborare deprehenditur, aliæ illa pollentes obligantur ad illam in ea excolendam juvandum (§. 376.). Quod quum primario & directe non fiat niſi vel libris ſubminiſtratis, vel vivis doctoribus (§. 378): ſi per hypotheſin libris quidem ſubmiſſis ſcopus non obtineatur, vel prævideatur, id parum vel nihil profuturum eſſe, quia vivis doctoribus in hunc finem utendum ſit lingua erudiendorum inſtructis (§. 379), meliori ſucceſſu ita apparente, dubitari nequit.

Ne vero civitas doctores ſubminiſtrans apud aliam in ſuſpicionem pravi conſilii veniat, & ne doctores ſuſpecti averſioni potius ſint, quam ſpe læti ſucceſſus fruantur, omni, qua fieri poterit, cura prudentiaque præcavendum erit. Eapropter amicitia, commerciorum fœderibus, aliisque modis fiduciam bonæ fidei ſuppeditantibus, & doctorum abſtinentia ab omni vel umbra ſuſpicionis excitanda, erit efficiendum, ut mittendi adhibendique doctores tum omni gaudeant ſecuritate &

te & libertate (§. 378.), tum extra ſuſpicionem pravitatis po-nantur.

Conſtat ex hiſtoriarum monumentis, quam facile bene vel optime cogitata a malevolis aut ſuſpicioſis Pſeudopoliticis in deteriorem partem vertantur. Gratulatum mittentis Davidis officia vertebantur in conſilia evertendi civitatem Ammonitarum 2 Sam. X. 3. Pariter Joabus nitebatur Abnerum reddere ſuſpectum 2 Sam. IV. 25. Quæ dum facta ſunt partim inter ejusdem ſtipitis & linguæ, partim inter cognatos populos: quanto facilius eſt, ſuſpicionem ſubnaſci inter civitates nec cognatas, nec fœderatas? Quare omni opus eſt circumſpectione & prudentia in evitandis hujusmodi ſcopulis, facile naufragium creaturis.

§. 385.

A quibus docturi alias civitates indemnes ſint præſtandi?

Alias civitates docturi, cum diſpendio & neglectu rei familiaris, indemnes ſunt præſtandi vel a civitate, ad quam mittuntur, vel a civitate mittente. Naturaliter enim ne ſinguli quidem homines obligantur ea alteri gratis dare vel facere, pro quibus ipſe viciſſim dare vel facere tantundem poſſit (§. 268. *P. IV. Jur. nat.*). Multo minus aliis inſervire debent cum neglectu officiorum erga ſe ipſos (§. 608. *P. I. Jur. nat.*). Sed inter officia erga ſe ipſum datur cura ſufficientis copiæ rerum neceſſariarum, utilium & jucundarum, quæ innocuam afferunt voluptatem; & ſi natura eas ſponte non profert, obligantur ad eas induſtria & arte ſibi comparandas (§. 510. *ſeq. ibid.*). Quisquis ergo in gratiam alterius hoc officium erga ſe ipſum, vel & ſuos, negligeret, is peccaret (§. 440. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quam ob rem ſi qui aliis inſervituri negligere curam ſuæ rei familiaris deberent, illi ab iisdem indemnes ſunt præſtandi (§. 602. *P. IV. Jur. nat.*), ne ipſis ſuum officium ſit damnoſum, atque ne cogantur officiis erga ſe ipſos vacare, & in iſta colliſione negligere officium, quod aliis præſtare poſſent (§. 225. *P. I.*

P. I. *Philos pract. univ.*). Quod quum inter singulos homines valeat, multo magis æquum est, ut integra civitas iis, qui cum neglectu suæ rei familiaris alios docere debent, compensent largiter damnum, quod alias essent subituri.

Quum hic duæ occurrant civitates, altera mittens doctoros, altera, ad quam mittuntur, aut utriusque, aut alterutrius erit, doctores præstare indemnes, *per modo evicta.* Enimvero naturaliter cujus est commodum rei, ejus etiam debet esse incommodum, aut cujus causa alter damno afficitur, is ipsi damnum illud debet resarcire (§. 682. *P. IV. Jur. nat.*). Hinc quia potissimum civitatis, quæ est docenda, commodum quæritur & promovetur: illius quoque est, doctores suos præstare indemnes, eosdem sustentando & pro meritis locupletando. Si tamen illa impar foret suo officio, aut si negligat officium seu ignorantia quadam & errore, seu malignitate; civitatis doctores mittentis erit, hanc indemnitatem ipsis procurare, ne præter necessitatem gravi officio defuisse arguantur coram tribunali divino. Quantum enim citra neglectum officiorum in se ipsam alteri conferre potest, non sine ejus fructu, id conferre obligatur (§. 609. *P. I. Jur. nat.*).

De prima conditione vix dubium esse potest, quin eam omnes sint concessuri, licet non facile ejusmodi casus sit exstiturus, ut integra civitas suis doctoribus indemnitatem præstare nequiret. Apertum enim est, quod singuli homines sibi invicem debent, hoc unam alteri debere civitati (§. 156. *Jur. Gent.*). Sed paradoxum videbitur, quod de altera conditione asseritur. Citato nempe §. 156. docetur, gentem quamlibet alteri genti debere, quod sibimet ipsi, quatenus altera id non habet in sua potestate, ipsa autem citra neglectum officii erga se ipsam id alteri præstare potest. Præterea (§. 232. *P. I. Phil. pract. univ.*) ostenditur, neminem obligari ad ea alteri præstanda, quæ ipsemet

ſibi præſtare poteſt. Non unum tamen eſt, quod hic reponamus. Si ponimus civitatem adeo rudem, ut in multis, ſi non in omnibus, ſcientia Dei deſtituatur, tum fieri non poterit, ut ipſa ſibi comparet ſcientiam Dei, iis videlicet deſtituta ſubſidiis, quorum ope id fieri poſſet. Prout æger ignorans morbum ſuum, ejusque remedia, convaleſcere nequit, niſi medicus illi opituletur. Si jam ponas, medicum adeſſe, & velle non tantum mederi, ſed & ſanare ægrum; qui tamen ſoſtrum inique medico denegat, habes caſum ei ſimilem, de quo jam agimus. Rectene fecit medicus, quod ſanavit ægrum? Procul dubio. Sanatus denegat ſoterium injuſte, ſed ſuo vitio. Hic ergo peccat, Medicus non peccavit. Jam addamus hoc, medicum prævidere, ægrum eſſe moriturum, niſi eum ſanet, & præterea prævidere, ipſum injuſte ſoſtra eſſe denegaturum. Quid tum faciat? Eritne extra culpam poſitus, ſi ægrum patiatur mori, quem ſanare poſſet? Maxime tum, ſi ſciat, eſſe alium opulentum pro ipſo ſoſtra ſoluturum? Aut & ſi ipſe ſoſtro facile carere poſſit? Par hic eſt ratio. Altera civitas animi morbo laborat, inſcientia Dei. Altera bene valet, atque vult alteri mederi, mittitque ſanaturos. Hæc ingrata denegat ſoſtrum. Nonne bene fungens ſuis partibus, & ſoſtrum pro illa ſolvet, quam ſanatam optat, & qua ſanata melius utetur? Etſi hujus quoque ſpes decollaret, tamen opulentiſſimum numen id eſſe redditurum non ignorat. Taceo quod ſoſtro recte collocato facile carere poſſet, etiamſi nemo eſſet redditurus. Præterea conſtat inter omnes, ſi quis non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo nobis fas eſſe aut jus naſci recedendi etiam a noſtra obligatione. Hinc ſi inimicus nos adit, nihilominus obligamur ad eum amandum haud ſecus, ac nosmet ipſos (§. 631. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). In noſtro caſu ne quidem res eſt cum inimico, multo magis igitur amor, qualis nullis parcet ſumtibus noſtræ felicitatis cauſſa, & qualem nobis errantibus optaremus, civitati erranti erit teſtandus.

§. 386.

§. 386.

Vt civitas erudienda pronior evadat ad ſuos doctores indemnes præſtandos, prudenter illi docturi cum ſcientia Dei tradenda conjungent alias ſcientias & artes ipſi ſalutares & pergratas. Vbi enim contemtus ſcientiæ Dei animos occupavit, ibi difficulter eam traditurì admittuntur audiunturque: eo quod rei contemtæ vix ullum ſtatui ſolet pretium (§. 787. *P. I. Jur. nat.*). Quare ſi animadvertatur in civitate alterius ſcientiæ, quæ & ſalutaris & pergrata ipſi videtur, defectus: hujus potius commoda ipſi erunt offerenda, ut eo facilius conſentiat in ea, per quæ ipſius doctores indemnes præſtentur. Hoc enim parergon non contemnendum recte agendo manuducere eos ſenſim poterunt ad ſublimiorem illam Dei ſcientiam, poſtquam ejus contemtum prudenter abolevere, & animi dociliores ſunt redditi. Prudentiæ igitur eſt, ut ſcientiam Dei, quæ vilipenditur, traditurì, alias civitati primo offerunt ſalutares ſcientias artesque pergratas; quarum defectum in ipſa deprehendunt, quo eam reddant proniorem ad doctores ſuos, ut par eſt, indemnes præſtandos.

Quomodo indemnitas doctorum ab erudiendis procuretur?

Ea ſolet eſſe diſcipulorum ratio, ut quando docentur, quæ maxime amant, ſi docentem hæc leviora & minoris facere audiant, & alia majoris momenti promittere intelligunt, poſtquam priora bene percipere deinde etiam majora ſitire incipiant, eaque itidem diſcere aveant, niſi quid obſtet. Non opus eſt ad momentum hujus præcepti perſpiciendum, niſi perluſtratione actorum in abducendis populis ab idololatria, in illis regionibus, ubi nunc deleta eſt. Quanta obſtacula pepererint præjudicia inveterata, & quot ſeditiones inde quoque natæ ſint, quod grave viſum eſt, ſumtus facere in alendos doctores. Multa hic ſuppeditaret vel ſola Pruſſiæ liberatio a paganiſmo, niſi hæc rectius in Hiſtoria quærerentur, quam in Philoſophia civili. Conſtat quoque aliunde, eos, qui inter Sinenſes ſumtibus Sinarum

narum

narum veri Dei ſcientiam ſtabilire nituntur, philoſophia uti & ſtrictius dicta, & mathematicam complectente, iisque ſubſidiis chriſtianæ religioni aditum quemdam paraſſe pridem, & parare etiam nunc. Quæ hujus præcepti utilitatem experientiæ teſtimonio confirmant.

§. 387.

Glorioſa ſumtuum ſuppeditatio a civitate mittente.

Sicubi res eſt cum civitate, in qua nec ſcientiæ, nec artes æſtimantur, plenum eſt generoſæ humanitatis pietatisque opus, quo illuſtrandæ Dei gloriæ cauſa aliæ civitates officioſæ miſſis doctoribus ſcientiam Dei tradituris, pauperibusque eorum diſcipulis, liberaliter ſumtus ſuppeditant, dum fructus laboris ulteriorum progreſſuum ſpem oſtendunt. Etenim quando res eſt cum civitate ſcientiarum & artium ignara, aut eas damnante, tum artibus ſcientiisque tradendis obtineri nequit, ut ipſa doctores alat & indemnes præſtet (§. 386). Si tamen ab iis admittendis aliena non ſit, quando nihilo ipſis ſtat ipſorum doctrina, quam aliquatenus percipiunt rationi magis eſſe conſentaneam iis, quibus laborant erroribus præjudiciisque, ſi pauperes & egeni vel mendici ſponte beneficiorum illecebris accedunt, patiuntur ſe convinci, & ſanioribus aures præbere patulas & obſequentes: quis dubitet, illa beneficia in gloriam Dei ex officio (§. 609. *P. I. Jur. nat.*) recte collocari, ad cujus illuſtrationem conferenda ſunt, quæcunque conferre valent civitates, earumque rectores? (§. 340 *ſeqq.*) Quis non omnino demens, ſi ignorantium & errantium loco eſſet, ab aliis ſibi fieri idem nollet? Quis negaret, ſimilem fere caſum in manſuefaciendis quoque beſtiis occurrere, quarum uſu & fructu homines deinceps gaudere velint? Licet igitur in ſtatu naturali iſocratiæ civitates invicem ſint æquales (§. 320), & quælibet civitas ſuo marte

ope-

operam dare posset atque deberet, ut scientia Dei cæteræque honestæ artes & scientiæ in ipsa colerentur (§. 372.); unicuique civitati permittendum est, ut suo stet judicio in iis, quæ alteri civitati gratificari posset (§. 157. *Jur. Gent.*); nec injuriam ipsi facit, denegando id, quod ipsi debetur (§. 159. *ibid.*). Hinc officia civitatum erga se invicem, ad felicitatem invicem perficiendam non sunt nisi officia humanitatis (§. 164. *Jur. Gent.*). Quum tamen unaquæque civitas naturaliter obligetur ad conferendum quidquid valet, ad alterius felicitatem (§. 166. *seqq. ibid.*); quum rectoribus civitatum tantæ studendum sit virtutum sublimitati, quantam assequi mens humana valet, imitandumque exemplum Dei, quod in semet ipsis experiuntur (§. 339.): Deo indubie omnia omnibus gratis largiente, gloriosissimum esse deprehendunt, si dignissime ipsius vices impleturi, uti obligantur (§. 338.), generosa humanitate, liberalitate & pietate inter se de principatu contendant (§. 342.). Idcirco si res est cum civitate, in qua nec scientiæ nec artes in pretio habentur, plenum erit generosæ humanitatis pietatisque officium, quo illustrandæ Dei gloriæ causa civitates aliæ officiosæ suo sumtu ipsis mittant doctores scientiam Dei tradituros, quos sic non rejectum iri compertum habent saltem ipso effectu (§. 385.).

Sed in hoc casu facillime evenire potest, ut & erudiendi inopes sint omnium rerum, itaque erudiri nequeant, nisi una alantur: in hoc casu igitur beneficio priori addendum erit hoc alterum, ut prius reddatur fœcundum. Quando igitur egestas discipulorum, qui proni sunt, ad recipiendum Dei scientiam, tanta est, ut alere se ipsos nequeant nisi penitus scholam aliamve publicam institutionem negligant; tunc si insititu-

ſtitutionem præferre malint aliis laboribus, idque cum ſpe majoris fructus conjunctum ſit, præter docentes alendi etiam erunt diſcipuli, inprimis ſi priores ſumtus alias irriti forent, aut non tam fructuoſi, ac eſſe poſſunt (§. 644. *P. I. Jur. nat.*). Quisquis vult vel plane velle debet finem, is nolle nequit nec debet adjumenta, quorum ope finis eſt obtinendus (§ 941. *Ontol.*). Quare cum hic officium perficiendi alteram civitatem in ſcientia Dei aliarumve rerum ſalutarium, ſit & eſſe debeat finis ſumtuum in docturos faciendorum, per priorem partem hujus §i: in obſcuro eſſe nequit, dum fructus ſuſcepti laboris lætam ulteriorum progreſſuum ſpem oſtendit, præter doctores etiam in diſcipulos egenos ſumtus neceſſarios eſſe ſuppeditandos, donec ipſi per ſe, aut ſuæ civitatis ſumtibus ali poſſint.

Superſtruuntur hæc illis, quæ §. 378. & 385. præſtructa & adnotata. In primis id argumentum civitatibus earumque rectoribus quantivis faciendum eſt pretii, quo certiſſime oſtenditur, quidquid homines cæteræque res boni habent, id gratuitum eſſe munus divinum: quia Deus unicuique rei tantum contulit boni, quantum ſapienter fieri potuit (§. 698. *P. I. Theol. nat.*). Vti igitur totum univerſum plenum eſt bonitatis divinæ (§. 738. *ibid.*), & bonitatis quoque divinæ eſt, quod in toto univerſo alia aliis inſervire & poſſint & debeant (§. 739. *ibid.*); ita quoque ejusdem Dei bonitati in acceptis ferendum, quod una civitas alteri inſervire & poſſit & debeat. Quo magis igitur civitas id alteri præſtare poteſt, eo magis quoque ad id ipſum obligatur (§. 341.), dum officium non videtur fructu eſſe cariturum. Irrita enim & fruſtranea nemo ſapiens ſuſcipit (§. 52. *P. II. Phil. pract. univ.*). Ne quidem ad promiſſa alteri inutilia ſervanda obligatur (§. 798. *P. III. Jur. nat.*). Obligatio autem gratificandi inopibus civitatibus aliis in rectoribus civitatum eo lucu-

luculentior est, quo liquidius est, eos divinis vicibus imperii publici inter homines fungi (§. 337.), iisque quam dignissime fungi debere (§. 338.). Cum liberalitas officiositasque eo sit major, quo plura, quoque majora alteri præstat beneficia: omni dubio majus est, si eædem scientia vel artes non tantum docentur gratis, sed & aluntur gratis, qui eas docentur, id multo majus esse beneficium, quam si & docentibus & alentibus indemnitas sit præstanda & remuneratio. Quare divinum dicatur id beneficium, quod munera divina propius imitatur. Est quoque animus hominum eo nobilior & virtutum præstantia eminentior, quo exactius humanitati liberalitatique satisfacit.

§. 388.

Videtur quidem barbaries divinitus immissa, nec mutanda.

Speciose quidem dici posset, si rectoribus civitatum imitandus sit Deus, civitates barbaras in sua barbarie potius esse relinquendas. Aut enim barbariem ignorantiamque Dei ipsis esse pœnæ loco immissam, aut id statui non posse. Si pœnæ loco ipsis sit immissa barbaries, intempestivam esse misericordiam aut ineptam commiserationem, quæ judicio divino pœnas merentem civitatem, iis liberare audeat. Potius ergo relinquendam esse hujusmodi civitatem suæ, quam commeruit, pœnæ. Si barbaries immissa non sit pœnæ loco, satius fore, ut in isto statu versetur, quam in alio. Posse enim illam, secundum non neminis sententiam, ipsa scientia meliorem censeri. Vel posse illam considerari ut rem mediam, quæ magis illi expediat, quam res alia, illi adversa, quam forte capere nequiret.

Scilicet non sine numine civitatem in illam barbariem pervenisse contendi potest. Id ergo factum esse aut numine propitio, aut irato. Si hoc, illam barbariem justam fore pœnam ipsi pro sceleribus luendam sufferendamque, quamdiu voluerit Deus. Velle autem ipsum hoc in præsenti, id patere ex re ipsa. Si propitio numine in eo versetur statu, nulla opus fore mutatione illius. Quare Deo hoc ita dispensante, aliis quo-

que

que, inprimis civitatum rectoribus, Deum esse imitandum (§. 339.).

§. 389.

Barbaries non est pœna sed status vitiosus. *Verum enimvero barbaries potius est vitiosus hominum status, quam pœna justa.* Non est enim barbaries nisi inopia culturæ intellectus (§. 52. *Jur. Gent.*). Cultura mentis perficiuntur ejus facultates & in habitus adolescunt (§. 209. *P. I. Jur. nat.*). Obligantur vero homines ad excolendam mentem suam quantum fieri potest (§. 211. *seq. ibid.*). Hinc omittentes culturam intellectus manent rudes & ignari rerum noscendarum. Laborant ignorantia vincibili, quæ legi naturæ repugnat (§. 223. *ibid.*) & vitiosa est, dum ex habitu pravo proficiscitur (§. 277. *ibid.*). Est igitur barbaries vitiosus hominum status. Quam ob rem recte quidem dici potest, mereri illum statum vitiosum pœnam, proprie autem ipse pœna non est, quippe quæ continetur in malo physico propter malum morale ab eo, qui obligandi jure gaudet, inflicto (§. 1077. *P. I. Theol. nat.*) quæ nihil vitiosi continere potest. Tale malum morale, a culpa & vitio hominis profectum est quoque barbaries, quæ ideo per se pœna esse nequit.

Improprie quidem mala moralia quoque solent pœnæ vocari, quatenus ex illis pœnæ promeritæ nascuntur, aut pravitas & pravi actus jam sunt sponte contracti defectus bonorum, quæ inesse debebant. In se tamen mala moralia seu peccata non sunt nisi pravæ actiones, ideoque legi divinæ contrariæ (§. 440. *P. I. Philos. pract. univ.*), propter quas homines sunt puniendi. Quis furtum aut adulterium dicat esse pœnam furis & adulteri? Neque status furis & adulteri, in quo post illa crimina admissa sic versatur, ut factum ab ipso furtum vel adulterium fieri nequeat infectum, in se pœna est, manens quippe etiamsi fur aut adulter pœnæ veniam in foro humano & divino esset adeptus. Pariter

riter & hic Barbaries, seu status ignorantiæ vincibilis, est quidem pravus & vitiosus, ideoque pœna dignus, sed ipse in se pœna non est. Si cui in mentem veniret, permissionem mali moralis esse justitiæ divinæ, vel Deum juste permittere malum morale (§. 1076. *P. I. Theol. moral.*), ideoque vellet inferre, ipsam permissionem jam esse quandam pœnam, eamque primam, quam deinde aliæ pro meritis subsequantur; illi quidem concederemus, irrogationem pœnarum esse justitiæ divinæ (§. 1079. *ibid.*), negaremus vero, omnem actum justitiæ divinæ esse aut inferre pœnam, quum etiam præmiorum distributio sit justitiæ divinæ opus (§. 1067. *ibid.*) & (§. 313. *P. I. Philos. pract. univ.*). Denique de nomine aut dictione non est, cur contendamus cum quoquam, si in re a vero non aberrat.

§. 390.

Etiamsi ponas, barbariem esse pœnam, non tamen sequitur, eam non esse mutandam. Nonne hominis intemperantis pœna persæpe est morbus, quem sibi accersit? Ecquis vero dubitat, quin & illi morbo medicina sit adhibenda? Habet pœna, emendationis causa inflicta, hunc finem, ut animus peccandi mutetur ac cesset (§. 1062. *P. I. Jur. nat.*). Emendato igitur animo pœna emendatrix cessat. Hinc si fingatur barbariem esse pœnam, quin barbarie sublata ipsa cesset, nullum potest esse dubium. Vti in nostro casu, sublata inscientia Dei, tollitur barbaries ex hac parte, ideoque simul pœna. Quod ex rei veritate sic procedit: barbaries tanquam status ex neglectu culturæ intellectus oriundus, est causa pœnæ naturalis divinæ. Qua sublata, tollitur quod pœnam meretur, quæ ideo quatenus emendationem sibi habet propositam, non amplius locum habet, ideoque cessat. Quare etiamsi fingatur, barbariem esse pœnam civitatum ea laborantium, tantum tamen abesset, ut ea non esset mutabilis vel mutanda, ut potius contrarium inde conficiatur, eam scilicet esse in se mutabilem, dum

Etiamsi esset pœna, tamen esset mutabilis.

causa nititur mutabili ac vitiosa & utique mutanda, & vel ob hoc ipsum, quia est mutabilis, & tanquam pœna malum, ex ea esse eluctandum (§. 363.).

Si clarius loqui placet, ita erit statuendum. Barbaries est malum morale, culpa hominum contractum (§. 52. *Jur. Gent.*), itaque est fugienda & exuenda (§. 54. *ibid.*). Quia ergo est mutanda, & si mutetur, abit in culturam intellectus, scientias & artes complectentem (§. 53. *ibid.*): patescit, sublata barbarie omnes tolli defectus ex eadem fluentes, qui illius sunt pœnæ naturales (§. 308. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*).

§. 391.

Imitatio Dei jubet barbariei mederi.

Immo quia Deus est imitandus, barbaries civitatum, quoad ejus fieri potest, est tollenda. Obligat enim Deus omnes omnino homines, ideoque & Rectores civitatum, ad perficiendum suum aliorumque intellectum, quantum fieri potest (§. 609. *P. I. Jur. nat.*), itaque ad culturam mentis, artibus & scientiis peragendam. Hinc neglectum culturæ illius, ipsamque barbariem inde resultantem, una prohibet (§. 54. *Jur. Gent.*). Neque hoc tantum hominem duce natura docet, sed & eandem omnibus instruit facultatibus, adjumentis & invitamentis, quæ ad obtinendum scopum abunde sufficiunt. Quapropter rectores civitatum, imitaturi Deum, pariter conferre ad abolendam aliarum civitatum barbariem debent quidquid valent (§. 333. & 340. *seq.* 363.).

Gratis enim sumeretur, per Deum barbaras civitates versari in barbarie, quod non fit nisi ipsarum vitiosa neglectione culturæ mentis (§. 389.). Ecquis vero ambigere potest, fitne homo vitioso suo statu eripiendus, si id fieri potest, nec ne? Permittendum quidem homini, ut abusu libertatis suæ negligat sibi salutaria seque sua culpa miserum reddat. Sed salvus ipsi non tantum manet reditus ad rectum suæ libertatis usum, verum etiam ad ipsum validissime obligandus fuit, uti factum est, & ipse

ipse, & alius quisque, qui ea in re ipsum juvare possit. Hinc manat quoque civitatum officium, juvandi barbaras civitates, ut eæ sua barbarie eripiantur.

§. 392.

Barbaries nec est res media, nec bona.

His adstructis, liquet, falsam esse opinionem, barbariem esse vel rem mediam, vel prorsus beneficam. Si enim facultas intelligendi hominibus frustra nequit esse indita a Deo (§. 663. *P. I. Theol. nat.*); si illa data est, ut artibus & scientiis summopere perficiatur excolaturque (§. 217. *P. I. Jur. nat.*); si ideo barbaries est civitatis & hominis cujusque status vitiosus (§. 389.): manifestum est, statum vitiosum non posse dici inter pravum & rectum medium, qui in se pravus & vitiosus non sit (§. 27. *Ontol.*), multo minus ergo statui potest, eundem vitioso statui esse contrarium atque beneficum & salutarem. Falsa igitur est opinio, barbariem esse vel rem mediam, vel & culturæ intellectus præferendam.

Si non alia re magis, sua tamen barbarie actu contrarium doceret, barbariem defensurus vel laudaturus præmii forte causa, meliori modo non consequendi. Quid enim magis esse potest a ratione alienum, quam ignorantiam esse matrem virtutum & felicitatis? Quod si quidpiam veri haberet, certe quo major esset hominum ignorantia, eo forent meliores feliciores que, itaque inter feras adultis principatus virtutum felicitatisque esset tribuendus. Eousque quemquam delabi posse a sano sensu negares, nisi extarent Genevensis cujusdam civis Discours sur l'inegalite entre les hommes. Quem principatum si quis affectare posset, næ ipsi antea homo esset exuendus, vel is pœna Nabuchodonosoris in bestiarum sortem detrudendus.

§. 393.

Quo respectu barbariei permissio

Urgenti, barbariei multarum civitatum permissionem diuturnam comprobare hanc ipsis meliorem esse, quam illius contrarium, responderi potest, sublata confusione tantum id vere dici, permissionem esse

 melio-

præferri possit?

meliorem violenta impeditione, non vero barbariem esse doctrina præstantiorem. Etenim quidquid in barbarie ab hominibus pendet, id est neglectus officii intellectum excolendi, qui totus est vitiosus (§. 389.). Permissio vero hujus status ignorantiæ vincibilis est a Deo, ideoque violenta impeditione melior statuenda (§. 584. *P. I. Theol. nat.*), tum ratione totius universi, tum ratione Dei permittentis, quem magis ibi decet cujusque gloriam magis illustrat permissio, quam illius denegatio (§. 586. & 613. *ibid.*). Nec vero tantum ratio ne totius universi, sed etiam ratione omnium rerum intelligentium in universo, item ratione generis humani, earum civitatum, & cujusque singularis hominis in illis (§. 928. *seq. ibid.*). Postremum ita capi potest, si certissime prævideatur, hominem barbarum, si eriperetur e sua barbarie, tantum magis sua cognitione arte & scientia esse abusurum, quam in rudi statu id fieri potest, ideoque graviorem pœnam esse meriturum ac incursurum, quam cum in statu barbariei. Tunc enim apertum est, benignius cum ipso agi, si relinquatur potius in barbarie, quamdiu illius sublatio cum majori ipsius infelicitate, licet suo vitio, foret conjuncta (§. 722. & 1076. *ibid.*). Sapienter enim illi sic minor decerni potest pœna, quam in altero statu, a barbarie libero fieri posset. Nequaquam igitur barbaries præstat doctrinæ, sed tantum in alterutro permittendo dicto casu permissio illius, quod minorem infert gradum pravitatis ac pœnæ, præferri sapienter ac benigne, alteri potest.

Quoties duo mala sunt metuenda, quorum alterum altero est majus, & utrumque declinari nequit, toties minus sapienter præferendum est majori (§. 1057. *P. I. Jur. nat.*). Si hujusmodi casus in civitate occurrat, nemo dubitabit, quin minus quoque malum, item causa minoris pœnæ, potius permitti debeat, quam gravius illud, aut causa graviorem meritura pœnam. Nonne pater liberorum amantissimus, in permittendo liberis al-

ter-

terutro ludo, quorum alter cum periculo sit conjunctus, alter periculo careat, aut alter cum graviori, alter tantum cum leviori conjunctus esse possit, hæsitabit, an posterior sit præferendus, aut potius permittendus, quam prior? Cur igitur de Deo omnium amantissimo, ter optimo, & sapientissimo, non simili ratione statuamus, eum scilicet præscire omnia mala ex abusu libertatis in quovis casu oritura, & ex illis, in permittendo quodam abusu, sapienter præferre minorem majori, hinc & mitius punire malle quam gravius, ubi id salva sapientia summa, omnem rerum ambitum nexumque verissime æstimante, fieri potest. Sane sic ratio reddi potest, cur tolerabilius sit futurum supplicium paganorum & barbarorum, quam majori luce veritatis præditorum, qua abutuntur *Matth.* X. 12-15. XI. 20 24. & Luc. X. 10 15. Interim quorundam abusus aliorum recto usui impediendo causam dare nequit, quum non nisi sibi suam debeant pœnam. Quemadmodum Pharaonem, & Judæos vel miraculis non esse emendatos suo tantum vitio, liquet ex historia sacra. Quæ tamen accuratius disceptanda relinquimus divinarum literarum interpretibus doctoribusque.

§. 394.

Prognostica successus.

Tentaminum initia prudenter instituta, quid de futuro successu vel sperandum sit, vel non sit, edocebunt. Etenim si initia tradendæ Dei scientiæ prudenter fiant, aut libri adhibebuntur vel emendi vel donandi (§. 381.) aut uti peregrinantibus aliis prospicietur doctoribus mittendis de securitate, quantum fieri potest (§ 365.); neque ab ipsis admittetur quidquam, quo suspecti fiant illis, ad quos mittuntur (§. 384.). Præterea prudenter adjungentur his aliæ artes & scientiæ erudiendis gratæ (§ 386.); beneficentiæque, quando ea opus est, erga doctores, eorumque discipulos documenta animos allectura (§. 387.). Quibus prudenter institutis aut respondebit eventus optatus, aut minus. Priori casu fructus jam nascentes spem facient & eorum maturitatis futuræ & ulteriorum incremento-

rum (§. 378.). Poſteriori caſu, ſi melior ratio ſcopum conſequendi iniri nequeat, nec in poſterum ſpes affulgeat melior, aliorſum potius conferendi erunt illi labores & ſumtus, ſive in peregrina civitate, quam ut irrito conatu fruſtra profundantur.

Dari & alia quædam ſolent prognoſtica, e quibus vel ante ſuſcepta hæc pericula, præſertim ſumtuoſa, hauriri quædam de futuro eventu ſpes poſſit. Cujusmodi erunt, ſi aliunde, v. c. ex commercio cum illa civitate, captivis, divenditis mancipiis, peregrinantibus aut per errorem ad alios delatis, innotuit nationis docilitas, natura manſuetior, æquitas erga exteros hoſpitalitasque; ſi quoddam commercium linguæ in confiniis occurrat, quo uti commode liceat; ſi pacta commerciorum, fœderum, conjugiorum quorundam, amicitiæ nonnullius, & his ſimilia adſint. Propiora tamen erunt, quæ e re præſenti, uti ſe dant initia prudenter inſtituta, petuntur, quæ ſi nihil erroris admiſſum in modo illa inſtituendi, futurorum erunt auguria atque omina non vana.

§. 395.

Quomodo civitates ſint ducendæ ad religionem naturalem.

Ope ſcientiæ Dei civitates, ea imbutæ, manu ducendæ ſunt ad religionem naturalem. Eſt enim ſcientia Dei vel Theologia naturalis ſcientia eorum, quæ Deo inſunt, & per ipſum fieri poſſe intelliguntur (§. 1. *P. I. Theol. nat.*). Enimvero fieri quoque poteſt, ut per ſcientiam Dei noſtræ determinentur actiones rationibus ſic nec aliter agendi petitis ab iis, quæ Deo inſunt, locuplete experientia teſte. Is vero, qui ſuas actiones ita edit, quia Deum agnoſcit, eas non editurus, ſi eundem non agnoſceret, Deum colere perhibetur (§. 511. *P. II. Theol. nat.*), & modus colendi Deum ſecundum ea, quæ de Deo in Theologia naturali docentur, vocatur religio naturalis (§. 512. *ibid.*). Quia Deus vult ab hominibus coli (§. 1121. *P. I. Jur. nat.*) & homo per eſſentiam & naturam ſuam obligatur ad Deum colendum (§. 1122. *ibid.*), ita ut omnes ſuas actiones determinet per argu-

argumenta ab attributis divinis desumta (§. 1125. *ibid.*): palam est, ope scientiæ Dei omnes civitates, eadem imbutas, perducendas esse ad religionem naturalem.

Scientia nimirum præstat animi convictionem, ideoque cognitionem vivam, quæ voluntatem flectere valet, ut secundum illam agat recte usurus sua libertate. Hinc animus hominum de Dei existentia attributis & voluntate, quæ in lege naturali continetur, convictus, fertur quoque ad actiones suas huic scientiæ Dei conformandas. Quod facere aliter nequit, quam eandem debite colendo. Inde perducendus est ad modum a Deo omnibus hominibus civitatibusque præscriptum lege naturali. Sed is modus Deum colendi ipsa est religio naturalis. Sic Theologia naturalis docet civitates quoque omnes, Deum esse colendum religione summa.

§. 396.

Religio naturalis non tantum in qualibet civitate est colenda, sed quoque propaganda ad alias civitates. Religio naturalis consistit in præstatione officiorum erga Deum, in determinatione voluntatis ad officia erga nos & alios per argumenta a Deo petita, & in animo Deo obediendi (§. 505. *P. III. Ethic.*). Eaque a lege naturali præcipitur ac prorsus est immutabilis (§. 506. *ibid.*), omniumque est civitatum & hominum, ut nefas foret illam violare, polluere aut prorsus abolere (§. 507. *ibid.*). Inde apertum est, religionem naturalem non modo in qualibet civitate esse colendam (§. 373. *seq.*); verum etiam ad alias civitates, in quibus illa vel violatur, vel polluitur, vel extincta fere esse videtur, transferendam ut reparari, purgari & propagari in illa possit (§. 376.).

Quæ in omnibus civitatibus est colenda.

Ne quis temere damnet religionem naturalem, alio sensu acceptam, quatenus v. c. respuit religionem revelatam, aut æternam salutem per se hominibus promittere audet; recolendum est animo, eam sensu saniori acceptam liberam esse ab illis erroribus, & divinis inniti legis naturæ præceptis, quæ a nemine

in

in dubium vocari possunt, nisi qui ipsam legem naturæ, existentiamque Dei ausit negare. Hinc qui agnoscunt Deum dari, agnoscunt ejus attributa, ejusque voluntatem ex lege naturali conspicuam, illi etiam obligationem civitatum ad colendam religionem naturalem in dubium vocare nequeunt. Porro quum sciant, quæ ipsi Deo debent officia, eadem & omnes alias civitates eidem debere; & suum esse, alias in officio suo adjuvare, quando id citra neglectum officii in se ipsos fieri potest: simul sentiunt, operam quoque esse navandam, ut & in aliis civitatibus vigeat religio naturalis. Nemo tamen migrationes olim usitatas & a Deo permissas, quæ alias Gentes vel sedibus suis vi ejiciebant vel opprimebant, ob apertam injuriam aliis illatam, in eorum subsidiorum censum referet quibus vel religio naturalis sit provehenda; quamvis nonnunquam eo versa sit a Deo ita populorum perversitas.

§. 397.

Quæ civitates potissimum religionem provehere obligentur?

Proút in scientia Dei amplificanda civitatum, quæ id commode facere possunt, erat, iis eam impertiri, qui illa carent, vel illam corrupere (§. 376.): ita quoque in religione naturali ad civitates superstitiosas & idololatricas transferenda, earundem erit, quæ theoriam tradere obligantur, huic & praxin adjungere in cultu Dei naturali convenienter legibus naturæ instruendo (§. 395.). Quapropter *civitatum præ cæteris obligatarum, ut vicinarum, & commercio quodam cum corrupta civitate utentium, erit adjuvare amice ab idololatria, superstitione aut neglectu cultus divini liberandas, si adjumento uti non dedignentur* (§. 396.).

Conferri hic possunt, quæ ad §. 394. & 376. adnotata fuere. Quia nempe civitates inter se degunt in statu naturali, atque moraliter sunt æquales (§. 16. *Jur. Gent.*), illæ aliter spectari non possunt, ac personæ singulæ in statu naturali (§. 2. *ibid.*). Quare uti in statu naturali quidem uniuscujusque esset, alium quemcunque ope ipsius indigentem pro viribus juvare, ut ea consequatur animi corporis ac fortunæ bona, quæ in potestate sua

sua sunt (§. 612. P. I. Jur. nat.) & cavere, ne incidat in mala animi corporis & fortunæ, aut eundem iis liberare, quantum fieri potest (§. 613. ibid.): ita itidem in civitatibus studendum, ut alia aliam reddere felicem, & impedire possit, quantum in se est, ne evadat infelix (§. 614. ibid.). Quoniam vero cujus in statu naturali amplior est facultatum, virium ac rerum usus, alienumque auxilium majus, vel cui plura in potestate sunt, ejus major est obligatio (§. 178. seq. ibid.): ideo & civitatum præ cæteris obligatarum aliis, sive vicinitate, nexuque linguæ & commercii, sive copia doctorum, opum abundantia, auxiliorum robore, sive officiorum reciprocorum ratione, partes hac in religionis causa emat principes potioresque, gloriam quoque præcipuam ipsis parituras. Consentit revelatio docens, cui plus datum est, ab eo plus requisitum iri.

§. 398.

Religio naturalis aliis civitatibus imitanda exhibetur exemplo cultus interni & externi, tum domi peregrinis quoque tum per peregrinantes exteris ostenso. Est enim religio naturalis non tantum domi colenda, sed ad exteras quoque civitates proferenda (§. 396.); & ad hoc officium præsertim obligantur civitates, in quarum potestate id potissimum habetur, & quæ id commode præstare valent (§. 397.). Cum vero religio naturalis sit modus colendi Deum secundum legem naturalem (§. 512. P. II. Theol. nat.), & modum aliquid libere agendi exhibet imitaturis clarissime exemplum (§. 250. P. II. Phil. pract. univ.): nullo jam negotio perspicitur religionem naturalem aliis imitandam exhibere intuendum illius exemplum. Involvit autem religio naturalis cultum Dei & internum & externum (§. 1231. P. I. Jur. nat.). Idcirco exemplum cultus divini & interni & externi a civitatibus invicem, iisque præsertim, quæ in eo majores fecere progressus, est præbendum. Præbent vero hoc exemplum aliis, tum privatim, tum publice Deum, ut par est, colendo

Quomodo religionis exemplum præbendum?

lendo (§. 509. *seqq. P. III. Ethic.*), quod & indigenæ & alienigenæ atque peregrini intueri possint & imitari. Neque minus id aliis præbent civitatibus, quando peregrinantes suum cultum Dei internum externumque non veluti furtim, sed ita præstant, ut illi, inter quos versantur, illum intueri imitarique possint.

Quanta vis sit exemplorum in moralibus, ex §. 281. *seqq. P. II. Phil.pract. univ.* hauriri potest. Neque ignotum id esse potest iis, qui ad religionum historias animum adverterunt. Quid vulgatius habetur, quam vel recedentes a norma legis naturalis religiones longe lateque exemplo aliarum civitatum esse diffusas? Qui enim intuiti sunt aliorum, quod ipsis placuit, exemplum, illi meliora ignorantes id imitati sunt ipsi, aliisque commendarunt imitandum. Neque aliter adhuc faciunt, qui novitatis studio aliorum mores illico imitantur, ex alia civitate in aliam transferunt, laudibus persuasionibusque aliorum inducti adquiescentesque. Cur non idem in melioribus pariter fiat, & fieri sæpius debeat, ac omnino fieri consuevit? Neque enim negandum est, dari & bona exempla, & eorum imitatores & ad penates suos traductores.

§. 399.

De exemplo cultus interni. Quia religio naturalis aliis civitatibus imitanda exhiberi debet exemplo cultus Dei interni (§. 348.); & cultus internus Dei requirit veram pietatem, agnitionem Dei vivam, obedientiam ei debitam, amorem caritatemque ipsius, timorem filialem, admirationem maximi eum facientem fiduciam in ipso collocandam, adquiescentiam in providentia divina, gratissimum erga Deum animum, celebrationem nominis ipsius, invocationem & gratiarum actionem mentalem (§. 1234. *P. I. Jur. nat.*): constat inde, *exemplo veræ pietatis, agnitionis Dei vivæ, obedientiæ illi debitæ, amoris, charitatis, timoris filialis, venerationis, fiduciæ, adquiescentiæ in providentia divina, animi erga Deum gratissimi, celebrationis, invocationis & gratiarum actionis mentalis esse aliis civitatibus alias debere.*

Reli-

Religio *Ciceroni L. I. de nat. deor.* dicitur contineri cultu Dei pio. Cultus vero optimus, castissimus, sanctissimus plenissimusque pietatis est, si Deum semper jura integra & incorrupta mente venereris. *Pro Planco* quærit: Quinam sunt sancti, qui religionum colentes? nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam justis honoribus & memori mente persolvunt. *Pro Cluentio* contendit, non alia re magis affici Deum, quam pietate & justis precibus. Memento inquit *Plato in Timæo*, quod in omni actione, tam parvi quam magni momenti, Deum semper oporteat invocare; & *L. 12. de Legg.* cavendum, ne quid in Deum aut verbis aut factis peccemus. Est, inquit *Aristoteles L. II. magn. mor. c. 11.* & amicitia erga Deum. Quis non timeat omnia providentem, cogitantem & animadvertentem Deum? legitur in *Ciceronis L. II. Acad. Quæst.*

§. 400.

De Exemplo cultus externi.

Ad cultum Dei externum pertinet reverentia erga Deum, glorificatio ipsius, adoratio (§. 1237. *P. I. Jur. nat.)*, actiones externæ omnes, legi naturali conformatæ propter Deum & ex obedientia erga ipsum (§. 1238. *ibid.*), nec non quæ faciunt ad augendam Dei cognitionem (§. 1239. *ibid.*) & ad docendum alios, quis sit Deus, quæ ipsius de nostris actionibus determinandis voluntas, quomodo sit colendus, adhortatio ad ipsum colendum (§. 1241. *ibid.*), lectio librorum de Deo ejusque cultu agentium (§. 1243. *ibid.*), cantus hymnorum (§. 1248. *ibid.*), ipsum Deum rite colendi exemplum (§. 1242. *ibid.*). Cultus vero publicus postulat templa, dies festos, solemnes conventus, cærimonias religiosas, doctrinam publicam, adhortationem ad pietatem, preces & cantiones conjunctis viribus editas mutuam ardoris & devotionis concitationem (§. 1251. *seq. ibid.*) (§. 461-467. *P. VIII. Jur. nat.* & (§. 512. *sqq. P. III. Ethic.*) evitationemque idololatriæ & superstitionis (§. 125. *seqq. ibid.*) & (§. 521-28. *P. III. Ethic.*). Quare cum religio natu-

naturalis aliis civitatibus exhibere debeat exemplum cultus Dei externi privati & publici (§. 398.): dilucescit, religionis naturalis provehendæ causa *aliis civitatibus præbendum esse exemplum actiones externas quascunque componendi ad gloriam Dei illustrandam, tum privatim, tum publice viribus plurimorum & officiis apte in hunc finem conjunctis, & in iisdem evitandi omnem idololatriam superstitionemque.*

Nemini mirum videri debet, exemplum cultus divini tam interni, quam externi tam multa complecti. Ea enim est exemplorum natura, ut modum agendi omnem debeant dilucide ob oculos ponere cum suis adjumentis, eum perficientibus, debitaque cautione evitandi eum impeditura & frustratura. Quæ nisi una intuentibus ob oculos ponantur, exemplum non erit omnibus numeris absolutum, & vel suis destituetur illecebris; vel errandi peccandique ansam præbebit.

§. 401.

Modus distincte tradendi religionem naturalem.

Quod exemplum confuse tantum & aliud agendo, id libri & doctores vivi data opera distincteque docent & absolvunt in religione naturali ad alias civitates derivanda. Quicunque enim religioni vacant, illi proprie hoc agunt, ut Deo debitum præstent cultum, hoc autem agendo aliis simul exemplo sunt sui quoque erga Deum officii, quod quale sit ipsi exemplo clare edocentur (§. 998. *seqq*). Enim vero uti omnia reliqua exempla clara quidem sunt sed tamen confusa tantum ratione menti obversantur: ita quoque religionis naturalis exempla, quantumvis numerosa, suas tamen occultant notas, quarum confusio menti haud parum obest (§. 377.). Confuse igitur duntaxat & indirecte aliud agendo exemplum cultus divini aliis prodest civitatibus (§. 1068. *P. I. Theol nat.*).

Si igitur distincte pomœria religionis naturalis sint amplianda & aliorsum porrigenda, oportet, ut vel libri adhibeantur, distincte religionem naturalem explicantes, vel vivi doctores

ctores oretenus eam distincte enarrantes (§. 378.), & exemplo addito confirmantes. Est enim religio naturalis non nisi modus colendi Deum secundum leges naturales (§ 512. *P. II. Theol. nat.*). Enimvero hic modus Deum colendi, æque ac scientia Dei, distincte doceri potest quoad omnia, quæ in ipso vel agenda sunt vel fugienda, non solum libris in eum finem conscriptis, verum etiam viva doctorum voce (§. 378.). Quam ob causam cum libri, tum doctores vivi data opera & distincte docere debent & absolvere id, in religione naturali ad alias civitates derivanda, quod exempla non nisi confuse aliudque agendo insinuare valent.

§. 402.

Dum libris vivisque doctoribus religio naturalis aliis civitatibus distincte est tradenda (§. 401.): *opus erit, ut & illi & hi utantur lingua civitati erudiendæ familiari aut prorsus vernacula* (§. 379.). Præterea quoque *prudenter erit dispiciendum, ubi vel libri sint plus præstituri, vel vivi doctores, vel ambobus sit atendum* (§. 380. seq. & 384.). *Neque negligi debent cætera vel subsidia vel præsidia cautelæque provehendi religionem in suas sedes naturales, sibi perperam denegatas, quæ* §§. 382-387. *commemorantur.* *Cæteraque adjumenta.*

Quoniam nulla civitas jure gaudet, alteram vi adigendi vel ad veram religionem amplectendam, dum libera esse debet religio, & vis inepta est, ad animum coginescium de veritate convincendum (§. 259. *Jur. Gent.*): nulla civitas aliam religionis causa bello impetendi, sibique subjiciendi jus habet (§. 260. *ibid.*). Hinc si obligationi suæ, conferendi quidquid potest, ad verum Dei cultum aliis persuadendum satisfecit, adquiescendum ipsi est, in eo, quem res sortita est, exitio. Si nempe obtinuit scopum, habet, cur gaudeat & alteri gratuletur. Si vero altera se non patiatur adduci ad suam vel idololatriam vel superstitionem abdicandam, veriorem que religionem amplectendam, id æquo animo est ferendum, & ipsius relinquendum perversitati.

Non difficulter perſpicitur, hic ſermonem non eſſe de religionis revelatæ propagatione, de qua quid habendum, e ſacro codice diſcendum. Quo pacto tamen hæc naturalis religio viam illi ſternere poſſit, oſtendendum reſtat.

§. 403.

Quid ſit pro peccatis ſatisfacere. Sicut obligationi ſuæ ſatisfacere dicitur, qui agit vel non agit, ad quod agendum vel non agendum obligatur (§. 120. P. I. *Phil. pract. univ.*): ita ſatisfacere obligationi ſuæ pro peccatis, vel brevius, *ſatisfacere utcumque pro peccatis* dicitur, qui & patiendo quæcunque pati pro peccatis obligatur, & reparando data damna promerendoque tantum boni, cujus cauſa malum admiſſum nihili ſit faciendum nec metuendum poſtea, ideoque nec imputandum amplius nec puniendum. *Perfecte autem ſatisfacere pro peccatis* eſt ex aſſe omnem peccati culpam tollere & pœnam luere, & ſimul efficere, ne quid ſit ab ipſo peccatum peccandumque (§. 581. & 636. *Jur. Gent.*). Quod quum facere, qui peccavit, nequeat, fieri aliter nequit, quam ſi alius, qui nihil peccavit, pro ipſo omni ejus obligationi ſatisfaciat, omnemque, quam meruit, pœnam perpetiatur.

Canzio dicitur pœnarum finis eſſe peccati abolitio atque reſciſſio, & ſatisfactio reſciſſio peccati, qua facti ſui turpis acerbitatem ſatis deguſtat peccator. *Meditat. philoſ.* §. 508. Abolitionem ponit in diſſenſu ope pœnitentiæ & averſationis ejus, in quod antea conſenſerat. Per deguſtationem vero acerbitatis facti turpis innuit ſufficientem pœnæ dolorem peccanti inflictum, ut ſemper malit non peccaſſe quam pœnam ſubire. Vnde & reſciſſio ipſi non eſſe videtur, niſi diſſenſus priorem auferens conſenſum. Quæ de ſatisfactione imperfecta, qualis locum habet, in hominum læſione, intelligenda eſſe, per ſe liquet. Addit §. 511. moraliter factum fieri infectum diſſenſu & improbatione illius; pœnæ ſenſum elicere ſeriam peccati pœnitentiam & averſationem, qua culpa peccati aboletur.

§. 404

§. 404.

Quid & quotuplex expiatio peccati.

Expiare peccata eſt pro iisdem plene ſatisfacere, & ipſa *expiatio* non eſt niſi omnigena ſatisfactio pro peccatis præſtita. Hinc expiare vel plane piare ſua peccata dicitur, qui pœnas iisdem promeritas exſolvit, data damna reparat, quantum fieri poteſt de futura ſecuritate cavet magnisque virtutibus ea quaſi extinguit & compenſat. Expiare vero alterius peccata dicitur, qui ea in ſe recipit, tanquam ſua eſſent, quum ipſe ſit inſons, itaque præſtando & perpetiendo, quæ alter præſtare & perpeti debuiſſet, obtinet, ut alter culpa liberetur & pœna, quantum ſalva juſtitia fieri poteſt. Hæc *ſatisfactio* dicitur *vicaria*, & ratione rei *meritoria.*

In rebus civilibus ponamus alterum quocunque modo alteri debere ſeu æs alienum ſeu mulctam, alium vero fieri expromiſſorem & pro ipſo ſolvere æs alienum, ſeu mulctam, quam incurrit. Tum apertum eſt, hunc debitorem liberari ſuo debito, altero pro ipſo omnia ſolvente, ut ſit idem, acſi illi nihil debuiſſet, vel ipſum exſolvi ſua culpa, quam ſolvere nequit, & pœna. Ita ſi pro altero carceris pœnam ipſi dictatam ſubire & ſuſtinere velit, judice in hanc pœnam vicariam conſentiente; idem erit, acſi alter in carcere manſiſſet, ejusque pœnam exſolviſſet. Dari igitur poteſt vicaria ſatisfactio & in faciendis, quæ alter facere nequit, & in patiendis ejus pœnis. Requiritur autem ad expiationem vel ſatisfactionem pro altero, tum vicaria peractio eorum quæ ipſe agere vel non agere debuiſſet; tum perpeſſio eorum, quæ ipſe perpeti debuiſſet; & conſenſus rei in conditiones ipſi oblatas; ejus autem, cui debet, acceptatio vadimonii & ſurrogationis in ſe licitæ, ac data reo immunitas ab obligatione faciendi, quæ facere nequit, & impunitas propter pœnam vicariam plene datam. Inde ſequitur rei redemtio, ſoluto antilytro & peccatorum remiſſio.

§. 405.

Ratio neſcit modum peccata expiandi.

Reſtituta aut generatim ſtabilita probe religione naturali, non diſſimulandum, ſed evincendum erit, rationem ſibi relictam docere non poſſe modum peccata expiandi & ſatisfaciendi pro illis juſtitiæ infinitæ. Quia enim peccatum eſt actio legi naturali contraria (§. 440. *P. I. Phil. pract. univ.*) & transgreſſio legis (§. 139. *ibid.*) ideoque & Dei voluntati repugnat (§. 443. *ibid.*), & eſſentiæ hominis rerumque omnium ſeu totius univerſi eſſentiæ naturæ et perfectioni (§. 135. *ibid.*): non poteſt illud non pœnam mereri divinam (§. 285. *ibid.*) tum naturalem, tum poſitivam (§. 306. *ibid.*), quarum illa per ſe inevitabilis (§. 306. *ibid.*), hæc ob voluntatem perfectiſſimam (§. 368. *P. I. Theol. nat.*). Enimvero experientia teſte omnes omnino homines innumeris obnoxii ſunt peccatis; & quæcunque facta ſunt peccata, nequeunt fieri infecta (§. 28. *ſeqq. Ontol.*). Præterea eſt inter attributa Dei ipſius juſtitia vindicativa (§. 1081. *ſeqq. P. I. Theol. nat.*) qua non poteſt non homines ob peccata punire (§. 1078. *ibid.*). Cum animus hominum qui peccavit, ſit immortalis (§. 747. *Pſychol. rat.*), Dei autem juſtitia infinita (§. 1004. & 1010. *P. I. Theol. nat.*) ac æterna (§. 1013. *ibid.*) pœna peccati ſemper manet vel poſtquam cœpit eſt ſempiterna (§. 75. *ibid.*). Quam ob rem operationis non patet modus, ex promerita eaque nunquam finienda peccatorum pœna eluctandi, atque peccata expiandi vel ſatisfaciendi pro iisdem juſtitiæ Dei infinitæ (§. 404.).

De pœnis humanis ſtatuit *Plato in Protagora;* eum qui ratione punire aggreditur, non punire præteriti ſceleris cauſa, quia id aſſequi nequit, ut factum fiat infectum (ȣ γαρ αν τογε πραχθεν αγεννητον θειη). Sed futuri gratia, ut ne rurſus injuriam faciat. Idem *L. IX. de Rep.* congenitum (ξυμφυλον) vero malum & malitia unumquemque perdunt. *Cicero pro A. Cluent.* dolet, hominem ea, quæ a natura habet, vitia ſtudio etiam atque

que artificio condire solere. *Ad Atticum* vero *L. XI. Ep.* scribit: Nihil fingi potest mali, quo non urgear. Omnia tamen sunt faciliora, quam peccati dolor, qui & maximus est, & æternus.

§. 406.

Pœnitentia vitæque emendatio peccata æque expiare non possunt, ac perpessio pœnæ, sacrificia, quæ vocantur piacula deprecationesque. Pœnitentia enim vel confuse concipitur, vel distincte. Isto casu non est nisi tristitia orta ex eo, quod male a nobis factum esse arbitramur (§ 755. *Psychol. empir.*). Hoc vero infert setiam improbationem eorum, quæ male a nobis facta esse convicti sumus. Enimvero nec illa tristitia ægritudoque animi, nec hæc detestatio male facti quantumvis seria, efficere potest, ut illud non sit factum, nec ut aliter spectandum sit, atque est factum. Quemadmodum pœnitentia homicidæ facere nequit, ut ipse non sit vel non fuerit homicida, ut alter revivifcat seu adhuc vivat, ut non sit pœna dignus.

Quænam neque ant expiare peccata?

Neque juvat dixisse, pœnitentiam tamen abolere factum per dissensum a priori consensu, & seriam peccati detestationem. Licet enim consensum, qui proprie idem vult, quod vult alter (§ 658. *P. I. Phil. pract. univ.*) hic sumamus pro judicio, quo aliquid statuitur esse bonum & committendum, seu pro ipsa volitione, & dissensum pro improbatione & nolitione ejusdem; statim tamen liquet, posteriorem improbationem non tollere priorem approbationem, sed tantum ejus continuationem tum abrumpere, quum improbatio incipit & in animo fouetur. Quando mutuus dissensus abolet pactum mutuo consensu initum, etiam pristinum pactum non tollitur, sed illius ulterior approbatio tantum cessat. Vtrobique igitur pœnitentia genuina tantum nunc facit quod facere debet, & ad summum agnoscit, quod antea idem facere debuerit, do-

letque quod id non fecerit. Sed eo ipſo minime ſatisfacit vel legi violatæ, quæ non fuiſſet violanda ſed obſervanda, vel juſtitiæ pœnas idcirco irroganti aut irrogaturæ (§. 403.); nec ideo peccata expiat (§. 403.).

De emendatione vitae quamlibet ſeria eodem ſentiendum eſt modo. Genuina ſi ſit, facit quod nunc facere debet ſervando legem; ſed quod id antea quoque ſit factum tunc, cum admittebatur peccatum, præſtare nequit. Abrumpit & abrogat corruptionem tantum, ne amplius daret (§. 342. *Oecon.*). Quod quum per ſe in officio ſit, pro priſtina officii violatione ſatisdare nequit (§. 403.) neque ideo peccatum expiare (§. 404).

Pœnarum perpeſſio quidem videtur ſatisfactionem pro peccato continere, ſed non niſi tunc, quando eſt perfecta & infinita, atque ſimul cuſtodiam legum divinarum exactam continet (§. 403.). Vtrumque in peccatorem, finitum utique cadere nequit, quia abſonum eſt, ut infinita ſupplicia capiat, finitorum tantum capax, utque dum legem transgreſſus eſt, eandem ſimul non ſit transgreſſus, vel ſervaſſe dicendus ſit. Proinde etiam peccatoris perpeſſio pœnarum expiare ipſius peccata nequit.

Piacula vero qualiacunque ſint, quæ Deo offerantur, nil boni ipſi offerre poſſunt, niſi quod ſemper fuerit manſeritque ſuum, quum omnia, quæcunque ſunt condiderit Deus conſervetque (§. 763. & 843. *P. I. Theol. nat.*). De quibus quia ne quidem conſtat, an velut holocauſta immolando Deo ſint placitura: multo minus ſtatui poteſt, quod pro peccatis ſint ſatisfactura; potius contrarium patet, ea ſcilicet, peccata expiare neutiquam poſſe (§. 404.). Quæ olim typorum loco fuere, ſacrificia olim abrogata ſunt.

Deprecantibus denique immo & non deprecantibus igno-

ignoſcere debemus offenſas, & faciles eſſe ad ignoſcendum (§ 960. *P. I. Jur. nat.*). Vnde Deum idem facere, quod a nobis vult fieri, concludas. Enimvero ſi vel inter homines qui alteri ignoſcit, tantum vitioſam vindictæ cupiditatem procul habet nihilominus pœnam ab eo exigere poteſt (§. 1079. *ibid.*): quidni Deus juſtiſſimus pœnas exigere poſſet deberetque, etiamſi peccatori ignoſcat? Poteſtne judex ignoſcere furi injuriam, quam ipſi privatim intulit, & eundem tamen recte punire propter furtum admiſſum? Etſi igitur ignoſcens pœnam remittere aut mitigare poſſit, quando alterutrius rationes ſuppetunt (§. 1092. *ſeqq. ibid.*); tamen ignoſcens hoc ipſo pœnam nec remittit nec mitigat (§. 1091. *ibid.*). At quomodo Deus ſalva juſtitia ſua infinita ſe offendentibus pœnam remittere poſſit velitque, ratio humana ex ſe haurire nequit. Multo minus demonſtrare poteſt deprecationem ſatisfacere pro delictis, eaque expiare valere.

Hierocles in Carm. Pythag. pœnitentiam dixit principium ſapientiæ, ſtultorumque ſermonum & operum fugam. Quodſi erratum eſt ſpe falſa & fallaci, redeamus in viam. Optimus portus eſt pœnitenti mutatio conſilii, dixit *Cicero Philipp. XII. c. 3.* Et *Seneca* pæne innocentem vocat, quem pœnitet peccasſe. Quæ de futura emendatione pœnitentiam excipiente, dicta videntur. Ratione præteritorum autem ſeram quidem ſed inutilem pœnitentiam *Livius* vocat.

De emendatione *Cicero L. 2. offic.* ait: Deos enim placatos efficiet pietas & ſanctitas, quæ ex *Platonis* petiit *Apol.* Quem in modum etiam *Seneca Epiſt. 95.* ſcribit: vis Deos propitiare? bonus eſto; & in *Epiſt. 52.* nemo per ſe ſatis valet, vt emergat (e malis), oportet manum aliquis porrigat aliquis educat: uti *Epiſt. 10.:* roga bonam mentem, valetudinem animi, deinde corporis, roga audacter Deum? Si quis conſideret paganorum luſtrationes, februa, purgamenta, καθάρματα, & expiationes, is varia deprehendet, quibus putabant, homines a peccatis ablui

lui & purificari posse. Modo enim sacrificiis, modo pecunia, modo calamitatibus, modo suppliciis combustisque hominibus & liberis expiari scelera putabant, quæ inter græcas, romanas, hebræas aliasque antiquitates a multis enarrata prostant.

§. 407.

Ansa quærendi num Deus remittere pœnas sapienter possit.

Quæ lege naturali præcipiuntur pœnarum remissiones mitigationesque sapientes, eæ ansam saltem dant disquirendi, anne Deus quoque pœnas sapienter remittere aut mitigare possit. Nimirum remittendæ sunt pœnæ, si ex læsione facta nullum imminet periculum in futurum (§. 1092. *P. I. Jur. nat*); si emendatione non sit opus, merita vero suppetunt singularia, ob quæ alii veniam sperare nequeunt (§. 1094. *ibid.*); si majus malum metuendum sit ubi pœnæ exiguntur, quam remittuntur (§. 1095. *ibid.*); si major utilitas ex pœnæ remissione quam exactione speranda (§. 1096. *ibid.*); si aliter, quam pœnam sumendo, periculum imminens averti potest (§. 1097. *ibid.*); & si rationes, pœnæ remissionem suadentes, simul ad periculum ex læsione imminens declinandum conducunt (§. 1098. *ibid.*). Cujusmodi etiam in pœna mitiganda dari possunt (§. 1100 *ibid.*). Licet igitur in his humanæ infirmitatis impotentiæque documenta occurrant, v. c. merita singularia de judice &c; licet hic tantum agatur de pœnis humanis & temporalibus, quæ sive eludantur, sive remittantur, non sunt nisi dilationes pœnarum in id tempus, quo Deus illas sumet; licet peccator ipse satisfacere pro se nequeat (§ 405.): attamen quia vicaria satisfactio dari potest, tum in agendo, tum in patiendo (§. 403. *seq*); illa restat disquisitio, num Deus pro imperscrutabili sua scientia & sapientia, infinitaque bonitate reperire potuerit vicariam quandam expiationem se dignam?

Dum homines pœnam remittunt, hallucinari possunt, existimando dictas conditiones ibi dari, ubi non dantur; carent præscientia futuri, nec facere possunt sæpe metu injuriarum & vis

vis majoris, quæ facere mallent. Quæ cum in Deo locum non habeant, cujus scientia potentiaque summa nihil ignorat, nihil metuendum habet ab injuria vique majori, hujusmodi remittendi pœnas causæ ab ipso sunt longissime removendæ. Neque tamen in alterum extremum delapsus audiendus est, statuens deum lædi & offendi non posse propter ipsius vim infinitam. Quæ æque inepta forent, ac si quis delirus contenderet, rectores civitatis eos punire non posse, qui ipsos non læsere aut lædere ne potuere quidem. Neque ratione Dei quisquis fuerit, qui peccavit, dici potest nulla indigere emendatione nullaque satisfactione & expiatione (§. 403. *seq.*). Ea scilicet, quæ de pœnitentia, emendatione, aliisque generis ejusdem humanis persuasionibus dici possunt, in causa Dei non esse satisfactoria, vidimus (§. 406.). Forte autem quispiam dicat, metum majoris mali requirere & permissionem peccati & impunitatem saltem post longum perpessarum pœnarum tempus concedendam in universo, quo melius condi non potuerit. Alias ipsum universum fore delendum, si justitiæ Dei immutabili per hypothesin satisfieri nequit. Contra ea dicendum foret, permissionem cum pœnæ remissione neutiquam esse confundendam. Illa enim salvam relinquit justitiam vindicativam. Hæc sine satisfactione conveniente concessa eidem refragaretur (§. 405.). Quia ergo sine satisfactione & expiatione peccatorum plena remitti pœna nequit a justitia infinita, ipse vero peccator satisfacere nequit (§. 406.); solum de expiatione vicaria, num qua dari possit, quæstio restat.

§. 408.

Spes vicariæ expiationis hominum.

Quia homines recte remittunt pœnam & culpam alterius, si quis eam suscepturus se offerat pro ipso ea & acturus & passurus licite, quæ ille agere & pati debuit sed aut noluit aut nec potuit (§. 404): minime potest summam Dei scientiam, sapientiam, bonitatem potentiamque superare cum investigatio (si pro nostro captus modulo sic loqui licet) & perspicientia omnium, quæ eo facere & valere possent, tum pronitas bene-

benevolentiæ ad utendum ejusmodi ſubſidio, & electio ejus, quod maxime ſe deceret, tum electi remedii ſeu efficientia ſeu applicatio ſapientiſſima deſtinatioque in hominum ſalutem. Quare *poſſibilis non tantum, ſed & probabilis videtur ſpes expiationis peccatorum hominibus permiſſorum vicariæ & Deo dignæ.*

Fingamus familiam nobilem feudi loco accepiſſe principatum integrum, ſed felonia admiſſa omnes excidiſſe eo præter unum, cui ſoli jam traditur, cæteris hujus arbitrio traditis, ut reſipiſcentibus ſi quid ex principatu concedendum putet, id precibus ſuis a rege ipſis impetrandum ſit, ſed non habendum niſi propter morigerum principem illiusque & regis meram gratiam, certis conditionibus adſtrictam. Id ſi contingere & fieri ſapienter poſſet, quidni de Deo excelſiora multo cogitemus? Dedit hominibus principatum, prævidit eos crimine in illius autorem donatoremque commiſſo illum eſſe perdituros. Quid ſi unum id non eſſe facturum, ſed manſurum in officio perſpexiſſet, dignum ideo, cui totus relinqueretur principatus, dignum, cujus precibus id daretur, ut totos ſe ipſi tradentes & adjungentes in ſocietatem principatus recipere poſſet, ut ſic per & propter ipſam duntaxat amiſſa jura recuperarent vicaria ejus expiatione? Hoccine quoddam foret rudimentum noſtri caſus, præſertim ſi addamus, illum pro recipiendis quibusque cognatis ſuis pœnam a rege dictatam plane exſolviſſe v. c. ſuis viribus hoſtium irruptionem cum ipſorum internecione reprimendo. Evidentiſſimum eſt, hic plurima deeſſe, quæ ad expiationem vicariam requirerentur. Sed quæ finitus intellectus excogitare, quæ finita vis dare redemturo expiandos nequit: ea infinitæ vi pariter defutura eſſe, nulla dari poteſt apodixis. Potius ſpes non vana ſupereſt, eum, qui omnia præſtare valet, nec huic remedio, quod contradictionem involvere a nemine oſtendi poteſt, imparem fore.

§. 409.

Ejusque revelationis. *Poſita ſpe expiationis vicariæ, indubium eſt, Deum illam hominibus patefacere poſſe & velle.* Poſita enim ſpe expiationis hominum

minum vicariæ Deo dignæ, hujusmodi expiatio & poteſt dari, & probabilis eſt illius a Deo electio & deſtinatio in hominum ſalutem (§. 408). Enimvero quæ Deus perſpecta habet, ea quoque ipſum hominibus revelare poſſe evictum habetur (§. 449. *P. I. Theol. nat.*), neque minus exploratum habemus, eum cuicunque tantum boni dare velle, quantum ſalva ſapientia fieri a ſumma bonitate poteſt (§. 698. *ibid.*). Quare cum non niſi ſaluti hominum deſtinetur vicaria & Deo digna peccatorum expiatio (§. 408.): nec Deus velit niſi quod eſt optimum & in ſe, & ratione totius univerſi, & Dei ipſius (§. 383. 385. & 393. *Theol. nat. P. I.*): dubitari nequit, Deum expiationem hominum vicariam, quam ut ſe dignam admittere & patefacere ipſis poteſt, etiam pro ſumma ſua bonitate ipſis velle manifeſtare. Poſita igitur ſpe expiationis hominum vicariæ & Deo dignæ, ſpes quoque patefactionis illius una habetur.

Poſſunt quidem nonnulli his obvertere angelorum lapſum, quorum peccati expertes tamen lapſos redimere non poſſint, eo quod quidquid agere valent jam per ſe Deo debent; prætere a ſi vel reperiri lytrum poſſet, homines tamen eodem ſe ſua culpa indignos reddidiſſe, ut illud iis nequaquam ſit indulgendum ſed poenæ loco denegandum. Verum hæc in mentem venire nequeunt iis, quibuscum hic res eſt, revelationis ignaris. Deinde tota illa diſcuſſio de angelis non expiandis, aliena ab hoc loco iis relinquenda, quorum eſt divinas literas interpretari. Ad ea, quæ huc revocari poſſent, jam in nota ad §. 408. reſponſum eſt, licet innocens, omnia quæ valet Deo unice debens, ipſi pro nocente ſatisfacere nequeat, tamen de eo nunc non quæri, ſed quid præterea hic divina ſapientia, captum humanum longiſſime tranſcendens, reperire potuerit. Contra quod hæc objectio nihil valet. Sola indignitas ſi poſſet urgeri, nemo reperiretur ullo eorum dignus, quibus nullo ſuo merito, nec vacuus jam a peccatis tamen eſt donatus, tamen in eorum fructu conſervatur. Spem reperiundæ revelationis divinæ accendit

cendit & auget paſſim inter homines recepta quædam revelatio divina.

§. 410.

Quomodo inveſtiganda ſit genuina revelatio divina.

Scrutandum igitur, proſtetne usquam revelatio, divinitatis ſuæ criteria exhibens, & inter illa quoque Deo dignum expiationis humanæ modum? Etenim quia poſita ſpe expiationis dubium eſſe nequit, quin Deus illam patefacere & poſſit & velit (§ 409.): noſtræ ſalutis cura, qua nihil homini carius eſſe debet, flagitat, ut ſolicite disquiramus, ubinam gentium ejusmodi revelatio habeatur. Quare quum in variis populis ſint, qui ſpe revelationis inducti quidpiam venditant & recepere pro oraculis divinitus ſibi patefactis, hiſtoriæ & antiquæ & recentioris teſtimonio: adhibenda ſunt genuina revelationis divinæ criteria, ad ſpuriam a vera internoſcendam. Vera autem revelatio divina homini dari certaque fieri non potuit absque miraculis (§. 450. *P. I. Theol. nat.*), continere præcipue debet homini ſcitu neceſſario nec alio modo pervia (§. 451. *ibid.*), nec attributis divinis contraria (§. 452. *ibid.*) libera a repugnantia (§. 453. *ibid.*), myſteria (§. 463. *ibid.*) non tamen rationi vel experientiæ certæ adverſa (§. 464. *ibid.*) inde nec contradicentia veritatibus neceſſariis (§. 466 *ibid.*) vel legi naturæ & animæ eſſentiæ atque naturæ refragantia (§. 467. *ibid.*) modo etiam Deum decente revelata, ut per ſomnium ſupernaturale (§. 469. *ibid.*) per viſionem ſupernaturalem (§. 487. *ibid.*), talem apparitionem & ecſtaſin (§. 476. & 488. *ibid.*), per verba nec plura nec pauciora, quam quibus eſt opus (§. 492. *ibid.*), eaque minime inania (§ 493. *ibid.*) ſed intelligibilia aut uſu recepto aut rerum intuitu (§ 494 *ibid.*), ſtilo etiam decoro (§. 496. *ibid.*). Vt tamen pateat, quid præcipuum inter imperia rationi argumentum eſſe debeat, diſerte addenda his videtur futurorum fortuitorum prædictio ſic adimpleta, ut cæte-

rorum

rorum impletio æque ſit expectanda, & præſertim ratio expiandi hominum peccata Dei majeſtatem decens (§. 408. *ſeq.*). Relinquitur ergo ex adductis, ſcrutandum eſſe hominibus ſalutis ſuæ & expiationis cum Deo cupidis, ubi & quænam inter venditatas revelationes divinas, habeat genuina divinitatis criteria, modumque expiationis humanæ Deo dignum pandens?

Neque tamen opus erit, ut ſemper omnia divinitatis criteria urgeantur, ſed ſufficiet, ſi pro captu rudiorum illa prius ſola inculcentur, quæ ipſis ſint faciliora & palpabiliora, item aptiora ad eos erroris ſui convincendos. Quod enim fieri ſaltem ab initio poteſt paucioribus, id cur pluribus ſit adipiſcendum, ratio nulla eſt. Vbi deinceps uſus fert, ut alia addantur, illis ſuo tempore utendum erit. Eundum ſcilicet ſapienti eſt, via breviſſima, quæ poteſt haberi.

§. 411.

Quid ex ejus criteriis ſit deducendum?

Ex perſpectis divinitatis criteriis dilucide derivanda eſt & falſitas patriæ aut vicinæ, ſi qua crepatur, revelationis, & veritas revelationis, qua chriſtiani gaudent, hinc & religionis eidem ſuperſtructæ. Inter ſolida divinæ revelationis criteria & documenta habentur miracula, myſteria, vaticinia, & modus expiationis peccatorum Deo dignus (§. 410). Ex horum defectu in falſa & ſpuria revelatione, facile ob oculos ponetur illius fallacia; uti ex eorum copia in revelatione chriſtianorum hujus indubia veritas poterit derivari. Cui revelationi cum ſuperſtructa ſit religio, tum falſitas cæterarum, quæ obmoventur tum veritas chriſtianæ religionis, indidem erit deducenda. Proinde utendum eſt genuinæ revelationis divinæ criteriis ad falſitatem ſpuriæ ſeu revelationis ſeu religionis, cum qua res eſt, & veritatem chriſtianæ religionis evincendam.

Si qua occurrant alia principia, conceſſa in civitate, e quibus derivari veriora poſſint, quin & illis ſit utendum pro re

(*Wolfii Politicæ P. I. C. V.*). Aa a nata,

nata, dubitari nequit. Quemadmodum Paulus Athenis usus est altari ignoto Deo dicato, ad ostendendum, hunc ignotum Deum esse & creatorem & conservatorem totius universi, eum a se doceri. *Actor.* XVII, 23. *seqq.* Par ratio foret, si tam perversa in paganismo vel superstitione hominum occurrant, ut vel ipsimet his modis nollent tractari vel placari ab aliis, &c.

§. 412.

Quibus auxiliis ea in re utendum?

Opus est in hunc finem, & libris & vivis doctoribus, & beneficentia liberali, & prudentia conveniente. De veritatibus enim naturali modo convinci homines nequeunt, nisi ut ipsis seu a vivis doctoribus, seu librorum ope recte explicentur & probentur, prudenterque ea adhibeantur subsidia, quæ ad tollenda impedimenta, & ad eliciendum assensum aptiora, aut personis locis temporibusque accommodatiora deprehenduntur, denique etiam si liberalitate adhibita non nisi alterius felicitas spectari intelligatur. Quod ex antecedentibus, ipsaque experientia satis superque constat. Quare quantum humanis viribus ad revelationem genuinam, religionemque christianam in alias civitates transferendam fieri potest, id pariter redibit ad vivos doctores ejusdem, ad libros eam luculenter exponentes, ad liberalem beneficentiam egenos sublevandi, & ad prudentiam eo in negotio recte collocandam (§. 402).

Quæ supra de hisce subsidiis religionem naturalem provehendi adnotavimus, ea suis locis reperiri, & quatenus hic usui esse possunt, poterunt applicari. Nec tantum prudentiæ naturalis ratio hic habenda est, per quam nemo sua culpa se periculis exponere debet, quibus & sibi & bonæ causæ nocet; verum etiam prudentiæ, ab ipso Christo Apostolis cæterisque sectatoribus suis præscriptæ. Cujusmodi est illud: margaritas non esse porcis objiciendas, ipsos discerpturis. Quæ merito relinquimus illis, quorum curæ ea sunt demandata, ne quid more Pharisæorum Proselytos captantium ambitioso fiat *Matthæi* XXIII,

XXIII, 15. Sufficit enim hic præparationem ad ulteriora, & quandam velut manuductionem exhibuisse.

§. 413.

Cujus esse debeat illa liberalitas?

Si rectores civitatis liberalitati erga exteras civitates non sufficiant, aliorum est opibus abundantium, in hanc partem pietatis venire suaque symbola conferre. Neque enim rectores civitatis ubique opibus abundant, ut his sufficere possint sumtibus in exteros faciendis. Tum quia ultra vires suas nemo obligatur (§. 209. P. I. *Phil. pract. univ.*), hoc officium ad eos redit, in quorum est potestate. Sed in eorum potestate id esse, qui opibus abundant, ut suas symbolas huc conferant, extra dubium est positum. Et quo plus in eorum potestate est, eo cæteris paribus magis obligantur (§. 178. *seq. P. I. Phil. pract. univ.*). Eapropter si rectores civitatis liberalitati largæ erga exteras civitates non sufficiant, aliorum erit opibus abundantium, in hanc pietatis publicæ partem venire, suaque symbola conferre.

Varii occurrere possunt casus hujus officii, aliis civitatibus exhibendi. Aut enim unius civitatis tantum vel potissimum interest, ut gloriam Dei illustrando alterius fidem amicitiamque sibi religionis christianæ firmamentis comparet & obstringat, aut plurium. Isto casu si rectores civitatis non sufficiunt suppeditandis hisce sumtibus, commendabunt hoc opus suis civibus, qui in istum finem aliquid conferre possunt & volent, eosque privilegiis instruent ad omnia quam optime in istum finem comparanda. Hoc pacto ante sæculum, & quod excedit, commodo novæ Angliæ in comitiis ab ordinibus regni Angliæ adhortati fuere, qui ad religionem christianam ibi plantandam symbola conferre possent, ad id faciendum. Vnde piis symbolis procurata fuit versio Bibliorum sacrorum impressa, subsistitque etiam nunc ibi societas publica autoritate approbata prædicandi paganis verbi divini. Neque ignota sunt similia aliorum instituta. Altero autem casu, ubi unius non magis refert quam aliarum civitatum, religionem sanctiorem & aliorum sa-

luti adhiberi, plurium symbolæ civitatum recte colligi & ad scopum rite consequendum destinari possunt. Si cui oboriatur dubium, an argentum recte exportetur e civitate, religionis causa: ei partim pensitandum foret, omnem pecuniæ usum recte se habere, qui non sit nisi officii explendi causa; partim multo plus exportari ob alias frivolas rationes; partim non tantum religionis causa, quæ sola id per se mereretur, sed & fidem, pacem amicitiamque in commerciis exercendis ita stabiliri. Quæ non possunt non magno usui esse, & compensationi amplum aperire campum. Neque sic expendens omnia a civili prudentia abhorrere deprehendet hoc genus expensarum, etiamsi nullam faciamus mentionem compensationis pietatis divinitus obtinendæ.

§. 414.

Quid de usu autoritatis & virtutis habendum?

Quanquam nulli civitati jus est, alteram vi adigendi ad suam religionem amplectendam (§. 259. *Jur. Gent.*), aut eandem religionis causa imperio suo subjiciendi (§. 260. *ibid.*); attamen naturaliter obligatur, ut conferat quidquid conferre valet ad aliis persuadendam veram religionem (§. 261. *ibid.*). Hinc cum civitates vicinæ suo exemplo sinceræ pietatis & virtutis veræ religionis præstantiam approbare, suaque autoritate multum præstare possint, quin his utendum sit, ambiguum haberi non potest. *Quidquid igitur autoritate & virtute sua conferre possunt civitates probæ ad amabilem reddendam religionem christianam civitatibus ab illa alienis, id conferre jugiter junctim & unanimiter debent, procul amotis privati tantum commodi causis.* Eadem quoque autoritate pro religionis suæ sociis, in alia civitate inique habitis, enixe potest intercedere (§. 258. *Jur. Gent.*).

Quemadmodum singulorum hominum autoritas apud alios nititur virtutum mentalium moraliumque præstantia, qua tanti aliis videntur, quorum sententiam persuasionemque sequantur; ita & civitatum apud alias civitates autoritas pariter nititur rectorum præcipuorumque civitatis membrorum in omni virtutum

tum & felicitatis genere gradu eminente. Vnde perspicitur, quanti sit, si civitatis fama & gloria magnam illi apud alias civitates pepererit autoritatem. Ad quam si & virtutis bellicæ laus, & potentia non vulgaris, pluriumque civitatum consociatio accedat: magnum pondus istiusmodi autoritatem habituram esse, ad persuadenda solidæ pietatis omnisque virtutis reliquæ fundamenta, non est ambigendum.

§. 415.

Quando ferendus sit contemtus religionis christianæ?

Quoniam tamen ferendum est, si qua civitas persuasionibus adduci se non patiatur ad religionem christianam amplectendam (§. 261. *Jur. Gent.*): compelli nulla civitas potest vel debet, ad missionarios, quos vocant, christianorum, eorumque libros admittendos, aut in sua regione tolerandos. *Ferendus igitur quoque est contemtus religionis christianæ in illis civitatibus, quæ ab ea sunt alienæ, nec adduci se licitis modis patiuntur ad eam vel amplectendam, vel duntaxat tolerandam.* Ferendus eodem casu erit paganismus, aliusve error religionis, cui civitas mavult inhærere, quam nuntium mittere.

Nimirum quando privatus homo suo satisfecit officio in altero ab errore suo liberando, sed alter spernit omnia, quæ ipsi suggeruntur argumenta, ad refutationem erroris perapta; tum extra culpam est positus, nec nisi sibi vitio vertere potest alter, quod noluerit errore liberari. Cum civitates inter se sint, ut homines singuli in statu naturali (§. 2. *Jur. Gent.*): quando una vel & omnes huic officio, eripiendi alteram ex suis erroribus satisfecere, vacant & ipsæ culpa. Quod cum larga sit materia lætandi, permittere alteri civitati debent, uti Deus permittit, abusum suæ libertatis, donec forte suo damno impulsa saniorem induat mentem.

§. 416.

Num ferendum, si vel insontes mis-

Licet nulli civitatis jus sit, alterius missionarios puniendi, vel male tractandi, nisi publicam quietem turbaverint, aut discedere jussi refractarios se præbuerint, discedere nolentes

ſionarii enecentur?

tes (§. 262. *Jur. Gent.*): *ferendum tamen erit, ſi vel inſontes miſſionarii precario admiſſi puniantur aut ſupplicio afficiantur.* Aut enim miſſionarii privato auſu ingreſſi ſunt aliam civitatem, aut indultu quodam impetrato aditus ipſis eſt conceſſus. Priori caſu civitas, quæ eos admittere non vult, poſtquam accepit eorum adventum, ſi nolit eos tolerare, poteſt jubere, ut illico e terris ſuis diſcedant, atque illi juſſui erit obtemperandum. Si vero eos apprehenſos cuſtodiæ det, accuſans eos ſeductionis populi a religione patria, & turbatæ quietis publicæ &c. atque ſic eos gravi pœnæ aut ultimo ſupplicio ſubjiciat; non ſine ſpecie recte ſe egiſſe contendet, licet ſua abutatur libertate. Si quoque aditum ipſis indulſerit & ſpem quandam ſecuritatis fecerit, tamen in proclivi erit avitæ religionis amatoribus multa illis affingere, quæ falſa ſunt, rudique plebe vel & magiſtratu concitatis uti ad eos duriter tractandos vel enecandos, prout primis chriſtianæ religionis præconibus inter Judæos pariter atque gentiles uſu venit.

Si rudiores nihil aliud convincere de eo poſſet, quod hic ſtatuitur, ſacra tamen & profana hiſtoria conſentiunt, ſub primordia religionis chriſtianæ vel injuſtiſſima afflictionum, cruciatuum & ſuppliciorum genera patienter pertuliſſe primævos præcones. Quo exemplo quid legi divinæ conſentaneum ſit omnes ſuos poſteros edocuere; præeunte divino ſoſpitatore eodemque doctore, quid in ejusmodi caſibus ſit faciendum fugiendumque. Forte dicat quispiam, ſi contumeliis afficiantur miſſi ab altera gente religionis cauſa, hoc idem eſſe, ac ſi legati alterius civitatis ita eſſent violati, neque ſatisfactio aliter obtineri poſſet. Hoc enim caſu bello punitivo locum eſſe (§. 626. *Jur. Gent.*). Aliter vero rem habere, levis attentio docebit. Neque enim ex officio humanitatis miſſi doctores pro legatis haberi poſſunt, communis publici negotii cauſa a rectore civitatis ad aliam civitatem amandatis (§. 1041. *ibid.*). His enim demandantur officia civitatum erga ſe invicem, illis propoſita ſunt officia

erga

erga Deum & alterius civitatis erga se ipsam. His curantur officia necessitatis, & perfecta, pactis scilicet formanda, aut ex delictis oriunda; illis tantum officia imperfecta & meræ humanitatis æquitatisque. Aequum est, ut una civitas alterius felicitati tribuat, quod salvis officiis in se ipsam fieri potest, & si id facere nolit, iniqua, non vero injusta est in alteram & ne quidem iniqua, si altera respuat vel admittere nolit istam gratificationem. Cum enim beneficia nemini sint obtrudenda (§. 200. P. IV. *Jur. nat.*). Neque hoc invitis dandum est.

§. 417.

Si vero inito pacto missionariis securitas sit promissa, & nihilominus violentur, tum reparatio injuriæ procuranda erit, uti in aliis pactis violatis. Inito enim pacto adest jus perfectum, quod utique servandum & neutiquam violandum est (§. 789. P. III. *Jur. nat.*). Cum non minus a civitatibus, earumque rectoribus inita pacta sint servanda, quam pacta privatorum hominum, in statu naturali degentium (§. 376. *Jur. Gent.*): utique civitas pacta violans, alteri injuriam facit (§. 378. *ibid.*), & de injuria, quæ reparari nequit, satisfacere obligatur (§. 566. *ibid.*). Etsi igitur injuria irreparabili facta, aut quam reparatum iri sperari nequit, illi civitati, cui injuria est facta, non licet par pari referre (§. 578. *ibid.*) jus tamen puniendi illam ex æquitate pro meritis illi non est denegatum (§. 580. *ibid.*). Quam ob rem si obsides sint dati vel ob aliam causam, illi tamen & ob hanc retineri possunt (§. 503 *ibid.*), atque minis adigi, ut satisfactionem præstandam urgeant. In aliis casibus pro re nata dispiciendum erit, num repressaliis aut androlepsiæ locus ad obtinendam satisfactionem (§ 581. 589. & 593 *ibid.*), an si aliter satisfactio speranda non sit, quam si vi armorum extorqueatur, an prudentiæ sit, bellum suscipere (§. 630. & 636. *ibid.*) nec ne? Perspicuum ex his est, si inito pacto missionariis sit securitas promissa, & nihilo secius violentur, tum satisfactionem

Nisi pacto ipsis securitas sit promissa.

nem de injuria irreparabili æque ac in aliis pactis violatis esse quærendam, habita tamen debita prudentiæ ratione.

Vix aut raro hujusmodi pactum solius religionis causa initur; cum aliis tamen pactis fœderis commerciique illud conjungi posset, vel magis firmandorum pactorum causa, si consentire in id altera civitas velit. Facile enim ostendi tum ipsi potest, & propriæ salutis rationem, & fidei sanctius & inter cives & cum exteris servandæ inservire religionem christianam plus quam ullam aliam. Quam ob rem si & altera civitas sibi optime prospicere, se & de sua fide servanda majorem fiduciam aliis præbere velit, id rectius facturum non esse, quam adoptata religione, divinitatis criteria summa continente. Cui tamen rei nil magis obstare solet quam præjudicium per omnes civitates pervagatum inveteratumque, propria & avita sua instituta uti in aliis, ita quoque in rebus ad religionem pertinentibus, cunctis cæteris præstare. A quo quamdiu animus avocari liberarique non poterit, exigua aut nulla spes felicis successus apparebit. Hinc quæ huic præjudicio tollendo sensimque infringendo directe aut indirecte in rebus aliis adhiberi poterunt, ea prudenter erunt præmittenda, ulteriusque applicanda.

§. 418.

Quæ officia & irreligiosis civitatibus debeantur?

Tantum vero abest, ut bellum pœnæ causa sit temere suscipiendum adversus civitatem, quæ jus naturæ immuniter violat, aut in Deum delinquit (§. 637. *Jur. Gent.*), sive quia atheismum profitetur aut Deismum; aut idololatriam (§. 638. *ibid.*); ut potius errores circa religionem sint judicio divino relinquendi, & civitati alteri debita officia propter religionis diversitatem minime sit deneganda (§. 263. *ibid.*). Hinc *civitatibus vel a religione christiana aut naturali aberrantibus alienisque pacta & officia humanitatis fere haud secus præstanda sunt, acsi religione gauderent debita.* Gradus tamen dilectionis charitatisque majores provocantur a majori gradu virtutum in civitate conspicuarum, qui illos meretur. Vnde & hoc invitamentum est, ad majo-

majores officiorum gradus promerendos, ut non ſolum in virtutibus erga alias civitates, ſed & erga Deum excellere nitatur.

Neque enim neceſſe eſt, ut civitates in officiis erga Deum deficientes, ideo quoque deſint ſuis erga alias civitates officiis, quæ ob alias rationes neceſſaria ſibique utilia eſſe animadvertunt. Quo caſu æquiſſimum eſſe patet, ſi aliæ civitates officiis pactorum humanitatisque litant, ut reſpondeat ipſarum ſpei officiorum viciſſitudo: ſin præter irreligionem etiam deſint officiis erga alias civitates, nec tamen propterea par malum pari eſt referendum (§. 809. *P. I. Jur. nat.*), ſed opera potius danda, ut bene faciendo ad meliorem frugem revocari poſſit, ſicubi juſta pœna aut defenſione opus non eſt.

POLITICAE P. I.

CAPUT VI.

DE ISOCRATIAE PRUDENTIA REGIMINIS.

§. 419.

In *Iſocratia quælibet civitas id ipſum ſibi debet, quod ſibi debet quilibet homo in ſtatu naturali.* Quælibet enim civitas ſpectanda eſt ut quælibet perſona libera, ſeu quilibet homo in ſtatu naturali (§. 2. *Jur. Gent.*). Sed quilibet homo in ſtatu naturali obligatur ad omnia officia erga ſe ipſum obſervanda, vel ad regendas ſuas actiones, ideoque ſeipſum ſecundum leges Dei naturales (§ 352. *Oecon.*), & ad conjungenda rite officia erga animum, corpus & ſtatum externum (§. 170. *P. I. Jur. nat.*). Quapropter etiam quælibet civitas obligatur ad obſervanda offi-

Quid in Iſocratia quælibet civitas ſibimet debeat?

officia Juris naturæ erga se ipsam, & ad ea nequaquam divellenda, sed debite conjungenda. Quemadmodum igitur quilibet homo moralis in statu naturali consideratur ut subjectum obligationum atque jurium (§ 70. *ibid.*), & propter ea jura & officia alteri æqualis censetur (§. 78. *ibid.*): sic & quælibet civitas moraliter spectatur ut simile subjectum jurium & obligationum; & quum omnes civitates degant inter se in isocratia statuque æqualitatis, eadem omnibus sunt jura & officia. Quia igitur quilibet homo & quælibet civitas in statu naturali eadem habent officia & jura: relinquitur, in isocratia quamlibet civitatem id ipsum sibi debere, quod sibimet quilibet homo debet in statu naturali.

Enarratis potioribus officiis erga Deum in Isocratia, quorum in officiis primæ esse debent partes, jam progredimur ad officia civitatum erga se ipsas in eadem breviter attingenda. Complectimur ergo hic virtutes præcipuas, quas quælibet civitas ut membrum maximæ civitatis, erga se ipsam, tum & erga alias civitates exercere debet, sub *prudentia regiminis* erga se & alias. Si uberior discussio illorum necessaria fuit, eo quod vulgo in politicis altum de ipsis silentium observatur; horum brevior summa cum propter id ipsum, ne hæc doctrina in librum excrescat, erit ineunda, tum quoniam præstructa de his pleraque deprehenduntur in *Juris Gentium cap. 1.* & in *Ethicis*, ut reliqua facile inde derivari possint. Nonnulla quoque nexus rerum in antecedentibus postulavit, nunc non repetenda.

§. 420.

Quælibet civitas se ipsam conservet & perficiat.

Quia quælibet civitas sibi id ipsum debet, quod sibi debet quilibet homo in statu naturali (§. 419.); sed quilibet homo se ipsum conservare & perficere obligatur (§. 180. p. I. *Jur. nat.*): *quælibet ergo civitas quoque se ipsam debet conservare* (§. 31. *Jur. Gent.*), ideoque durationem suæ consociationis curæ cordique habere (§. 28. *ibid.*), ea diligenter curare, sine qui-

quibus conservari nequit (§. 32. *ibid.*) & periculum interitus a se avertere, evitatis prudenter illis, quæ illum parare & afferre possunt (§. 33. *ibid.*) Præterea quia perfectio civitatis redit ad ipsius habitum dexteritatemque finem suum consequendi, eumque statum, in quo nihil eorum desideratur, quæ ad salutem omnigenam obtinendam faciunt (§. 29. *ibid.*), *unaquæque civitas quoque se ipsam statumque suum quantum valet perficere obligatur* (§. 35. & 180. *ibid.*) itaque cavere & evitare omnia, quæ ipsius perfectionem quomodocunque impediunt, vel ejus statum deteriorem reddere possunt (§. 36. *seq. ibid.*). Quod jus atque officium civitatem conservandi perficiendique potissimum est penes rectorem civitatis (§. 38. *seq. ibid.*).

Sicuti homines singuli obligantur ad officia erga animum, corpus & statum externum (§. 169. *P. I. Jur. nat.*) & peccant, si negligunt culturam animæ & corporis, præ cura status externi, vel vice versa, aut corporis tantum dediti sunt deliciis cum neglectu officiorum erga mentem & statum externum (§. 171. *ibid.*): ita quoque civitates eodem modo obligantur ad officia erga mentem, corpus & statum externum singulorum civium provehenda, unde resultat, quod universis est tribuendum in civitate; item ad cavendum, ne secundariæ tantum salutis publicæ ratio habeatur, cum primariæ neglectu (§. 49. *sqq.*). Quidquid enim præcipuis v. c. rectoribus aut & plerisque in civitate aut inest aut deest, id universæ civitati inesse vel deesse dici solet, nec immerito, quum hi cæteros regere, & in votis prævalere nitantur (§. 39. & 43. *seq. Jur. Gent.*).

§. 421.

De civitatum cognitione sui ipsius.

Si quælibet gens se ipsam statumque suum cognoscere debet (§. 40. *Jur. Gent.*) & in primis rectores ejus ad hoc obligantur (§. 41. *ibid.*): *in isocratia quælibet civitates, ad se ipsas statumque suum probe cognoscendum obligantur;* quia gentes notant multitudinem hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *P. VIII.*

VIII. Jur. nat.). In primis earum rectoribus studendum est, ut se, gentem suam, statumque ejus omnem probe habeant perspectum. Hinc & conditionem regionis, omniumque locorum ejusdem explorare debent, ut & incommodis illorum, quantum datur, occurrere, & commoda promovere ac augere possint (§. 42. *Jur. Gent.*). Quam cognitionem & ad statum internum animi & corporis civium, & ad statum externum seu fortunæ, rerumque cum secundarum tum adversarum porrigendam esse liquet.

§. 422.

De amplianda civitatis fama & gloria.

Quæ in civitate extantiora habentur aut bona aut mala, in qualibet rerum classe & quolibet vitæ genere, ea civitati in universum tribui consueverunt (§ 43. *Jur. Gent.*). Quare quilibet civis non modo sibi sed & civitati suæ hoc debet, ut se statumque suum pro virili perficiat, suoque labore sic defungatur ut finem, quem sibi habet propositum, ex asse consequatur, ideoque in suo vitæ genere excellat (§. 44. *ibid.*). Quemadmodum igitur quilibet, præsertim vero rector civitatis cavere debet, ne quid fiat, quod civitati dedecus afferat (§. 45. *ibid.*): ita *omnibus opera est navanda, ut pro virili famæ ac gloriæ suæ civitatis amplificandæ inserviant virtutum operumque præstantia* (§ 46. *seqq. ibid.*). Quod quia rectius fieri nequit, quam si singuli gloriam merere, suasque actiones simul ad gloriam suæ civitatis & patriæ accurare nitantur: patet in hæc singula civitatibus earumque rectoribus esse incumbendum.

§. 423.

De studio scientiarum & artium promovendo.

Quia civitas docta vocatur, quæ virtutibus intellectus floret, & culta, quæ morum probitate & elegantia conspicua est (§. 53. *Jur. Gent.*), & in contrario casu civitas indocta & inculta seu barbara audit: planum esse nemo negaverit, famæ gloriæque studium, civitatibus incumbens (§. 422.) requirere, ut

ut civitates earumque rectores barbariem e civitate sua, quantum pote, eliminare, suæque civitati famam doctæ & cultæ civitatis conciliare laborent (§. 54. *ibid.*). Quapropter *in excolenda mente non tantum imbuendus est animus scientiis & artibus*, ad salutem civitatis necessariis, prout ipsius regio, clima, & copia rerum a natura obtinendarum præcipue fert, *earumque perfectione, sed & virtutibus moralibus quibuscunque, ultra vulgarem sortem evehendis*, suppeditanda sunt quæcunque haberi possunt invitamenta ornamentaque.

§. 424.

Dum cuilibet civitati jus est, eas res, quibus abundat, aliis vendendi, quæ illis egent, & eas quibus indiget, ab aliis civitatibus, quæ illis abundant, æquo sibi pretio aut æqua permutatione comparandi, & ad illud perficiendum, civitatum, quarum interest, consensus requiritur (§. 58. *Jur. Gent.*): argumentis idoneis obtinendus palam est, si qua civitas cujusdam officii causa nolit res peregrinas in suam regionem transportari, ideoque advectionem & venditionem earum prohibeat, illam alteri nullam facere injuriam (§. 59. *ibid.*). Pariter revocari possunt commercia concessa tantum aut precario indulta (§. 195. *ibid.*). Hinc ne id metuendum sit oblatis æquis conditionibus *commercia civitatum salutaria pactis sunt firmanda, & ex pactorum tenore exercenda.* *Commercia civitatum salutaria pactis sunt firmanda.*

Commercium infert jus liquidum emendi vendendique sibi invicem bona mobilia non sine utriusque civitatis emolumento (§. 60. *Jur. Gent.*). Vna quæque enim civitas in commercio studet ea adquirere, quibus indiget, & ea aliis impertiri, quibus non indiget seu abundat. Adquirit igitur res peregrinas, ad suam vel necessitatem, vel commoditatem, vel jucunditatem vitæ facientes, quod suo commodo fieri, manifestum est. Præterea vero ea, quibus ipsa non indiget, sed ita abundat, ut parum illi prodessent, cum majori emolumento & quæstu suo

 alii

alii civitati vendit, aut ſuis aliisque ſibi utilioribus permutandis operam impendit. Hinc ſalutaria commercia eſſe quæſtuoſa patet.

§. 425.

Cur in commerciis ſtudendum ſit æqualitati.

In commerciis internis æque ac externis ſtudendum eſt æqualitati, quantum fieri poteſt. Commercia enim continent jus permutandi, emendi vendendique, prout uſus officiorum poſtulat (§. 60. *Jur. Gent.*). Sed permutatio, item emtio venditioque ſunt contractus oneroſi (§. 879. & 937. *P. IV. Jur. nat.*). In contractibus vero oneroſis inter æquales obſervanda eſt æqualitas (§ 898. *ibid.*). Hinc & in permutatione, & in emtione ac venditione, qua tali, is eſt animus contrahentium, ut obſervetur æqualitas (§. 976. & 920. *ibid.*); & ſi quid ſecus fiat, contractus eſt mixtus ex oneroſo & benefico, vel ex parte altera eſt oneroſus, ex altera beneficus (§. 624 639. *ſeq. P. V. Jur. nat.*). Jam civitates degunt in ſtatu naturali, ac inter ſe æquales ſunt morali æſtimatione ſaltem in commercio, & ſibi invicem tantumdem præſtare poſſunt (§. 16. *Jur. Gent.*), etiam cives, quatenus permutare aut emere & vendere volunt, & hoc tantumdem ſibi invicem præſtare poſſunt ac debent, internomine æquales cenſentur. Eapropter in commerciis internis æque ac externis ſtudendum eſſe æqualitati, quantum fieri poteſt, non eſt inficiandum.

Aliter illud ſic evincetur: Quia nemo hominum naturaliter obligatur ad perfectionem alterius ſtatusque ipſius ea conferre, quæ ipſemet facere aut ſibi præſtare poteſt (§. 232. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), neque jus habet, talia ab altero petendi (§. 233. *ibid.*): nulla etiam civitas obligatur ad id præſtandum, quod ipſa ſibi præſtare valet, neque talia petendi jure gaudet (§. 2. *Jur. Gent.*). Si præterea nemo ex re alterius debet locupletior fieri (§. 678. *P. IV. Jur. nat.*) cum damno alterius

rius (§. 585. *P. II. Jur. nat.*), sed, hoc casu potius restituere obligatur id, quo factus est locupletior (§. 586. *ibid.*): utique & civitas nulla in commercio cum damno alterius se debet locupletare. Jam quia ea est tantum non omnium civitatum conditio, ut possint ea compensare, quæ contractu oneroso ab aliis civitatibus adquirunt, & illa civitas procul dubio commercium abrumpet, quæ sentit ex eo alteram cum suo damno locupletari, quod & æquitati & æqualitati civitatum naturali repugnat: manifestum est, frequentandi perpetuandique commercii causa necessum esse, ut æqualitati civitatum commercantium, quantum fieri potest, studeatur.

Vix deerunt, quibus paradoxum videatur, quod hic asseritur. Habebunt enim commercia pro legitimo modo civitatem locupletandi. Putabunt, eam locupletiorem fieri non posse, nisi alia civitas inde sentiat damnum. Existimabunt, si æqualitas sit servanda, unamquamque non nisi tantundem esse recepturam, quantum alteri tradidit, & sic nihilo ditiorem futuram per commercia. Cum tamen omnes largiantur, duplicem esse commerciorum externorum usum, alterum in procuranda rerum deficientium affluentia, vel vitæ abundantia; alterum in augendis divitiis civitatum: quoniam quo magis civitatum commercia florent, eo magis earum opulentia crescat. Quod aliter fieri nequit, quam si plures res aliis venduntur, quam ab illis emuntur (§. 63. *Jur. Gent.*).

Enimvero præterquam quod commercia in civitate maxima non dantur nisi interna (§. 101. *seqq.*) quis nescit, etiam interno commercio urbes & oppida locupletari, licet in emendo vendendo aut permutando æqualitas servetur, quantum fieri potest? Emitur e. g. lana ad pannum conficiendum æquo pretio, carminatur, ducitur in fila, texitur inde pannus, qui a fullone, tonsore, & infectore æquo pretio aptatus emitur a mercatore & venditur aliis illo indigentibus. Quæ omnia salva æquitate in mercede & pretio fieri posse, inter omnes constat. Nihilo-

hilominus & ovium domini, & lanifici, cæterique opifices & mercatores pro rebus & operis adhibitis lucrantur inde, unde vivant. Pariter etiam in commercio externo ſervari poteſt æqualitas, ut nempe illis pro rebus emtis æquum detur pretium, quo ibi vulgo veneunt; & tamen locupletari inde poteſt non tantum ſocietas mercatorum, externa commercia tractantium; ſed & ipſum civitatis ærarium ex vectigalibus.

Quæ civitates in commerciis ſuis recte ſtudeant pecuniæ augendæ?

§. 426.

Si qua civitas auri argentique inopia laborat, illi vitio verti nequit, quod commercia ſua ſic inſtituit, ut plures res aliis vendat, quam emat, ſive ut plus pecuniæ importet, quam exportat. Etenim commercia externa inſerviunt & adhibenda ſunt comparationi rerum, quæ deſunt civitati, & tamen ad ipſius neceſſitates, commoditates, innocuasque voluptates aliquid conferre poſſunt (§. 63. *Jur. Gent.*). Hujusmodi vero res etiam ſunt aurum atque argentum, quatenus communi rerum pretio & pecuniæ cudendæ materiam præbent, more in Europa recepto. Quisquis vero pecunia caret, aliis vero rebus abundat, is alias res vendendo pro parata pecunia, adquirit utique pecuniam illarum rerum loco. Quapropter etiam civitates, auri argentique inopia laborantes, inopiæ huic recte conſulunt, ſi in commerciis externis id agant, ut plures res aliis vendant, quam ab illis emunt, vel ut plus pecuniæ reportent, quam exportant (§. 68. *ibid.*).

Magna Britannia v. c. auri argentique ferax non eſt, licet ſtanno aliisque mineralibus & metallis non deſtituatur. Hinc ope commerciorum aurum argentumque ſuum augere ſtudet, eaque, quam hic diximus, ratio ipſorum commerciis eſt propoſita. Salomonis ævo Judæa & Tyrus ex commercio nautico aurum argentumque quæſivit, quod domi non naſcebatur. Hiſpania etiam ſimili ratione ex America ſuum aurum argentumque quotannis auget, non tam commerciorum, quam fodinarum ſuarum ope.

§. 427.

§. 427.

Quando civitas res suas aliis civitatibus pro æqua pecunia vendidit, non nisi ob lucrum inde censetur esse ditior facta, quam antea. Habent se civitates inter se, ut singuli homines (§. 2. *Jur. Gent.*). Sed si quis alteri res suas, uti debet (§. 332. *P. IV. Jur. nat.*), æquo vendidit pretio, ille post venditionem nihilo plus habet, quam ante illam. Tantumdem enim habet in auro atque argento, quantum antea habebat in rebus venditis; alias æqualitas non esset observata (§. 899. *seq. P. IV. Jur. nat.*). Id quod eodem modo se habet in rebus permutatis. Quid quod rebus venditis interdum minus habet, ac iisdem retentis habuisset? v. g. si paulo post rerum venditarum pretium fiat duplum eius, quo sunt venditæ, tum perdidit dimidium pretii, quod postea valent. Eandem ob rem si quando civitas res suas aliis civitatibus æquo pretio vendidit, nondum inde erit ditior facta, quam antea erat, si æqualitas in contractu fuit observata. At si inæqualitas in contractu citra fraudem occurrit, aut si æquum pretium continet in se lucrum licitum, tum pro ratione lucri, aut ejus inæqualitatis, illa recte locupletior fiet, cujus est lucrum, vel illud plus.

Quando venditio locupletet?

Quia eadem est civitatum, ac singulorum hominum sibi neutiquam subjectorum ratio: ponamus melioris dilucidationis caussa alterum tritico abundantem sive agricolam sive nobilem, alterum pecunia abundantem civem aut mercatorem. Venditur triticum mercatori, eo quo nunc solet emi pretio, videlicet sexagena modiorum 60 florenis, sive 40 vallensibus vulgo thaleris. Post semestre spatium, & quod excurrit illud valet ultra 100 vallenses, ut mercator sumtibus subductis sesquiplum dati pretii lucretur. Si possessor tritici illud tamdiu retinuisset, ipsius fuisset hoc lucrum, quod nunc est mercatoris. Quis dubitet, triticum hic utilius fuisse mercatori, quam pecunia ejus pristino venditori? Tantum tamen abest, ut mercator agricolam

Iam ultra dimidium læsisse dicendus sit, ut revera nullam ipsi intulerit injuriam. Si quis addat Josephum in omni Ægypto coëmentem abundans frumentum, & deinde multo carius illud vendentem, vel totam prope Ægyptum Pharaoni mancipantem, illustrius habebitur exemplum commercii locupletantis. Nisi ergo lucrum accedat ex emtione & venditione, nec emtor inde ditatur, nec venditor; sed uterque post contractum tantundem habet, ac ante illum. Nisi forte dicere velis, venditorem tritici id tamen lucratum esse, ut nactus pecuniam pro tritico, habeat rem durabiliorem, atque commodius custodiendam & secum vehendam. Contra ea patet, mercatorem tritico potitum gaudere re lucrosiori, utiliorique, quia saltem inde vivere potest, quod ex pecunia fieri nequit. Idem valet de civitatibus præterquam, quod ipsius lucrum ex aliis civitatibus, non vero ex ipsamet petendum: quia se ipsam locupletare nequit, retinendo tantum, quod antea habebat.

§. 428.

Quæ civitas in commercio externo recte aliam quærat, quam aurum & argentum.

Si civitas auri argentique fodinis fertilibus abundans, aliis careat rebus, magis sibi necessariis proficuisque, illa recte sibi consulit plus auri argentique exportando, quam reportando. Aurum scilicet atque argentum est proventus naturalis hujusmodi civitatis, quo ipsa abundat, in eo, quem nunc consideramus, casu. Si hoc addamus, aurum argentumque in illa civitate carere isto usu arbitrario, quo pro communi pretiorum omnium mensura adhibetur, & quo tanquam res pretiosa ornamentis adhibetur: Si vel nullum ponamus auri argentique vilipendium, sed tantum ejus æstimationem pro reliquo usu, quem hæc metalla hominibus præstare possunt; tum propter usum exiguum in magno pretio esse non poterunt. Hinc facile dabuntur pro rebus, ad reliquas vitæ necessitates commoditatesque facientibus, quarum civitas inopia laborat. Recte igitur illa civitas, harum rerum copiam nactura, pro illis aurum dabit

atque

atque argentum, & sic eo plus auri argentique exportari patietur, quo majori rerum aliarum defectu laborat, quas pro illo sibi comparare valet. Siccine manifestum est, civitatem auro argentoque abundantem, sed inopia aliarum rerum magis necessariarum expediturarumque sibi inopia laborantem, recte sibi prospicere superfluo suo auro atque argento emendo res sibi deficientes.

Non poterit hoc mirum videri, nisi illis, qui auro argentoque pretium, quod ipsi tribuitur, per se inesse opinantur. Arbitrii humani fuit, quæ res pro communi pretiorum mensura consensu non tantum unius, sed & vicinarum civitatum adhiberetur. Raritas pariter ac rarior usus, & durabilis firmitas tractabilitasque auri & argenti (§. 333. *P. IV. Jur. nat.*) invitarunt homines ad majorem usum majusque pretium ipsis conciliandum, adhibendo illa ad communem pretiorum omnium mensuram seu pecuniam (§. 290. *P. IV. Jur. nat.*). Hoc pretio & usu arbitrario demto, cum iis, quæ inde pendent, parum usus restat. Sed plerumque ex usu, quem res naturales nobis præstant, earum pretium æstimatur. Inde liquidum est, cur Americani sub adventum Americi & postea magnam copiam auri argentique dederint, pro rebus in Europa sat vilibus, quarum inopia ipsi laborabant. Vnde facile est conjectu, Tyrios quoque & Salomonem ex Ophiriticis regionibus aurum, argentum, gemmas, ebur & similia exiguo pretio coëmisse, 2. *Chronic.* VIII. 18 IX. 10. 21. ut Salomonis ævo auri, argentique copia esset incredibilis 2 *Chronic.* IX. 13-20. 27. Neque interj privatos homines ubivis gentium aliter res habere deprehenditur, quam ut homines pecuniosi, aliis rebus carentes, pro rebus, quibus indigent, pecuniam semper erogent, nec unquam regulam *Catonis c.3.* sequi possint, *patremfamilias vendacem, non emacem esse oportet.*

§. 429.

Aucta temere pecunia diminuitur ejus usus, & pretium rerum *Quomodo cæte-*

usus pecuniæ cæterarum plerumque augescit. Pecunia enim constat ex metallo, & præcipua ex auro atque argento, in plerisque civitatibus notis. Enimvero cum hæc metalla sint res naturales, eorum pretium non secus, ac rerum cæterarum, quæ in usu humano sunt, ita variat, ut modo majus sit, modo minus. Paucitas rerum utilium majus ipsis conciliat pretium; copia vero & abundantia minuendi pretii causæ naturales deprehenduntur, ipso rerum usu magistro. Haud secus metallorum quoque pretium insigne est, quando eorum inopia habetur, usus tamen requiritur (§. 305. *P. IV. Jur. nat.*). Quamdiu parum auri argentique in Europa fuit, atque eapropter pecuniæ quoque aureæ & argenteæ raritas fuit, tamdiu, historia locuplete teste, in magno pretio magnoque usu fuit, contra res cæteræ vili veniebant pretio. Sensim vero commerciis indicis, cultisque auri & argenti fodinis, aucta auri argentique copia, aucta fuit pecunia, usus vero illius (§ 310. *ibid.*) sensim decrevit & diminutus est, contra vero rerum cæterarum pretium subinde accrevit, aut & pro annonæ penuria excanduit (§. 325. *ibid.*). Variantibus non tantum per sæcula & decennia fere rerum istarum causis, sed & interdum annuo spatio: non est, cur mirentur qui 30 vel 50 annorum memoria gaudent, quantum pretia rerum invaluerint, & fere quotannis augeantur. Cujus quidem aliqua causa & in viliori pecuniæ recentis materia, aut minori bonæ pecuniæ pondere continetur (§. 334. & 336. *ibid.*); sed tanti tamen non est, ut, his quoque causis sepositis, nihil imminutus dici possit pecuniæ usus. Potius sat excedit pretium rerum cæterarum id, quod modo dictis causis esset tribuendum, ideoque nonnisi copiæ auri & argenti auctæ evilescens ejus pretium accensendum intelligitur. Recte igitur statuatur, temere aucta auri argentique & pecuniæ inde fabricatæ copia, more solito augescere pretia

se habeat ad illius copiam vel inopiam.

pretia rerum cæterarum, ipsum vero pecuniæ & dictorum metallorum subinde diminui usum pretiumque.

Non opus est, nisi ut aliquot sæcula abhinc elapsa percurramus, & deprehendemus tum puriora metalla in monetis, tum plus ponderis ac in sæculis recentioribus. Varia de hisce mutationibus documenta attuli e rebus prussicis in *sylloges prussicæ* Preußische Sammlung *Tom. I. No.* 4. 8. 34. & *Tom. II. n.* 7. & 45. Neque alibi ejusmodi documentorum defectus occurrit, sed passim scripta prostant idem evincentia. Sed seposita quoque diminutione ponderis & puritatis metalli, usus argenti aurique ejusdem bonitatis ac ponderis multum est diminutus. Vsus nimirum pecuniæ habetur vel in emendis rebus aliis, quo ipso alienatur, nec amplius nostra manet; vel in usuris, quas pro usu ejusdem alii nobis pendunt, & tum sors nostra conservatur. Priori casu vel emuntur res, quæ usu nostro consumuntur, vel quæ alium nobis usum & lucrum suppeditant qui tunc succedit usui pecuniæ & illius est vicarius (§. *cit.* 310.). Si usu nostro res consumuntur, uti cibus, potus, vestimenta, ligna, quibus combustis calefiunt hypocausta, vel coquuntur edulia; tum in hoc usu diminutio sentitur, quando minus pro eadem pecunia emitur, ac antea, aut quando pro eadem re plus pecuniæ dandum ac olim. Exempli gratia, si libra piperis olim tantum valuit, quantum nunc dimidia; aut si idem ager ante viginti annos emtus est simplo pretio, qui nunc venditur sesquiplo, licet nihilo sit melior factus. In altero usu sentitur detrimentum in diminutis usuris. Si enim usura olim fuit bessis aut semissis, & postea non habetur, nisi dimidium illius usuræ, tunc ea ad dimidium decrevit. Solent vero hi usus sibi plerumque respondere, ut si tantum dimidium illius agri illa pecunia emi possit, qui eodem olim integer emebatur, tum etiam plerumque usuræ non valeant ultra dimidium pristinarum usurarum. Sed sunt hæc ulterius dilucidanda.

§. 430.

An aucta pecunia civita-

Nisi pretium rerum cæterarum idem maneat, civitates in eodem manen-

tes locupletentur? *manentes ſtatu aucta pecunia tantum abeſt ut locupletentur, ut potius vel nihilo ſint locupletiores, vel plane deterioris conditionis.* Etenim ſi pretium rerum cæterarum, quibus indiget vita humana, non manet idem, quod ante fuit, tum mutetur neceſſe eſt (§. 290. *Ontol.*). Si mutatur pretium, neceſſe eſt, ut vel diminuatur vel augeatur (§. 326. *P. IV. Jur. nat.*). Sed aucta pecunia nulla diminuendi, ſed potius augendi rerum pretium ſuppetit (§. 305. *ibid.*). Nempe qui plus pecuniæ habet, plus erogare poteſt, & valet, quando avet rem habere, præ aliis, qui tantum dare non poſſunt. Venditor autem quisque mavult pluris vendere, quam emit & quam alii; & alii eadem ſpe allecti, etiam res ſuas plurimi faciunt, ac poſſunt, nec facile minoris vendere amant, quam alius. Sic ſenſim rerum pretia augeſcunt, quando aucta pecunia in eodem civitatis ſtatu non deſunt, qui illa ſolvere poſſunt & malunt quam rebus illis carere (§. 429.).

Aſt ſi pretia rerum augentur, incrementum eorum vel æquatur incremento pecuniæ, vel non æquatur. Si æquatur incrementum pretiorum incremento pecuniæ, tum divitias civitatis, quæ in rerum abundantia conſiſtunt (§. 352. *P. IV. Jur. nat.*), nihilo eſſe majores factas, per ſe patet. Verbi gratia, cujus ager olim centum aureis emtus eſt a majoribus in eodem ſtatu, quo adhuc gaudet, is, ſi nunc ducentis aureis eundem vendere poſſit, nihilo erit locupletior, quam ipſius majores fuere, quando ducentis illis aureis nihilo plus nunc adquirere valet, ac tum centum aureis haberi poterat. Deterior vero erit ejusdem conditio, ſi pro præſenti pretiorum ſtatu, ducentis aureis ne quidem tantum comparare ſibi ſuisque valet, ac olim majores centum aureis poterant obtinere. Si hæc applicemus ad civitates, quarum inter ſe eadem eſt ratio ac hominum ſingulorum in eodem ſtatu (§. 2. *Jur. Gent.*): patet ſciti

veri-

veritas, nisi pretium rerum cæterarum, quibus indiget hominum vita, idem maneat, civitates in eodem statu manentes, aucta quamvis pecunia, vel haudquaquam locupletari, vel opibus diminui posse & solere.

Patrimonii sane magnitudo æstimatur pecunia, quam valet (§. 341. *P. IV. Jur nat.*). Pecunia vero homini per se nulli prodest, sed tantum eo usu, quem ipsi præstare valet. Vsus autem pecuniæ æquiparatur usui rerum, quæ illa comparari possunt, ideoque si ex illa re percipiuntur fructus naturales, tanti est faciendus, quanti est fructus illius rei, demtis oneribus publicis impensisque ac operis in perceptionem factis (§. 312. *ibid.*). Quod & de rebus industriæ artique humanæ debitis eodem jure statuendum (§. 313. *seq. ibid.*). Quamobrem etiam patrimonii civitatis magnitudo æstimanda est ex summa pecuniæ, quam valet deducto ære alieno (§. 342. *ibid.*); & divitiæ ex patrimonio superfluo (§. 353. *ibid.*), in quas colligendæ sunt divitiæ cum rectorum civitatis, tum civium, seu omnium civitatis membrorum (§. 65. *Jur. Gent.*); ubi divitiæ gentis (pro patrimonio ejus acceptæ) æstimandæ dicuntur ex pecunia singulorum, in unam summam collecta. Quamobrem cum pecuniæ valor pendeat ab usu ipsius, usus vero major esse nequeat, quam usus rerum eadem paratarum & parandarum: ex hoc rerum usu æstimandus est pecuniæ ejusdem usus & valor. Quo circa pecuniæ valor tum fuit triplus vel quadruplus, aut octuplus, cum eadem pecunia triplum, quadruplum octuplum ejus emi potuit, quod nunc illa emitur; & nunc illius usus illius in his casibus tantum est subtriplus, subquadruplus, suboctuplus, seu triplo, quadruplo, octuplo minor, ac tum temporis fuit. Sic sæculo XIV. census redimibilis una marca emta est decem marcis Vid. *Leonis Hist. Pruss. p.* 171. quæ postea & nunc 20, 30 aut 40 plerumque marcis emitur. Vnde apertum est, usum pecuniæ nunc non duplo tantum & triplo, sed fere quadruplo minorem esse eo, qui tunc obtinuit usu plerorumque. Neque hæc diminutio unice imputanda est pecuniæ deteriori, sive qua metalli impuritate-

ritatem & vilioris metalli admixtionem, ſive qua ponderis diminutionem: quoniam eorundem ſaltem ejusdem bonitatis & ponderis, aureorum ratio non multum eſt diſpar. Ex his judicium fiat de illorum ſententia, qui contendunt, ex pecuniæ copia & uſuris exiguis divitias civitatis eſſe æſtimandas.

§. 431.

Cur pretium rerum ſemper idem eſſe nequeat?

Pretium rerum naturalium & arte factarum ne quidem in eadem, multo minus in diverſis civitatibus idem ſemper manere poteſt, ſed ceteris paribus ſaltem pro earum copia & inopia variat. Licet enim pretia rerum adeo neceſſariarum, ut ſine illis vita conſervari nequeat, ita determinanda ſint, ut eædem vel vilis operæ pretio comparari poſſint (§. 304. *P. IV. Jur. nat.*); tamen earum, quarum major eſt copia, minus pretium eſſe debet, quam quarum copia minor eſt (§. 305. *ibid.*). Si quæ vero res neceſſariæ non ſolum ad vitæ neceſſitatem, verum ſimul quoque ad ejus commoditatem vel jucunditatem faciunt, earum pretium ob illum uſum ulteriorem quoque majus eſſe debet (§. 306. *ibid.*), quemadmodum rerum utilium pretium majus conſtituere licet, quam neceſſariarum, & jucundarum majus ac ſolum utilium (§. 317. *ibid.*). Jam ſi annona rerum ſive mere naturalium, ſive induſtria adjutarum, aut generatim earum proventus copioſior habeatur, unusquisque eas præſertim, quarum uſus mox cum ipſis perit, & quibus non indiget, vendere ſtudet, quanti poteſt. Sive igitur emtores pauci ſint, quique parum iis rebus impendere poſſunt, ſive plures quoque & in his quoque divites, malunt tamen venditores plerique cito & vilius vendere, quam fruſtra diu exſpectare, & re interim depravata aut intereunte magis multari ſua culpa. Sin diuturnior quoque ſit rei uſus, tamen mediocritas fortunæ aut egeſtas plerosque, inter reliquos vero etiam nonnullos incertus rerum futurarum eventus impellet potius ad modicum, quod

ple-

plerisque emtoribus acceptius est & ab illis offertur, pretium capiendum, quam ad incertorum vana spe se defraudandum. Quia rerum artefactarum materia petenda est ex naturalium proventu, inde saltem materiæ pretium minus cæteris paribus, efficiet, ut & hæ vilius vendi possint & emi velint. Constat igitur, vel in eadem civitate pretium rerum naturalium pariter ac artefactarum semper idem esse non posse, sed pro uberiori earum copia diminui, eoque magis diminui, quo major earum est abundantia.

E contrario quando cessat illa rerum utriusque generis copia, aut plane earum inopia habetur, tum fieri nequit, ut venditores tam parvo vendant, ac priori casu. Cessant enim omnes rationes vilioris pretii admittendi in venditoribus, inopiam proventus & honeste ex his victum quærendi necessitatem urgentibus. Licet igitur emtores minoris emere mallent, tamen illis uno ore profitentibus, sine magno suo damno pretium vilius nunc locum habere non posse, agnoscent æquitatem communis mali communiter ferendi (§. 12. & 18. *P. VII. Jur. nat.*), & de majori pretio, si illis rebus carere nolunt, cum venditoris paciscentur. Quot cum in artefactis ex cariori materia & ob cariorem victum pariter locum habeat: planum est, si inopia sit naturalis proventus rerum, tum ipsas res naturales, tum artificiales vel in eadem civitate eo majori pretio venire debere, quo major est earum inopia.

Jam uti ex his constat, ne quidem in eadem civitate semper idem pretium rerum obtinere posse, sed pro copia earum minui, & pro inopia earundem augeri natura duce debere: ita multo magis illud concedendum erit inter diversas civitates. Inopia enim unius sapienter inservire jubetur lucro alterius in sua copia augendo. Vice versa copia annonæ alterius inservit damno inopis civitatis pro æquitate medendo minuendoque. (*Wolfii Politicæ P. I. C. VI.*)

Præterea cujusque civitatis est, pretia rerum, ipsiusque auri & argenti, pro suo statu definiendi potestas (§. 428. & 429.). Quare cum civitates sint moraliter æquales (§. 320.), nulla alteri obtrudere potest vel suam pecuniam, vel suum rerum pretium, sed de eodem ex æquitate naturali est amice conveniendum. Quamobrem, quia civitates mercatoribus certo vectigalium onere permittunt, ut veluti negotiorum civitatis gestores & omne damnum atque periculum in se recipiant, & lucrum omne ex commercio externo percipiant: mercatorum utriusque civitatis commercantis est, emendo vendendoque pro præsenti rerum suarum statu de pretio rerum promercalium pacisci. Hinc cæteris paribus saltem pro rerum venalium copia & inopia inter diversas quoque civitates seu in commercio externo, pretium rerum modo majus statuetur mutuo consensu modo minus.

Quid mutatæ annonæ causa prudentiæ sit in civitate, suo docebitur loco.

§. 432.

Quousque æqualitas pretiorum servari possit. *Si pecunia aurea atque argentea ejusdem maneat notæ & ponderis, ac copiæ, pari fere manente hominum numero & rerum ad eos proportione, pretiorum vix alia fiet mutatio, quam quæ rerum copiæ respondet.* Etenim cæteris paribus pretia rerum non variant, nisi pro earum copia inopiave (§. 431.). Sed si in nostro casu pecunia non augeatur, ideoque eadem ipsius summa in civitate maneat; si aurea argenteaque pecunia ejusdem maneat & notæ & ponderis: tum cætera sunt paria, ad quæ respiciendum est in pretio rerum æquo determinando mutandoque (§. 429. & §. 431.). Ac si forte nova onera imposita urgeas, vel bellum calamitatesque alias civitatis: tum his ipsis rerum copia una mutabitur, quia rerum copia non adest nisi deductis sumtibus earum causa ferendis. Quare manente eadem pecuniæ summa

ma in civitate, eademque ejus nota & gravitate ponderosa, pretiorum æqua mutatio non fiet, nisi quæ rerum copiæ inopiæque respondeat in pari circiter hominum numero, rerumque ad eos proportione.

Sufficere enim debet pecunia hominum usibus in communi vita attendendis. Quamobrem quemadmodum in aliis civitatibus degentes sua indigent pecunia ipsis sufficiente: ita quoque in eadem civitate, valde aucta hominibus, augenda, pro numero civium aucto, erit pecunia, ne vel peregrinam invehere cogantur in damnum civitatis, vel egestate ad mendicitatem, furtivas artes, aut exitum e civitate invitentur. Rebus illis, quibus eget auctus civium numerus, pariter auctis, quantum fieri per naturales rationes potest, pretiorum mutatio alia naturali æquitati consentanea non erit, nisi quæ rerum respondeat copiæ inopiæque. Quomodo aucto licet auro & argento eadem proportio pecuniæ sit servanda, & iniquitati, avaritiæ & fraudulentiæ in civitate occurrendum sit, suo ostendetur loco. Si vero res necessariæ utilesque hominibus pariter ac homines augeri nequeant, idem fiet, quod §. 430. continetur.

§. 433.

Cuinam auri & argenti puritati sit studendum?

Conservata auri argentique ea puritate, quæ in plerisque civitatibus usitata est, cum quibus res est, metuendum non erit, ut vel ipsa hæc metalla, vel pecunia ex illis facta, valore justo priventur. Si enim puritas metallorum in diversis civitatibus est eadem, examine rite facto, eadem quoque deprehendetur. Si eadem deprehenditur, eadem ratio pretii & valoris aderit; ergo, salva justitia, una civitas alterius civitatis pecuniæ valorem statuere nequit minorem eo, quem ipsa in se justum esse agnoscit (§. 264. *seq. Jur. Gent.*). Neque ulla ratio præsto erit, cur altera alterius pecuniam seu repudiare, seu præ sua venari cupiat (§. 62. 95. *seq. P. I. Jur. nat.*). Et si quid audere vellet, sentiet, pari jure secum ab altera civitate agi, & retorqueri jus arroga-

 tum

tum posse (§. 583. *seqq. Jur. Gent.*). Qua propter conservata auri argentique ea puritate, quæ in plerisque civitatibus, quibuscum res est, usitata reperitur, verendum non est, ne vel ipsa hæc metalla, vel facta inde pecunia, valore justo priventur.

Non tantum in eadem civitate conservando eorundem metallorum num morumque pretio constanti inservit permanens eadem puritatis & ponderis ratio, sed in diversis quoque civitatibus peritiores, & damni sui evitandi studiosiores, in oblatæ seu pecuniæ seu massæ aureæ ac argenteæ puritatem inquirere solent, ut secundum illam de pretio convenire æquius possint. Quum vero summa puritas non nisi a paucissimis chemiæ & hydrostaticæ magistris erui possit, quorum tam pauci sunt, ut eorum copia ubique haberi nequeat: oportuit mediocrem quandam puritatem in civitatibus adhibere, cui explorandæ monetariorum & aurificum industria par esset. Qualis dudum in nummis aureis ac argenteis, aliisque rebus ex auro & argento fabricatis, commodior visa usuque ideo recepta est. Si argenti puritas summa ponitur = 16, illi una pars cupri admixta relinquit 15 partes puras; si duæ partes cupri insint, purum conficiet 14 ejus massæ partes; si 13 tantum partes puræ sint & 3 peregrinæ, habebitur ea, quæ aut paullo illa inferior in usu esse vulgari deprehenditur. Pariter si auro purissimo tribuantur 24, una parte argenti vel cupri admixta, tantum 23 partes revera puræ insunt. Si tantum 22 partes puræ sint, duæ inerunt peregrinæ; & si non nisi 21 purarum, tres peregrinarum sint partium in massa, ea circiter habebitur aut paulo melior, quæ vulgo puri auri nomine venire consuevit in aureis numis melioris notæ. Germani vocant **fein Gold, und Silber.**

§. 434.

Prærogativæ in commercio rationes. *Pacifcentes de commerciis civitates, mutuæ amicitiæ & æquitatis causa possunt sibi invicem majorem fere, ac suismet civibus, libertatem immunitatemque ab oneribus indulgere, paritate rationum id exigente.* Si enim par fere sit mutuæ indigentiæ ratio, itidemque

que par ex commerciis emolumentum, tum quidquid una civitas commodi sentit ex altera sibi indulgentiori quam cæteris, id eadem vicissim concedit mercatoribus alterius civitatis, atque sic æqualitas in commercio, amicitiæ & æquitati convenienter, observatur, uti inter æquales par est (§. 627. 668. *P. I. Jur. nat.*). Sed in commerciis civitatum inter se studendum est æqualitati, quantum fieri potest (§. 425.). Ideo (quia commercia salutaria pactis sunt firmanda (§. 424.), paciscentes de commerciis civitates, paritate rationum id exigente, indulgere sibi invicem parem fere possunt ac majorem commerciorum libertatem immunitatemque ab oneribus, ac suismet civibus. Quod quum aliis civitatibus, quarum dispar est ratio, non debeant, peculiaris inde nascetur perpetim sancteque colenda amicitia & æquitas mutua, qualis in privatorum arctiori amicitia & familiaritate dari solet, debetque (§. 234. *P. V. Ethic.*). Hinc & restrictiones commerciorum licitæ nascuntur (§. 196. 198. & 202. *seq. Jur. Gent.*).

Hunc esse fontem majorum in commerciis privilegiorum, civitatum æqualitate dignum, levi patet adhibita attentione. Ecquid enim potest esse honestius, quam nolle cum alterius damno locupletari, indulgere eidem, quanta salvis in te officiis possis, officia humanitatis & commoda, atque in mutua amicitia contendere si nequeas de principatu, saltem de puritate assequenda laborare? Cujusmodi æmulationis studium si in commerciis ampliandis firmandisque fructu non caret, ad alia quoque sæpe gravioris momenti officia calcar addet. Incitat enim amicitia ad illa quoque alteri in summis periculis præstanda, quæ ipse repetere quidem audet (§. 664. *P. I. Jur. nat.*).

§. 435.

Etiamsi in commerciis uni civitati majora indulgeri possint privilegia, quam aliis; cavendum tamen, ne monopolium uni concedatur, atque commodum a reliquis exspectandum temere repudietur. Eædem nem- *Non tamen ad monopolium extendenda.*

nempe rationes, quæ perſuadent, majora privilegia aliis eſſe concedenda (§. 434.), reſervant quoque alia licet minora commerciorum privilegia aliis tribuenda. In ſe ipſam civitas injuria eſſet, repudians temere commoda vera ex commercio cum aliis quoque civitatibus ſperanda, quibus ipſius ſtatus externus perficiendus eſt (§. 420.). Præterea ſe temere obnoxiam reddit civitati illi, cui monopolium conceſſit, quod conſervandæ æqualitati naturali repugnat (§. 16. *Jur. Gent.*), atque aliarum quoque æqualitati derogat. Porro civitates commercia invicem exercere naturaliter obligantur (§. 187. *Jur. Gent.*) pactisque firmandum eſt jus commerciorum, de quo convenit (§. 182. *ibid.*), & ſi qua civitas cum altera contrahit, ut ſibi ſoli res certas vendat, quæ aliunde, niſi ab ea haberi nequeunt, easdemque aliis, qui illis indigent, pretio parum æquo vendit, illa peccat (§. 210. *ibid.*). Quare cavendum eſſe patet, ne civitas monopolium rerum ſibi propriarum uni tantum concedat, atque commodum a reliquis ſperandum temere repudiet, quum nollet, idem ſibi fieri ab aliis in pari quodam caſu.

Vrgeri quidem poſſet, ex monopolio uni tantum civitati conceſſo plus commodi habere poſſe concedentem illud civitatem, quam ſi pluribus jus emendi illam rem a ſe ſalvum relinquat. Plures enim eodem jure præditæ nolunt carius illam res emere, quas æquo pretio ſuis vel & aliis vendere cupiunt. Verum quoniam ſecum ita agi nollet, ſi alia civitas ipſius eſſet loco; quod ſibi non vult fieri, id aliis facere non debet (§. 98. *P. I. Jur. nat.*). Neque præterire ipſam poteſt, eam, quæ monopolium ambit, civitatem non niſi ex pretio illarum rerum aucto indemnitatem ſuam & lucrum inſuper quærere poſſe; imperitam in re ſe oſtenderet & a religione conſcientiæ deſtitutam, niſi ipſa potius, aucto illarum rerum pretio, & ſibi & aliis civitatibus quibuscunque eadem conſulat æquitate. In cujus enim poteſtate eſt, alterius iniquitati & avaritiæ obicem ponere, is ſi quod

si quod licet non facit, particeps sponte sit culpæ alterius (§. 663. & 678. *P. I. Phil. pract. univ.*).

§. 436.

Si cui civitati monopolium quoddam concessum, parum æquo pretio exerceatur, aut concedens civitas in mutandum, saltem ad æquitatem reducendum illud erit permovenda, aut ab aliis civitatibus importatio emtioque rei justo carioris prohibenda. Licet enim civitas monopolium uni concedens jure dominii sui abutatur, & spreta obligatione interna iniquior sit in alias civitates, proprie tamen illis injuriam non facit (§. 210. *Jur. Gent.*), quum ante pacta perfecta obligatio ad commercia non adsit (§. 191. *ibid.*). Remonstrari tamen potest civitati concedenti, quod non solum suis commodis adversetur, sed & aliis civitatibus deneget æquitatem, quam sibi denegari nollet (§. 435.), ut flecti possit vel ad tollendum monopolium, vel ad illud ita restringendum, ut venditio æquo pretio sit facienda, & si id non fiat, aliis civitatibus idem commercium sit indulgendum. *Remedium contra abusum monopolii.*

Si vero hoc negotium sit onerosum nimisque sumtuosum, aut brevius obtineri scopus possit, civitatem, quæ abutitur monopolio, ad æquitatem revocando prohibitione illarum rerum emtionis, donec æquitati locum relinquat, nemo dubitabit, quin hæc via sit præferenda (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*). Licet igitur civitas pacto antevertere aliam possit in lucro commercii cujusdam ad se derivando (§. 208. *Jur. Gent.*), vel & suo pacto alterius civitatis commercium abrumpat (§. 209. *ibid.*), & abusus monopolii in statu naturali ipsi permittendus videatur (§. 170. *P. II. Jur. nat.*): tamen id tantum valet, quatenus nihil eo ipso facit contra jus alterius (§. *eod.* 170.). Jus vero alterius aut perfectum est, aut imperfectum (§. 236. & 238. *P. I. Phil. pract. univ.*). Perfectum quidem jus hic non esse, nisi pacto declaratum fuerit (§. 189. & 191. *Jur. Gent.*),

largi-

largimur. Posito igitur nullum adfuisse pactum, ne quidem indultum commercio usitato nitens (§. 195. *ibid.*), iniquum tamen est & peccatum, si una civitas alteri deneget, ad quod præstandum ipsi obligatur (§. 159. *ibid.*). Iniquitatem vero & peccatum pertinere ad hominis mala moralia ex ipsis notionibus patet (§. 53. 239. 440. *P. I. Phil. pract. univ.*). Jam obligamur ad omnem facultatum nostrarum usum, qui ad arcenda alterius mala animi, corporis & status requiritur (§. 609. *P. I. Jur. nat.*). Neque patiendum est, ut alter quidquam faciat, quo impeditur status nostri perfectio (§. 912. *ibid.*), certe opera navanda est, ut alter sui erroris peccatique convincatur (§. 1160. *ibid.*). Quare si civitas iniquo pretio nocitura convinci possit argumentis & persuasionibus quibuscunque, iis ante omnia erit utendum. His vero nihil proficientibus, convinci poterit suæ iniquitatis, denegatione aliorum jurium imperfectorum, tanquam retorsione juris. Hic vero promtissimum & in omni civitate usitatum habetur remedium, videlicet si venditor iniquum postulat pretium, emturo jus est id denegandi & rem tanto pretio non emendi. Quare si civitas abusu monopolii iniquam postulet pretium, aliæ vicissim jure suo utuntur, emere illam rem nolendo, & prohibendo illius importationem emtionemque. Est enim in civitatum libero arbitrio positum, utrum commercia cum alia civitate exercere velint, an nolint, ipsarumque voluntate aliis est standum (§. 188. *Jur. Gent.*).

Dari & alia possunt remedia abusus monopolii, quæ ubi locum habeant, nec ne, prudentiæ erit decidendum. Ita quæsito & nondum obtento, vel & clam obtento monopolio aliæ civitates occurrere possunt argumentis, donisque aut alia commoda paria vel meliora offerendo, si tanti esse ipsis videtur. Possunt alias investigare regiones, simili climate utentes, ubi eædem res habentur & vulgo non quæruntur; aut quorsum transplantari

tari facile possunt. Substituere illis interdum valent res indigenas, in eosdem usus facile aptandas. Si dantur aliæ res, vix aliunde quam ab ipsis petendæ, his majus pretium potest imponi propterea, ut convincantur, abstinendum sibi esse ab iniquo, quod sibi dari volunt, pretio. Quod si illa civitas non tantum sui, sed & aliarum causa faciat, feret illis una opem vicissim demerendam. Dubio, an civitas ita recte agat, an vero pari abusu juris sui impingat, paucis occurremus. Præmittimus, omnino nefas esse, propterea suæ obligationi non satisfacere, quia altera civitas suæ non satisfecit (§. 631. *P. I. Jur. nat.*), item offendere alteram ideo, quia prior illa offendit ipsam (§. 940. *ibid.*). Sed offensa nulla est, ubi civitas ad ita agendum obligatur, & peccaret, nisi ita ageret (§. 636. *ibid.*), quemadmodum in hoc casu peccaret in se, nisi iniquitatem arceret, peccaret in aliam civitatem, nisi eam de sua iniquitate convincere studeret, quo licet & fieri potest modo. Sed officii in se & aliam causa, licet denegare id, ad quod alteri non est nisi jus imperfectum, atque id ab ipsa fieri potest. Aliis ergo modis frustra adhibitis, hoc ipso uti licebit. Licet parentibus castigare liberos, quamvis mallent, ne castigatione opus foret; non ut ægre liberis faciant & tædia ac dolores vicissim creent, sed ut eos avocent a peccatis. Licet amico, avocare amicum a vitioso tramite, vel denegando ipsi usitata amicitiæ officia, nisi se flecti patiatur; non ut pro tædiis tædia ipsi reddat, sed ut illum vel sic emendet, si aliter fieri nequit. Ita puniens merentes, creat ipsis molestiam, non quod hac molestia delectetur, sed ne officio suo desit.

§. 437.

Opus est adquirendis stationibus & tabernis.

Securitatis commerciorum causa, obtinendæ sunt in peregrinis civitatibus aptæ stationes tutæque tabernæ. Sive enim merces emendæ sint tantum, sive vendendæ tantum, sive aliæ emendæ, aliæ vendendæ; necesse est, ut habeantur loca, ubi recondi secure possint, ubi venales exponi, ubi asservari in aliud tempus. Qualia cum negotiatores in aliena civitate propria non

(*Wolfii Politicæ P. I. C. VI.*) Eee habe-

habeant, si illis uti velint, oportet ut eas sibi jure contractus cujusdam secundum inita commerciorum pacta adquirant (§. 424.). Sunt vero ejusmodi loca mercimoniis venum exponendis tutoque collocandis apta stationes & tabernæ. Apertum igitur est, securitatis commerciorum causa obtinendas esse in peregrinis civitatibus aptas stationes tabernasque.

Quantæ necessitatis utilitatisque sint stationes & tabernæ, omnes norunt, qui nundinas frequentant, passim in sua civitate celebrandas. Vnde plura de his addere supervacuum videtur.

§. 438.

Quando opus sit coloniis.

In dissitis vero locis commercio opportunis coloniæ magno cum fructu constituuntur, eæque quam fieri potest amplissimæ. Magna enim ejusmodi locorum distantia impedit, quo minus frequenti itinere adiri possint, aut intelligi queat, num sua negotiationi securitas constet, aut si qua ope indigeant, ipsis illico subveniri possit. Quapropter alio modo ipsorum securitati consulendum est, quem experientia antiquitus commendavit. Is habetur in deducendis eo coloniis, suis munimentis contra hostium impetus firmatis, validoque præsidio instructis. Aut igitur occupandæ sunt insulæ, quæ sunt nullius, aut emendi sunt a suis dominis tractus & sinus portibus construendis idonei, ubi ædificari propugnacula & emporia possint aut in bello devictis regionibus præter præsidia veteranorum emeritorumque coloniæ imperium commerciumque est stabiliendum. Quumque eo validior sit colonia & tutior, quo pluribus gaudet hominibus, terris & aquis, cum ad alimenta, tum ad plantationes, agriculturam, fructuum copiam provehendam, tum ad sericum obtinendum, mineralia & metalla eruenda, tum ad piscationes venationesque largas, tum ad defensionem securitatem

tatemque aptis promtisque, studendum quoque esse patet, ut coloniæ fiant, quantum potest, amplissimæ.

Antiquissimis temporibus jam duæ rationes coloniarum occurrunt, altera in aucto hominum numero sita, altera in uberiori quæstu vitæ præsidiorum, quibus egebant. Sic liberi atque nepotes & pronepotes, constituendæ propriæ familiæ causa, alia sibi quærebant loca vacua, sedibus suis commodis & nutritioni apta, quæ occuparent, & jussu divino sensim terram incolis replerent. Posterior ratio, aucto jam hominum genere, & commerciorum externorum indole perspecta, invitavit emporia, vel generatim civitates, commercia sibi fructuosa deprehendentes, ad colonias illuc mittendas stabiliendasque, quarum ope majorem ex commerciis caperent utilitatem. Sic Carthago antiqua fuit Tyriorum colonia, Massilia Phocæensium, & Romanorum innumeræ, in ipsa Germania quoque nomen Coloniæ Agrippinæ &c. reliquerunt. Ab initio parva earum solent esse initia, uti Belgarum in Java insula, ubi nunc Batavia ampla & uti hodie Carecca in sinu persico. Quam amplæ vero hodieque exstant coloniæ Hispanorum Lusitanorum, Gallorum, Magnæ Britanniæ, fœderatique Belgii &c. in Americanis aliisque regionibus? Quantum illæ in recessu habeant, quantum auri argentique quotannis præbeant, classis Hispanorum docet, quæ argentea, a thesauris, quos advehit, dici consuevit; quantum aliis commerciis prosint Anglis, ex recens edita *Historia commercii coloniarum anglicarum in America septemtrionali* intelligi luculenter potest. Quare mirum non est, alias quoque civitates, illa commercia antea parum curantes, illorum illecebris ad eorundem curam diligentiorem, & ex parte etiam ad bella illorum causa gerenda excitatas esse. Quisquis antiquorum Græcorum Romanorumque colonias paullo accuratius considerare volet, is deprehendet earum usum fuisse multiplicem. Non enim solum commercia illarum ope fuere longe lateque dispersa, sed insuper α) civitates colonias deducentes aliorsum, suum civium numerum, ubi onerosus erat, di-

minuere, ut reliqui melius augeri & fortunis mactari possent. β) Inopes vel degeneraturos posuere in meliori sorte, ut rem facere in Coloniis & locupletari possent. γ) Veteranis & bene meritis præmia tribuere & honores magistratusque ad quos domi adspirare non potuissent. δ) Prorogarunt ditionum suarum limites & imperii in coloniis, firmamenta atque propugnacula obtinuerunt. ε) Nominis, famæ, legum, & formæ regiminis sui amplitudinem una cum coloniis disseminarunt, sibique aliarum civitatum amicitiam peperere. ζ) Ope deductarum coloniarum alias civitates a barbarie & ferocia ad studia artium & disciplinarum, moresque cultiores invitarunt permoveruntque η) ipsa quoque linguæ notitia sic diffusa fuit, ut passim vetustam vernaculam oppresserit, & sic quoque librorum legendorum studium excitaverit, audiendorumque magistrorum viva voce docentium. Itaque θ) viam straverit religioni christianæ quaqua versum propagandæ.

§. 439.

Finis commercii externi.

In commerciis externis liberali quæstui est litandum. Externo enim commercio adquirendæ sunt res peregrinæ, quibus civitas indiget, officiis suis rite vacatura; ac vendendæ sunt res domesticæ, quibus civitas abundat, & rectius uti nequit, quam easdem aliis civitatibus vendendo, si id salutare esse debet (§. 424.). Si utrumque, uti par est, æquo fit pretio (§. 322. *P. IV. Jur. nat.*), nascitur inde utrique civitati commodum opumque incrementum. Non potest enim non esse utrique civitati perutile, quod venditione superfluorum alia adquirit, vel prorsus vel magis sibi necessaria; quod aut permutando aut vendendo confestim recipit, quæ ipsi debentur, itaque plus recipit, ac si fides de pretio sit habenda (§. 1047. *P. IV. Jur. nat.*); quod in majori solito copia simul res vendit, ac si minutim id fieri deberet (§. 1050 *seq. ibid.*); quod alterius civitatis pecuniam, aut res sibi necessarias saltem utiliores

res

res rebus propriis & propter abundantiam alienatis, adquirit; & quod dictis de causis incrementum bonorum inde sortitur & lucrum, quo alias careret. Quibus accedit & illud lucrum, quod, licite aucto illarum rerum pretio, v. c. per penuriam haberi potest (§. 425. & *not.*), ac propter pericula superata. Quare quum & æquitas pretii adhibeatur, & par jus alteri civitati concedatur in rebus suis superfluis pari modo alienandis: liberalis hic quæstus seu lucrandi modus dici meretur. Vti igitur æqualitati in commerciis studendum est (§. 425.): ita quoque liberali quæstui in commerciis litandum esse patescit.

Inde liquet in commerciis externis quæstum dari legitimum non tantum, sed & tam liberalem, ut vel inter civitates integras honeste, & uti ingenuos honestosque homines in statu naturali decet, exerceri possit. Nititur is quæstus licitis modis rem faciendi, prout illiberalis turpes indecentesque & sordidos complectitur. Sunt nempe liciti adquirendi modi originarii: occupatio rerum, quæ sunt nullius, uti balænarum & insularum in mari vasto (§. 178. *P. II. Jur. nat.*), item inventio rerum dominis destitutarum, ut ignoretur, cujus fuerint & esse debeant (§. 328. *ibid.*). Derivativi autem modi adquirendi sunt contractus libere initi. Hinc illiciti omnes, violenti, fraudulentique sunt illiberales, pariter ac decentes sordidique. Ad violentos pertinent latrocinia gentium, piratica, populorum migrationes ad alios sedibus suis expellendos, olim usitatæ &c. De fraudulentis vitiosisque lucrum faciendi modis nemo dubitat, quin illi sint illiberales. Quinam vero modi dedeceant & sordidi sint appellandi, non æque expeditum est, ideoque explanandum videtur.

§. 440.

Si commercium externum non versatur nisi circa vulgaria, & mediocre tantum lucrum parientia, recte illud mercatoribus conceditur & concedendum est a civitate. In commercio enim externo li- *Quando commercium externum mer-*

 tan-

catorum esse debeat? tandum est quæstui liberali (§. 439.). Enimvero liberalis ad beneficia danda paratum habet animum (§. 249. *P. IV. Jur. nat.*). Ea propter civitas quoque liberalis quæstus est studiosa, si parata est, ad civibus suis in commerciis externis beneficia, quæ largiendo se exserunt, exhibenda. Cives vero illi, quibus hæc beneficia dari merentur, non sunt nisi mercatores, commercio colendo addicti. Beneficia, quæ illis largiter in commerciis externis dari possunt, sunt lucra, e rebus vulgaribus, ac plerorumque usibus destinatis, aut & sordidis simul, percipienda; item lucra mediocria, sortis mediocris homines, cujusmodi sunt mercatores, decentia (§. 332. *P. I. Theol. nat.*). Quia igitur captatio ejusmodi lucrorum civitatem dedeceret, (§. 195. *P. I. Phil. pract. univ.*) commercium externum, occupatum circa sola vulgaria, nec nisi mediocre lucrum afferentia non tantum recte concedetur mercatoribus, verum etiam iisdem male præriperetur, ideoque illis a civitate concedendum est.

Duo igitur sunt, quæ tenuia pariter ac modica commercia externa civitatum mercatoribus concedi jubent. Liberalitas ejusdem erga suos cives, e commerciis victum quærentes, quos dicimus mercatores, quibus divitiarum adquisitio curæ cordique est. Prout igitur aliis aditus ad privatæ sortis divitias non est præcludendus; ita nec mercatoribus denegandus est quæstus ex commercio tum interno tum externo. Deinde habenda decori ratio jubet abstinere ab eo, quod tanquam exile & parvum dignitatem civitatis parum ostenderet, diminueretque prorsus. Sed tenue tantum, certe non nisi mediocre lucrum captare, idque civibus suis, pro sorte sua pariter ditandis, præripere, detraheret ipsius dignitati. Perspicuum igitur est, vulgare atque mediocre duntaxat lucrum commercii externi mercatoribus esse concedendum. Quod si sordibus simul laboret, multo minus gloriæ civitatis esset lenocinaturum, sed labem eidem potius adspersurum. Sordes autem non tantum sunt, quæ corpus

pus inquinant, verum etiam fordidæ (βαναυσοι) sunt *Aristoteli* artes sellulariæ & mercenariæ *Eudem. I. c. 4.* Sic & *Cicero de offic. L. I. c. 42.* Mercatura, inquit, si tenuis est, fordida putanda est; sin magna & copiosa multa undique apportans & sine vanitate impertiens non est vituperanda. Vnde & commercia, quæ fordida sunt, a dignitate civitatum abhorrere, ambigendum non est.

§. 441.

Sin commercium occupetur circa minime vulgaria & permagnum parientia lucrum, publica indignum protectione, tum in civitatis arbitrio positum erit, velitne ipsa illud per suos gerere commissarios; an societati mercatorum illius jus totum certa lege assignare; an particeps societatis manere? Quando commercium externum occupatur circa minime vulgaria, tum occupatur circa perrara & egregia, vel plane circa rarissima & nobilissima pretiosissimaque. Enimvero talia in civitatibus esse solent reservata rectorum civitatis, qui suam dignitatem illa unice aut in primis decere haud immerito unanimi consensu sciscunt. Quid ergo mirum, si & alterius civitatis rectores hujusmodi rerum participes fieri studeant, earum commercio pariter sibi reservato, nisi quid aliud suadeant prudentiæ leges?

Quid de aliis casibus civitati statuendum sit?

Quoties commercium externum permagnum parit lucrum, toties illud mediocrem mercatorum sortem excedit, ac facile abusui & iniquitati in reliquos cives locum dat, neque ideo ipsis jure debetur. Quoniam vero magnos magna decent, inde maxima decent maximos uti in agendo, ita & in habendo (§. 194. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quod & in rebus per se mediis obtinet (§. 203. *ibid.*). In civitate autem permagnum aut maximum lucrum decere nequit, nisi id, quo in ipsa nihil majus est, scilicet bonum publicum, a rectoribus civitatis in omnium salutem vertendum. Quare si commercium

cium externum permagnum ferat lucrum, illud jure merito que debetur civitati, ipsiusque rectori, nisi quid obstet.

Si commercium externum more consueto publica egeat autoritate securitate & protectione, illam nemo præstare potest, nisi ipsa, cujus illud est, civitas. Quid inde æquius, quam ut cujus est rei incommodum, v. c. sumtus nempe protectionis causa faciendi, ut classis longarum navium armatarum instructa comitetur & protegat naves onerarias; ejus quoque sit emolumentum seu lucrum, cujus causa opus est ista protectione, sumtuosissimaque classe? Hinc permagnum lucrum, publica indiguum tutela non nisi persumtuosa, omnino civitatis esse infertur.

Quoniam tamen in arbitrio civitatis est, quomodo re sua uti, eamque gerere velit, æque ac a privati hominis libertate pendet, quomodo de suis juribus & rebus statuere ipsi placeat: etiam de usu commerciorum civitas libero statuendi jure gaudet, prout ipsi consultum videtur. Potest igitur eo jure suo ipsa uti, si id consultum videtur, eoque casu illius exercitores publicos constituere, commissarios quosdam peritos. Potest vero, quando id mavult, etiam societati mercatorum omnino suas tradere partes, iis legibus, quas suæ indemnitatis causa æquas observandasque esse censet. Potest denique nonnihil societati Mercatorum indulgere, quantum deberi eidem intelligitur propter sumtus aliaque pericula suscepta, & præcipuam partem sibi reservare, ut in metalli fodinis usu venit (§. 469. *P. V. Jur. nat.*).

Quæ hic primo loco proposuimus, ea in rebus ad commercium internum pertinentibus usitata passim deprehenduntur. Cui ignotum est, metallifodinas ditiores, auri scilicet atque argenti, civitatis rectoribus esse reservatas, certam ejus partem dominis locorum eruentibus illa ad indemnitatem incitamentumque

que diligentis scrutinii relinquentibus? Nonne Regi Prussiæ jus succinum legendi adquirendique totum est reservatum? Quid alibi de Gemmis margaritisque expiscandis obtineat, nunc indagare non vacat. Mahomedanorum magno Sultano opobalsamum soli esse colligendum, omnes norunt. Similia alibi recepta nunc prætermittemus, quum hæc illustrationi sufficere possint. Commercii per totam Ægyptum 14 annis diffusi amplitudinem docet Historia Josephi Patriarchæ. Si fertilitatis sterilitatisque rationes ex antegressis causis explorarentur, nonnulla ei similia Thaletis exemplo fieri possent. Vnde magnitudo lucri æstimanda sit, haud difficulter perspicietur, si attendatur ad eas opes, quas mercator sub initium mercaturæ suæ habuit, & quas post mortem exacto certo annorum numero relinquit, quas aliunde non habuisse intelligitur, quam ex negotiatione. Neque tamen unius vel alterius tantum opes ita partæ sunt inspiciendæ, sed plurium aut plerorumque recte suas res curantium; & præterea amplitudo negotiationis opumque partarum, quæ perlonge sortem privati & mediocris superant civis. Quod quia ex pristinorum temporum memoria hauriri potest, non nunc demum discendum est iis, qui accurati earum rerum obseruatores fuere; quanquam & recentis ætatis ratio ideo habenda, quia & commerciorum externorum magnæ oriri possunt vicissitudines eversionesque. Magno commercio non sufficiunt nisi ingentes talentorum summæ & thesauri millionum inauditi. Quare ad tantam pecuniæ vim obtinendam aut plurimorum privatorum indigenarum & exterorum symbolæ & sortes sunt conferendæ, aut si quod habetur ærarium publicum pecuniosissimum, illud ex parte in hos usus erit impendendum. Priori casu publica securitas iis est præstanda, qui absque ea sortes suas non sine metu jacturæ conferre in ærarium societatis magnæ mercatoriæ vererentur. Posteriori casu securitas publici ærarii insignem requiret curam, ne quid detrimenti capiat. Accedit his quoque liberalitas erga alios cives seu emtores mercatorum, ne illi horum iniquitate vel injustitia bonis emungantur. Qua enim æquitate mercatoribus est faven-

(*Wolfii Politicæ P. I. C. VI.*).

vendum, eadem & cæteri cives sunt complectendi, ne præter necessitatem horum magna pars redigatur ad egestatem illorum aviditate. Saltem id caveretur publica inspectione paternaque omnium cura, ne facile quidquam contra æquitatem committi posset in commerciis externis, & exoticorum pretio ultra modum abusu ignorantiæ emtorem intendendo.

§. 442.

Quibus committi externa commercia possent?

Commissariorum vel Curatorum commercio externo præficiendorum non tantum summa requireretur peritia, fides & prudentia, verum etiam opulentia & rata in commercio, ne periculum ab iis esset metuendum. Nam si ipsa civitas fidei nulli suspectæ egregio locupletari vellet commercio externo, nonnisi liberali quæstui locum datura, aut publico ea in re uteretur ærario, aut, quia id eo non valeret, plurimorum aliorum civium aut exterorum sortibus in societatis negotiatoriæ ærario secure nec sine usuris deponendis credendisque. Vtroque casu peritissimis indiget commercii externi viris, eidem regendo summa fide, diligentia & prudentia præfuturis. Qui si ex opulentioribus senioribus, diligentioribus, cautioribusque mercatoribus, adjunctisque eisdem politicis seligantur, hi & indemnes erunt præstandi, & præmiis invitandi, ne quid omittant eorum, quæ facere recte possunt. Ejusmodi vero præmia vel honoraria erunt nonnullorum egregia, vel ratæ damni & lucri plerorumque, ne vel contra sua commoda secus, ac par est, quidquam moliantur, vel & pro libidine sua pretia augere & minuere possint, sed sponte intra præscriptos moderandosque a rectoribus civitatis terminos æquitatis naturalis subsistant. Si quo tamen casu vel culpa gravi vel dolosa conspiratione quidquam contra salutem publicam admittant aut attentent, provisum est, ut pœna ab ipsis luenda omne, quod intentarant, vel dederunt damnum compenset avertatve. E quibus probe expensis propositi veritas necessitasque moralis abunde conspicitur.

Inter

Inter Romanos olim quatuor comites commerciorum, Orientis & Aegypti, Mœsiæ, Scythiæ & Illyrici quandam habebant similitudinem, cum iis, qui commerciis publicis præfici queunt. Secundum a Rege Aegyptiorum Josephum commerciis annonæ potissimum præfuisse, ex historia sacra certum habemus. Post ea tempora Ptolemæi Reges commercium nauticum longe lateque exercuere classium præsidio illud tuentes. Quale commercium antea Salomo a Tyriis didicerat & in eorum societate colebat. Quod fere regiis sumtibus, ut Hirami, stetisse videtur 1 *Reg.* IX, 26. *seqq.* Quod institutum inter ejus posteros Josaphatus resuscitasse perhibetur 1 *Reg.* XXII, 49. *seq.* De Hispanorum classe argentea supra dictum.

§. 443.

Cur societatibus mercatorum conceduntur commercia externa.

Haud difficulter rationes perspiciuntur, ob quas plerumque commercia externa vel maxima societatum mercatoriarum esse deprehenduntur. Raro solent rectorum civitatis thesauri ita abundare divitiis, ut his summis immensis pares sint. Quam facile bella nascuntur, absumentia brevi tempore, quæ diu fuere collecta? Ab hujusmodi igitur aliisque casibus, quos usus rerum magister docuit, habent quod metuant hi, qui sortes, unde alendi sunt, inferre ærario mercatorio deberent, & cæteroqui vellent, si servandæ sortis perpetuandæque usuræ certi essent. Quæ cum in societate mercatorum non æque verenda sint, facilius illorum ærarium juvant, quam aliud, quod multo ipsis periculosius videtur. Deinde mercatores & alacriores redduntur diligentioresque in tractando commercio, unde uti damnum sic & lucrum omne norunt in se esse redundaturum, modo vectigalia & quæ præterea impendenda sunt, in usus civitatis, præstiterint. Civitates libertatis studiosæ vereri etiam possunt jacturam suæ libertatis & privilegiorum, si rectores illo commercio redderentur aptiores ad earum libertatem opprimendam. Quum igitur plurimum referat civitatis, commercia

 illa

illa externa maxime florere, e quibus plurimum lucri redit, cæterisque nocituris aliter occurri possit: haud in obscuro sunt rationes, ob quas plerumque commercia externa vel maxima societatibus mercatoriis concessa esse deprehendantur, licet apud exteras civitates nomine civitatis gerantur & gerenda sint.

Sic patet in fœderato Belgio societates indicas mercatorum societatibus esse relictas, quæ suis directoribus & gubernatoribus utuntur, in salute societatum rite administranda. Neque Galliæ, Angliæque societates, commerciis orientalibus, occidentalibus, australibusque intentæ, suis carent privilegiis, quibus solæ res suas curent, suos sibi eligant directores gubernatoresque, vel & missos iterum faciant, aut male officio functos pœnis promeritis subjiciant. Neque dispar aliarum civitatum ratio facile occurrit. Ne nimis invalescat hujusmodi societatum opulentia, ne arrogantia vel superbia evadat civitati periculosa, ne excessu pretii gravis eidem evadat, judiciis cavetur, in quæ vocari possunt ad rationes reddendas eorum, quæ suspecta vel iniqua esse deprehenduntur, & pro meritis puniri, si pœnam merentur, cætera emendari.

§. 444.

Cavendum, ne quid pacto commercii adversum fiat.

Valde cavendum est inprimis civitati, cujus maxime interest, ne quid pactis adversum in commercio externo committatur. Etenim quidquid certi in commercio externo habetur in foro humano, id non est nisi pactitium (§. 192. *Jur. Gent.*). Cum igitur pacta sint servanda in primis ab eo paciscente, cujus plurimum refert, ut ab altero pariter serventur (§. 789. *P. III. Jur. nat.*): evidentissimum est, valde cavendum esse in primis illi civitati, cujus maxime interest, alteram a pacto suo non recedere, ne quid admittatur in commercio, quod jure dici possit pacto adversari. Quamdiu enim altera civitas nihil admittit, pacto adversum, tamdiu alteri nulla ne species quidem causæ est, a pacto recedendi vel alii quidquam concedendi contra initum pactum. At

At quando pactum violatur ab una civitate, alteri jus datur ab eodem pariter abeundi vel ex ea parte, quæ ipsi sufficere videtur, vel ex toto prorsus (§. 827. *ibid.*). Immo est, ubi jus belli locum habet adversus pacta non servantem (§. 848. *ibid.*).

Si v. g. de commercio ea lege conventus sit, ut uni civitati tantum liceat res parata pecunia emere, non vero res suas invehere & ibi vendere, & contra; vel ut emere quidem & vendere liceat res certas concessas, non vero alias, aut promiscue quascunque (§. 193. *Jur. Gent.*); tum ea agens, quæ pacto negata sunt, violat pactum, ideoque puniri jactura privilegii aut commercii potest. Inprimis hoc apertissimum tunc est, cum clausula commissoria vel pœna adjecta est, si quis contra pacta venire audeat. Eo major igitur cautio erit adhibenda, quo majus est damnum, quod incurreret pactum fraudulenter transgressura.

§. 445.

Quousque commercium externum sit amplianudum?

Quoniam naturaliter cuilibet civitati jus est ad commercia cum qualibet alia civitate ineunda (§. 199. *Jur. Gent.*), neque hoc jus præscribi potest, aut solo usus neglectu amitti (§. 79. *ibid.*); obligatur vero civitas ad commercia cum aliis exercenda, quantum in potestate est (§. 187. *ibid.*): relinquendum utique est civitatis arbitrio, utrum ipsi expediat commercium cum aliis civitatibus, nec ne (§. 188. *ibid.*); attamen propter officium perficiendi statum suum, quantum fieri potest (§. 35. *Jur. Gent.*), *opera navanda commercii externi amplitudini, quatenus deprehenditur successu fructuque non carere.*

Habet & hic illa regula locum, dispiciendum non tam esse, quam multa, sed quam multum, hoc est non solam multitudinem commerciorum externorum esse spectandam, sed fructum, ex illis in civitatem redundantem. Nullius momenti foret commercium fructu destitutum, quare & plura ejusdem conditionis infructuosæ commercia tantum abest, ut appetenda sunt, ut potius fugienda videantur. Cui quæso bono magnis

 sum-

ſumtibus nihil agatur? Pono ſcilicet, revera nihil agi iſto commercio. Tunc autem dici nequit nihil agi, ſeu inutile eſſe commercium, quod non aliquando, aut lucro careat & damno, quod & ipſum in lucro eſt ponendum; aut & damnoſum ſit. Satis enim habendum, ſi plerumque ſit lucroſum. Vbi ſocietatibus mercatorum permiſſum eſt commercium, ibi hi facile computabunt & experientur, quodnam commercium ſit fructuoſum, quod minus, & vel antequam id incipiant ex aliis rationibus intelligent, ſitne ejusmodi commercio ſpes lucri propria, nec ne? Quatenus deprehendunt, eidem lucrum ineſſe, eidem inſiſtere non intermittent. Quatenus vero idem eſſe, ac ſi nihil egiſſent, aut damnum inde ortum ſentiunt, nec melior ſpes in poſterum affulget, eatenus ſua ſponte ab illo abſtinebunt.

§. 446.

Externa ampliandorum commerciorum auxilia.

Amplitudinem commerciorum externorum promovet mercatorum bona fides & providentia, itinerum ſecuritas commoditasque, pretiorum æquitas, mediocritas vectigalium cæterorumque onerum, expeditus mercimoniorum & hominum acceſſus diſceſſusque, promtaque diremtio controverſiæ Mercatoribus motæ. Si ab internis ampliandorum commerciorum invitamentis illecebrisque, quæ in rerum in commercium venientium alibi inopia & ſpe lucri inde capiendi continentur, recedimus, duo ſunt quæ extrinſecus commerciorum externorum amplitudini inſervire poſſunt, ſcilicet copia adjumentorum externorum & remotio impedimentorum (§. 211. *ſeq. Jur. Gent.*). Adjumenta externa ſunt in ipſo itinere faciendo ejus ſecuritas commoditasque quanta haberi poteſt: quum non ab intutis periculoſisque itineribus ſubeundis non poſſint non abhorrere mercatores, atque incommoda quoque fugiantur potius, quam appetantur, ubi nulla neceſſitas adeſt ea ſubeundi. β) Peracto itinere expeditus mercimoniorum hominumque acceſſus, quo citra graves cauſas nec arcentur aliquamdiu ab aditu, nec ſuperfluis diſtinentur examinibus, morisque inje-

injectis; multo minus periculo libertatis & fortunarum subjiciuntur. Cui adjungendus est post peractum negotium æque expeditus, tutus liberque discessus mercium pariter ac hominum (§. 213. *Jur. Gent.*). γ) Mercatorum bona fides & integritas, ab omni fraudulentia & dolo sejuncta præsertim in venditione, quæ facit, ut cum ipsis quotquot illam perspiciunt commercium habere malint, quam cum fraudulentis dolosisque hominibus, quos ad pœnam promeritam rapere non pigrabuntur. Quando sic a studio alios fallendi longe absunt, itidem & sibi prudenter prospicient, ne vel ab aliis circumveniantur in mercimoniis coëmendis, vel talia incauti emant, quæ vix usui & lucro esse possunt. δ) Ad utrumque facit pretiorum æquitas, qua modico contenti lucro & aliis lucrandi materiam suppeditant, frequentiorique & copiosiori mercatu plus lucri faciunt, quam annonam excandefaciendo & emtores a se alienando.

Impedimentis accensenda sunt ingentia tum vectigalia, tum alia onera omne lucellum præripientia, & controversiæ litesque mercatoribus motæ, moras ipsis longas injicientes. Ea propter nonnisi modica, quæ ipsa æquitas postulat propter expedita itineris incommoda &c. vectigalia sive terrestria sive nautica mercatoribus sunt imponenda (§. 214. *Jur. Gent.*). Multo minus aliis subjiciendi sunt oneribus, quibus a tam onerosis commerciis, tædio sibi & damno futuris absterreantur. Quia facile lites moveri mercatoribus possunt, propter quas sive ipsi sint in jus vocandi, sive cogantur aliis diem dicere: si tunc moræ ex moris nectantur, ut magno cum sumtu & litigandum sit & commorandum, nihil poterit ipsis esse neque molestius, neque perniciosius istiusmodi vexis remorisque. Quam obrem sine ulla mora illico audiendæ & ex æquo & bono dirimendæ erunt si quæ ipsis obortæ sunt lites, vel de aliis

que-

querelæ. Ita ſcilicet promte expediti alia adire loca & ulterius ſubinde, uti conſultum videtur, proferre ſua negotia valebunt.

Ipſe uſus rerum juriumque mutuus docuit civitates, inter quas commercia intercedunt, neceſſitatem judiciorum mercatoriorum, breviſſime omnia excutientium decidentiumque, remotis ambagibus, & ſolemnitatibus quibuscunque. Quæ obiter hic attigiſſe ſatis eſt.

§. 447.

Vbi manu mercatorum conjuncta opus ſit.

Itinerum terreſtrium ſecuritas in civitatibus incultis dudum impoſuit mercatoribus neceſſitatem quaſi armata caterva proficiſcendi. Etenim ubi ſcelerati latrones vias infeſtant & viatoribus inſidiantur, nec civitas ab his ſecuritatem præſtat, ibi mercatores ipſi ſecuritati ſuæ utcunque proſpicere coguntur, niſi prorſus omittere ejusmodi commercii genus poſſint. Enimvero hoc vix aliter fieri potuit, quam ut conſociata manu & turma armati conjunctim iter faciant, atque ſic inſtar parvi exercitus excubias agant, ſibique invicem præſidio ſint. Quapropter in hujusmodi civitatibus, ubi frequentia graſſantur latrocinia, & globi latronum mercatoribus inſidiantur, opus eſt ut mercatores undique congregati in ſocietatem armata manu militarique ratione ſibimet ipſis, quam optime poſſunt, invicem opitulentur in itinere faciendo, ſecuritatique ſuæ conſultum eant mutua defenſione (§. 973. & 988-993. P. I. Jur. nat.).

Hujusmodi manus mercatorum conjunctæ reperiuntur jam antiquiſſimo ævo iter feciſſe, procul dubio ſuæ ſecuritatis ergo. Iſmaelitæ ac Midianitæ ſic conjunctim proficiſcebantur in ægyptum *Geneſ.* XXXVII, 25. 28. quibus vendebatur a fratribus ſuis Joſephus. Neque poſt ea, quum multo magis terra hominibus civitatibusque referta fuit, & commercia inſtaurata fuerunt, melior modus conſulendi ſecuritati iter facientium mercatorum repertus fuit, quam ſi juncta manu ſibimet invicem adeſſent, nec ſe divelli a ſe invicem paterentur. Idemque inſtitutum ad hæc

hæc usque tempora in civitatibus latrocinia foventibus saltem permittentibus observatur, ut scilicet mercatores catervatim ad emporia eant, & ab illis domum revertantur, quo a grassatoribus se defendant. Quæ mercatorum catervæ vel cohortes vulgo *caravanes* appellantur, & in locis sæpius sibi peragrandis propria sibi velut diversoria vasta hospitia & munimenta constituere, ubi pernoctarentur, potuque jumentorum suorum ac suammet sitim restinguere possint, quæ *caravansera* dicuntur.

§. 448.

Piratarum injuriis occurrendum est vel præsidio navium armatarum actuariis adjunctarum, vel pactis securitatem a piratica tributo quodam præstituris. Quod enim latronum globi sunt ratione commercii terrestris (§. 447.), hoc piratæ sunt ratione commercii nautici, quod rapinæ studio non turbant solum, sed, ut se locupletent, damno afficiunt insigni. Si qua civitas non obstet piraticæ sed eam potius approbet, velut bellicum aut intra inducias receptum prædandi modum, & tueatur; tum si persuasionibus aliisque modis amicis ab iis, quorum se permiserunt protectioni, nihil obtineri queat; nec unitis viribus prædonum maritimorum castella everti aut tolli penitus possint, nil restat, quam ut vis vi repellatur summo defensionis & belli jure (§. 1104. 1106. 1109. & 1116. *P. I. Jur. nat.*). Ea propter si naves actuariæ conjunctim iter facere possint, classe præsidiaria erunt comitandæ & defendendæ, ubicunque a piratis infestantur. Si vero paucis separatim iter sit faciendum, aut ipsæ onerariæ simul armis erunt militibusque instruendæ ad sui defensionem, aut aliquæ naves armatæ iis adjungendæ, quæ piratas abigere possint. Quod eo magis erit necessarium, si pactis securitatis ineundis aures nullæ præbeantur.

Piraticæ quomodo occurrendum.

Si vero alio modo minus sumtuoso securitas a piratis obtineri possit, a bello esse abstinendum, eumque adhibendum, lege

lege naturali injunctum est (§. 1117. *P. I. Jur. nat.*). Quam ob rem si pacto quodam lytro, quod multo minus sit sumtibus, in securitatem solum adversus ipsos impendendis, redimi securitas a piratis ita possit, ut promissa servatum iri certum sit, tum quia minus malum majori sit præferendum, & pacto inito, tributoque quodam soluto, securitas redimenda sit, dubitari nequit (§. 570. *seqq. Jur. Gent.*).

Antiquum est piraticæ cacoëthes, contra quod Romanis interdum bellum fuit gerendum, cujusmodi belli piratici mentionem, *Cicero* facit *post redit. in sen. c. 5.* Jam si aut commercium totum abrumpendum, aut quando id officia vetant, bellum quoddam defensivum illius causa gerendum est: tum utique deliberandum erit, quid præstet fieri, utrum potius paranda & armanda sit navis una atque altera, actuarias & commitatura & defensura, & præterea simul commercio augendo inserviens; an si fieri possit tributo quodam piratarum insidiæ & impetus tutius averti possint? Ad illud, quod satius deprehenditur, præferendum obligationem adesse naturalem, patet ex (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*). Notum est, in mari mediterraneo hujusmodi piratas dari Maroccanos, Algerienses olim Numidas, Tunetanos, ubi olim Carthaginenses, & Tripolitanos, quorum archipiratæ interdum magna bella gessere, & christianorum hostes sunt perpetui, tanquam Mahometani, & præter primos imperatoris Byzantini clientelæ tributarii. Cum his ideo aut bellum perenne nautis christianis, aut pacta induciarum intercedunt uti Anglis, Gallis, Danis, Belgis, Venetis, quibus aliquamdiu & aliquatenus securitatem ab eorum piratis obtinent, quibuscum pepegere. Constat vel ex hujusmodi exemplis, quantæ esset utilitatis, si animi illius mali hominum rectius imbuti ad æquiores traducerentur mores ac ad piraticam abominandam.

§. 449.

Innoxii *Si commerciorum causa ad valde dissita loca itinere campestri aut fluvia-*

fluviali proficiscendum sit, intermediarum civitatum est, transitum innoxium mercimoniis mercatoribusque concedere, modo ad viarum & pontium reparationem suam conferant ratam. Naturaliter enim civitatibus promiscue patet jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ sunt in alterius dominio (§. 343. *Jur. Gent.*). Sed transitus, de quo loquimur, est innoxius civitati, per cujus regiones tendit. Ergo transitus per terras & flumina, lacus &c. interjacentium civitatum, mercatoribus ad sepositam civitatem mercibusque eorum non est denegandus (§. 346. *ibid.*). Quando vero opus est sumtibus in securitatem itineris, reparationem viarum, pontium, aggerum, cataractarum in fluviis aperiendarum recludendarumque faciendis, inprimis si potissimum transeuntium causa sint necessarii illi sumtus: tum ipsa justitia vocat transeuntes in partem earum æquam ferendam, ideoque eam conferre in locis ejus exactioni destinatis obligantur, nec jus habent vel impunitatem, ista loca prætervehendi aut circumeundi (§. 119. *Jur. Gent.*).

transitus libertas æqua.

Consideranda est tam dissitarum civitatum justa causa expetendi remotiora illa commercia, sive alterutrius tantum, sive utriusque causa. Item spectandum est, quid civitas sibi vellet fieri, si ipsa in dissitarum loco esset posita. Hoc ipsum ergo, quod sibi tum vellet fieri, jam illis sejunctis longius civitatibus gratificari debet eo magis, quod hæc transitus concessio cum insigni illius emolumento conjuncta est. Habent enim vectigalia, habent hospitia & diversoria, habent popinæ, rustici & opifices sæpe sua inde commoda, quoties eorum indigent auxilio, usu & rebus emendis conducendisque. Neque compellere potest civitas propior alteram, ut a se petat ematque illa, quæ per transitum quærit. Gaudet enim quælibet civitas jure naturali libertate commercia sua dirigendi quomodo lubet, & quorsum lubet (§. 199. *Jur. Gent.*) nec alia quælibet prohibere debet, ne cum civitate remotiori sua tractet commercia (§. 200. *ibid.*). Inde jure suo interjacens civitas nollet, id sibi

ab alia civitate fieri. Quoniam vero in noſtro caſu remotiorum civitatum commercia inſtitui nequeunt, niſi ope tranſitus per civitatem unam alteramve interjacentem, ſine ullo ſuo damno non tantum (§. 690. *P. VI. Jur. nat.*), ſed & cum fructu ſuo concedendi; manifeſtum eſt, nullum jus eſſe civitati intermediæ, poſtulandi, ut a ſe illa mercimonia petat, nec denegato tranſitu eam ad hoc adigendi. Quam inepte hoc ulla civitas affectaret vel ſibi arrogaret, vel ex eo perſpicietur, ſi cogitemus privatorum ſtatum naturalem, immo & civilem, qui hoc ex naturali merito retinuit, ne cuiquam vicino jus ſit compellendi vicinum, ut a ſe emere debeat, quo indiget, & cujus cauſa remotiorem alium venditorem adire cupit.

§. 450.

Tranſitus noxius eſt denegandus. *Quando tranſitus non eſt innoxius, tum is nec flagitandus eſt, nec concedendus.* Conceſſio enim ejusdem nititur illius innocui indole (§. 449.). Qua ſublata corruit jus illum petendi & adipiſcendi. Facile autem perſpicitur, noxium fore tranſitum, ſi merces ſint peſtiferæ, tranſituri peſte aut ſimili contagio ſint infecti, aut ſi belli tempore hoſti ejus civitatis, per quam tranſituri ſunt, commeatum vel arma &c. advehere velint, ad bellum eo longius ducendum. In his enim caſibus juſtus damni metus eſt & periculum imminet, quod avertere civitas tenetur (§. 493. *P. II. Jur. nat.*). Ne igitur officio in ſemetipſam deſit, vel ne ſibi noceat ipſi, tranſitus erit denegandus (§. 689. *P. VI. Jur. nat.*). Vnde ne expetendus quidem, multo minus concedendus erit tranſitus in his caſibus manifeſtis.

§. 451.

Quid in caſu dubio ſtatuendum. *Neque minus venientes ex locis ſuſpectis aut per loca infecta peſte arceri eo usque a limitibus & tranſitu poſſunt, donec conſtet, nihil contagii ab illis metuendum eſſe.* Quando prope certum erat, tranſitum eſſe nociturum, tum is erat denegandus (§. 450.). Jam

Jam quidem tantus nocumenti metus in hoc casu non occurrit, suspicio tamen periculi adest, quoniam transituri aut eorum res forte veniunt ex locis pestilentibus. Quoniam tamen certum est, omne malum esse avertendum, quoad fieri potest (§. 493. *P. II. Jur. nat.*); & quod dubitamus, num recte fiat, id non est faciendum, nec fieri potest sine peccato (§ 448. *P. I. Phil. pract. univ.*): venientes ex locis suspectis, aut per loca peste infecta, aut de quibus merito dubitandum, an vel ipsi vel eorum mercimonia sint a metu contagii libera, merito a limitibus eo usque arcentur & transitu prohibentur, donec constet, nihil contagii ab ipsis metuendum esse.

Quoniam si quid pestilentiæ inest hominibus, intra quadraginta dies erumpere & exserere se solet, recepti passim moris est, ut homines suspecti quadragenum dierum exspectare jubeantur, antequam definiatur num & quomodo ipsis transitus sit concedendus, nec ne? Indicta igitur quadragenaria mora illis agenda est, qui liberare se a suspicione infectionis contagiosæ cupiunt, & planum faciendum, nihil contagii interim sibi accidisse. De quibus suo loco plura.

§. 452.

Neque denegandus est alienis mercatorum navibus transitus per mare occupatum, nisi adsit justus damni metus; multo minus transitus per vastum mare liberum. Etenim si nullus adsit damni metus justus, transitus is, per mare occupatum licet, est innoxius domino maris. Quare uti transitus per terras alterius civitatis est concedendus, quando is est innocuus (§. 449.): ita quoque transitus per mare occupatum eadem de causa alteri civitati non est denegandus, quando eo opus (§ 355. *Jur. Gent.*) habet, modo & tunc vectigal solvat æquis de causis constitutum. Revera enim in maxima civitate ad commune bonum omnibus est conferendum ex æquo, sive indigenis sive peregrinis (§ 103.).

De transitu per mare concedendo.

 Mare

Mare autem vaſtum per ſe occupari nequit (§. 127. *Jur. Gent.*) nec quia uſum navigandi & piſcandi habet inexhauſtum dominio ſubjici debet (§. 121. *ibid.*). Inde nulla civitas jus prohibendi, quo minus altera in oceano navigare & piſcari debeat, ſibi arrogare poteſt (§. 122. *ibid.*), ſed injuriam faceret alteri civitati, quam ab uſu navigandi & piſcandi in oceano arcere auderet (§. 123. *ibid.*), eique juſtam belli cauſam eo ipſo præberet (§. 124. *ibid.*), ſi eam a tranſitu per vaſtum mare excludere niteretur. Quam ob rem nulli civitati tranſitum per oceanum ad maxime diſſitas alias civitates commercii impediendi cauſa denegari jure poſſe evidentiſſimum eſt.

Vti mare occupatum dominio cujusdam civitatis ſubjectum eſt, quæ ipſi imperat in ſuis fretis, portubus, litoribusque ſubjiciendum: ita *oceanus*, quem vaſtum mare dicimus, ampliſſimum illud æquor eſt, nullius ſubjectum nec dominio, quia eſt uſus inexhauſti nec hominibus ſolum omnibus, qui eo ubi cupiunt, ſed beluis quoque innumeris abunde ſufficientis; quod in partibus maris occupati ſecus habet. Ibi enim & piſcium copia perfrequenti captura & uſu diminuitur ſenſim, uti piſces in ſtagnis & lacubus. Quare ſi accolis ſufficit, aliis omnibus ſuppetere nequit. Præterea & alia damna verenda forent ab aviditate peregrinorum & vi improviſa prædandi accolas, ſi piſcium copia exſatiari non poſſent, vel eripiendi illorum imperium dominis ſuis, fere ac ſi vicini cives, ruſticive involarent in aliorum res.

§. 453.

Quid in emporiis portubusque curandum.

Quoniam commerciorum cauſa in civitatibus emporia ſunt neceſſaria, & ubi maritima commercia haberi poſſunt, portus quoque (§. 217. & 220. *Jur. Gent.*): curandum non modo eſt, ut in emporiis res commode ac ſecure importari, exportari, & commorari commutarique poſſint; ut tutus ſit acceſſus diſceſſusque navibus æque ac plauſtris, ne deſit opportu-

portunitas merces permutandi, emendi & vendendi; ne mora iniqua detineat importantes, exportantes, transeuntesque; ne inusitati justoque majores impendendi sint sumtus; ut lites inter mercatores obortæ sine mora dirimantur; ut nihil committatur, quod juri commerciorum ex pactis quæsito quomodocunque adversetur; verum etiam impertienda sunt exteris civitatibus privilegia, quæ potissimum emunt res superfluas & majori commercio prosunt, ipsis grata, v. c. ut iis concedatur perpetua habitatio, rerum immobilium possessio, liberum religionis exercitium, juris patrii inter se usus, immunitas a vectigalibus, quanta vel importationis vel exportationis causa concedi potest, & quæ sunt cætera generis ejusdem, majoris securitatis causa pactis liquidissimis sancienda, accurateque servanda (§ 218. *ibid.*). Pariter portus quoque ita ab arenis aliisque obstructionibus liberandi, ita undique muniendi sunt, ubi opus est, ut pro portorio æquissimo liber, tutusque ibi habeatur & ingressus navium, & egressus, & receptus in tempestatibus procellosis vel hostium persecutionibus, vel hiematione (§. 219. *seqq. ibid.*) Proinde generatim *emporiorum portuumque necessitati, commoditati, securitatique ita est prospiciendum, uti ad commercium quam florentissimum reddendum salutare deprehenditur.*

Quia in emporiis merces venales fere quotidie importantur & exportantur, pariter ac portuum ope, quandocunque navigare licet, naves, merces e longinquo advehentes, aut in remotas civitates evehentes, modo appellunt & intrant, modo solvunt & abeunt: in illis veluti perpetuæ habentur nundinæ saltem mercatorum causa, qui ingentem copiam mercium pro lubitu emere ac vendere possunt. Quod commerciorum externorum ratio flagitat, si illa frequentari adjuvarique debent. Vnde eorum, quæ his contraria sunt, quæque absterrere, avocare & impedire externa commercia possunt, fuga & profliga-

tio necessaria esse intelligitur. Quorsum interdum *jus stapulæ* referendum (§. 227. *Jur. Gent.*).

§. 454.

De mercatorum consulibus. Vti in emporiis maritimis portibusque mercatorum consules requiruntur, qui juribus & privilegiis nationis suæ conservandis, litibusque mercatorum definiendis operam dent (§. 229. *seq. Jur. Gent.*): *ita certum consulum jus & officium pactis mutuis est constituendum limitandumque, item autoritate civitatum corroborandum tuendumque* (§. 231. 236. *ibid.*). Qui mercatorum consules dum plerumque manent membra civitatis eos constituentis (§. 232. *ibid.*), si quid jussi fuerint nomine civitatis suæ, earumque rectorum, agere, id promte velut mandatarii ipsius & procuratores expedire, solvere, urgere, jurata fide obligantur, quando opus est revocantur, vel sua potestate exuuntur, & si quid deliquerint, patria vel contractus lege puniuntur (§. 233. *seq. ibid.*). Vbi vero recipiuntur & resident, ibi vel utuntur jure pactis adquisito, vel si nihil peculiare ipsis est concessum, ut peregrini, negotiorum causa ibi commorantes sunt habendi (§. 235. *ibid.*).

Rarius contingit, ut ejus nationis civitatisque, quæ consule indiget, indigena mercator alius civitatis mercator sit factus, quo tanquam alterius civitatis peritiore consule patria ipsius uti malit, quam alio. Quodsi illa civitas concedit, in qua consulem alterius civitatis mercatorum agere debet, qua lege ea illud concedit, eadem ipsum simul alterius civitatis patriæ, cujus leges itidem tenere sumitur, consulem esse posse manifestum est. Quem casum etiam dari posse patet, si consul tantum in magno sit commercio cum ea civitate, cujus consul constituitur, etiam si sit indigena ejus civitatis, in qua alterius consulatum suscipit gerendum.

§. 455.

Modus pre- *Vt pretia rerum salva æquitate minora in una civitate sint, quam*

quam in aliis, id procurandum est partim rerum earundem majori abundantia, partim præstantia. Etenim pretium rerum non solum naturalium sed & artefactarum pro abundanti illarum copia diminuitur, & pro inopia augescit, quamdiu illa inopia tolli, & usus rei omitti nequit (§. 431.). Præterea si res non sunt ejusdem sed diversæ præstantiæ, cariores illæ sunt, quarum præstantia est major, viliores autem, quarum inferior & deterior est natura, prout in omnibus & naturalibus & artificialibus rebus usu venit. In his æstimanda non tantum est materia, ex qua conficiuntur, sed & opera, qua producuntur, & impensæ faciendæ, ut produci queant (§. 314. *P. IV. Jur. nat.*). Hinc si res diversæ bonitatis eodem vendantur pretio, tum minori pretio emit, qui meliores pro illo accipit, quam qui deteriores. Quamobrem si florentius reddendum est commercium, pretiorumque diminutione alliciendi sunt emtores peregrini, tum opera danda est civitati, ut aut res naturales majori copia seu abundantia vel procreet, vel eruat; vel fieri curet artificiales; aut ut præstantiores illas res habeat & comparet, quam aliæ civitates. Vtroque enim casu obtinebit, ut minori pretio res suas aliis vendat, rerum simul habita ratione, ideoque peregrini illas emere malint, quam alias. *tia rerum ex æquitate minuendi.*

Compendii causa hic sumimus, æquitatem pretii determinandi secundum leges naturæ observari, quæ solæ omnibus in universum civitatibus sunt communes. Quas majori ex parte ostendit *P. IV. Jur. nat.* §. 303 - 326. Potissimum in pretio rerum spectatur usus, quem præstant hominum necessitati, commoditati, dignitati, ornamento & jucunditati. Quantum igitur usus vel est amplior, vel diuturnior, vel splendidior, jucundiorque; tanto pluris res æstimatur, tanto gratior erit emturis, si accedat ea pretii moderatio, quanta alibi non occurrit. Curandum igitur est civitati floris commerciorum externorum avidæ, ut & rerum naturalium adjuvet præstantiam abundantiamque,

que, quantum fieri poteſt, & artes evehat in gradum altiorem eo, quo in aliis civitatibus coluntur, ut res artefactæ ſint ornatiores, elegantiores, durabilioresque aliis, quæ pro tali pretio emi conſueverunt.

§. 456.

Alia pretia rerum ſuarum diminuendi ſubſidia.

Facit ad diminutionem pretii quoque advectio illarum rerum, quibus ipſa abundat, copia, qua eas illico vendit, parata & melior pecunia, pro qua eas vendit, coëmtioque aliarum rerum lucroſarum. Certo enim certius eſt, civitatem rerum ſuarum abundantiam alii civitati advehentem una lucrari naulum, (ſive uſum navis ſpectes nauclero commodum, ſive mercedem navarchi & nautarum operarumque) quod merito imputant in pretium, aut ab eodem ſubducunt advehentes, & recipiunt ab illa civitate, cui important res ſuas. Quod ſane idem eſt, acſi altera civitas uſum navis hujusmodi una emiſſet, conduxiſſet mercede nautas peregrinos, hisque de cauſis pecuniam exportaret.

Dum magna copia rerum abundantium illico venditur, plus lucratur venditor, quam ſi longo demum tempore eas vendidiſſet, cum quo caſu ſi prior conferatur, idem eſt, acſi venditor pecuniam ejusque uſum anticipaſſet. Sed anticipans pecuniam, ceu rei ſuæ pretium, non ſolum certo illam habet, ſed & uti illa ſtatim poteſt, ad alia lucranda. Vnde eum meliori eſſe conditione liquet, quam ſi parum tantum illa opera, poſt aliquod tempus iterum parum, alia opera, & ſic porro vendidiſſet, atque v. g. integro anno demum vendidiſſet, quod jam una vendidit hora.

Si quis parata pecunia vendit, ejus conditio melior eſt, quam ſi de pretio fides habenda, aut elapſis demum diverſis temporum intervallis ſolutio ſit exſpectanda. Neque negari poteſt meliorem eſſe venditoris conditionem, ſi melioris notæ aut ponderis pecuniam accipit, quam ſi moneta ſit deterioris

ris conditionis (§. 1067. P. IV. Jur. nat.). Sic & illa conditio melior venditori erit, dum pecuniam accipit domi assignatam, ubi peregrina moneta vel non est vendibilis, vel quorsum eam deportare aut onerosum est, aut & periculosum.

Denique si venditor eadem navi secum asportare potest res alias lucrosas, quarum causa iter maritimum tamen fuisset faciendum, nisi naulo alii civitati dato eas exspectare voluisset: duplo gaudet lucro, & dupla ratione suæ civitati prodest, revehendo merces, quarum vectura alias exteræ civitati fuisset solvenda. Ergo & sic melioris est conditionis, atque plus accipit, quam alias fuisset accepturus. Quo plus vero in his casibus venditor ab emente civitate, vel emtoribus suis accipit, eo minoris vendere res suas potest debetque, inprimis si emtor æquiorem ipsi sistat venditorem earum, quas reportare secum vult, mercium. Vnde recte se habere causas diminuendi rerum pretii propositas, planum est.

Brevitatis causa prætervehor cæteras causas, quibus interdum melior fieri conditio venditoris, & pinguior emtor haberi potest, ex cit. §. 1067. P. IV. Jur. nat.), hauriendas. Ex præcipuis commemoratis, facile erit de cæteris judicium. Patet quoque ex allatis in medium, quo plures harum causarum concurrunt, eo pluris revera emtas merces vendi, eoque minoris illas esse vendendas. Habet alicubi ponderum mensurarumque parvitas magnum ad venditionem minoris, quam alibi, faciendam momentum. Accedit nonnunquam & fortuita causa non nihili facienda: si scilicet favente vento perbrevi tempore iter absolvi potuit, quod alias multo longiori & tempore, & majori sumtu absolvendum fuisset; si brevi tempore venditio & coëmtio est peracta & ventus reditui favere incipit. Quo enim breviori tempore & minori sumtu ista absolvi possunt, eo minus lucro decedit, eo minoris igitur res vendi possunt.

§. 457.

Quæ vectigalium & portorii regula tenenda?

Vectigalium portoriique ea ineunda est ratio, ut non solum civibus & exteris utrinque idem sit in pari casu solvendum, verum etiam in evehendis rebus abundantibus minus quam alibi detur. Si exteri nihilo plus pendant vectigalis aut portorii pro invehendis rebus peregrinis, quam proprii cives, nullam conquerendi speciem poterunt reperire, inprimis si & ipsi exteris se accedentibus suasque res invehentibus nihilo plus, quam suismet civibus indulgeant. Si plus indulgeant civibus, quam exteris peregrinæ civitates, vitio vertere alteri non poterunt, si ipsius premat vestigia, eodemque jure in suos & exteros utatur (§. 584. *Jur. Gent.*). Ecqui fieri posset, ut in aliis reprehenderent, quod sibi statuunt licitum esse æquumque? Si vero pacto inito plus immunitatis exteris esset indultum, quam civibus, ut idem vicissim & in altera civitate fiat; tum pacto neutiquam abolito standum esse, juris est naturalis (§. 789. *P. III. Jur. nat.*). Generatim igitur æqua erit vectigalium & portorii exactio, si pariter atque exteris utrobique in civitate tantumdem in pari casu sit solvendum, nisi aliter pacto sit conventum (§. 434.).

Quoniam evehendarum rerum superfluarum studium, quantum fieri potest, augendum est, idque obtinetur, si quam minimo fieri potest sumtu exportentur (§. 213. *Jur. Gent.*): dispiciendum est civitati, quomodo recte fieri possit, ut pro evehendis rebus abundantibus civibus pariter ac exteris minus dandum sit, quam in aliis civitatibus dari consuevit. Hoc enim ad ampliandum commercium facere, extra omnem controversiæ aleam positum est (§. 446.). Quare si fieri potest aliæque rationes commercium amplificandi non æque in promtu sint, diminutione vectigalium & portorii utendum erit majori, ac alibi fieri potest.

Dari possunt alicubi rationes naturales, viarum, portuumque sumtus minuentes. Qui sumtus cum ratio sint vectigalis & portorii, minores sumtus concedunt minus vectigalis & portorii: uti in contrario casu majores sumtus frequentioresque plus requirunt vectigalis & portorii. Sunt quidem vectigalia veluti nervi reip., quibus amissis & pacis ornamenta, & subsidia belli frustra requiruntur, uti *Cicero pro L. Manil.* monet. Sed nisi modica sint, ut perpetuari possint, debilitantur enervanturque.

§. 458.

Rationes diminutionem suadentes.

Sarcit vectigalis & portorii mediocritatem multitudo solventium illud, monetæ bonitas, & emolumentum ex commercio aucto oriundum. Est videlicet vectigal & portorium lucrum quoddam civitatis ex commercio ipsi nascens, partim rationem sumtuum commercii causa necessariorum, partim perceptionem lucri privati pro norma habens (§. 214. *Jur. Gent.*). Jam lucrum mercatorum privatum quod mediocre est & frequens, plus eos locupletat, quam majus quidem sed & eo rarius & sensim evanescens, usu rerum magistro (§. 446.). Quapropter & publicum e vectigalibus & portoriis lucrum, si mediocre sit, & quantum diminui potest, ipsa frequentia & multitudine, quam excitat & sustentat illud refundit, quod infra justam alibique usitatam mensuram recedit, cæteris nimirum paribus, quæ attendi merentur.

Quando quod minus datur pacto antiquo vel & novo dandum est in moneta proba & exquisita, nominetenus minus datur, & de cujus æquitate mutuus consensus adest. Revera tamen tanto plus datur, quanto bonitas & præstantia monetæ aliam vincit vulgarem. Pensat igitur & sarcit melior monetæ nota partem tantam minoris vectigalis & portorii, quantam nota præstantior exæquat ratione usitatioris monetæ.

Si vero præterea expendamus, auctum probe multipli-

catumque commercium alia parere publico civitatis ærario incrementa, quibus alias careret: hæc quoque incrementa, privatis & publicis rebus proficua, non possunt non in lucro publico poni, ideoque commercio externo in acceptis ferri. Si ergo unum idemque est, quo nomine commercia externa rempublicam juvent, alia illa incrementa recte dicentur supplere & reddere id civitati, quod in mediocritate vectigalium & portoriorum ipsi decedere videtur. E quibus relinquitur, compensari utique mediocritatem vectigalium portoriorumque, aut & diminutionem eorum infra reliquarum civitatum statuta, posse partim multitudine illa solventium, partim monetæ nota non vulgari, partim emolumentis reliquis e commercio ampliato oriundis.

Meretur etiam notari, quo minus est vectigal & portorium, eo minoris etiam res illas emi ab exteris, aliisque exteris eo majori copia vendi rursus posse. Quo ipso eo minus pecuniæ exportatur ex civitate ad illam, cujus abundantia has res subministrat, & eo plus ab aliis civitatibus reddetur illius pretii, quo sunt res emtæ, eoque durabilius id commercium efficietur. Quæ omnia non possunt non in his commerciis pensi haberi & in lucris poni. Cæterorum onerum & sumtuum minuendorum pares esse rationes, vix eget admonitione.

§. 459.

Providentiæ est periculis commercii opponere assecurationem.

Ad providentiam mercatorum provehendi commercium externum referenda est assecuratio, quæ dicitur, rerum tempore periculoso per mare tuto transvehendarum. Est enim assecuratio contractus, quo periculum rerum per mare transvehendarum pro certa mercede recipitur (§ 375. *P. V. Jur. nat.*). Recipiens ibi in se prævia æstimatione periculum navis & rerum transportandarum, præstat alteri indemnitatem periculo eveniente & navem cum mercimoniis eripiente. Stipulans autem sibi immunitatem a periculo, id non amplius habet metuendum, sed obli-

obligatur duntaxat & ad promissum securitatis præstandæ præmium solvendum (§. 376. *seqq. ibid.*). Quare cum liceat damnum a se avertere, ac de illo contrahere, cum alio, qui ex præmio stipulato lucrum quærit (§. 386. *ibid.*), & providentiæ sit, mala prævisa ac impendentia a se amoliri quam optime fieri potest: liquido constat, si periculum sit metuendum, ad prudentiam mercatorum referendam esse periculi maritimi aversionem, & immunitatem ab eodem ope mercedis seu præmii idcirco solvendi ei, qui indemnitatem a periculo est præstiturus (§. 446).

Docuit enim usus rerum, metuenda commercii pericula non adeo frequenter evenire, ac impendere videntur. Hinc si multi locupletes periculum in se recipiunt, gaudent spe immunitatis a periculo plerumque ipsorum vota implente, & rariorem casum jacturæ navis & mercium ferre ex præmiis, quæ lucrati sunt, multo facilius possunt, quam si omne id damnum uni foret tolerandum. Præmia enim promissæ securitatis, quæ sine ullo impendio suo accepere, & partem lucri alieni in ipsos derivant, considerare jure possunt, tanquam fortuita lucra ad hoc damnum compensandum sibi data & impendenda. Hujusmodi incerti casus & damni ab eo oriundi præstatio etiam in commercio terrestri periculoso locum habet.

§. 460.

Neque minus ad prudentiam illam pertinet memoria præteritorum atque exploratio futurorum, quatenus haberi potest, & in pretia rerum influit. Prudentiæ enim est, recolere præterita & prospicere futura, quæ quomodocunque influere in determinationem actionis præsentis possunt (§. 470. *P. I. Ethic.*). Sed in commercio præsertim externo præteritorum temporum memoria multa docere potest, quæ tum utilia fuere, & etiam nunc prodesse possunt, si pari prudentia adhibeantur; nec non quæ olim nocuere, vel eversionem commercii peperere, quæ evitan-

Prudentiæ mercatoriæ duo subsidia.

evitanda ſunt, ne ſimilia contrahantur mala. Præterea prævisio futurorum, quatenus in pretia rerum determinanda prodeſſe poſſunt, magnæ eſt utilitatis, ad licitum lucrum percipiendum, damnum vero tempeſtive præveniendum. Eluceſcit igitur, tum memoriam vel hiſtoriam præteritorum commerciorum, tum explorationem futurorum, quatenus illa haberi poteſt, & in pretia rerum influit (§. 431.) multum facere ad prudentiam mercatoriam ampliandam.

Quoniam hiſtoria priſtinorum commerciorum *alter oculus* eſt mercatorum, quo quid ſibi expedire vel nocere poſſit, perſpiciant: apparet neceſſitas accuratioris *commerciorum externorum hiſtoriæ*, ejusque *pragmaticæ*, cujus parum ſcopo reſpondens hactenus proſtare, ne ipſos quidem mercatores fugere poteſt. Vnde ſocietatibus mercatorum majoribus deliberandum relinquitur, dignumne eſſet inſtitutum, ſi præmium promitterent, materiamque, quatenus poſſunt, ſuppeditarent, his, qui hæc vel illa commercia externa ſibi ſumerent penitius excutienda, eorundemque hiſtoriam pragmaticam quam optime concinnarent. Ita ſcilicet & ortus progreſſusque illorum, & adjumenta & impedimenta, ſucceſſus & adverſitates, virtutes & vitia, quibus fata illorum tribuenda, diſtinctius innoteſcerent, aliisque eſſent documento. *Alter* vero *oculus* mercatorum eſt futurorum providentia ſaltem probabilis. Providentia enim aliquid futurum videtur antequam factum ſit, ſi *Ciceronem de Invent. II. c. 53.* audire placet, qui eam ſubjicit prudentiæ, tamquam rerum bonarum & malarum & utrarumque ſcientiæ, adjungens eidem & memoriam, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt; & intelligentiam, per quam ea perſpicit, quæ ſunt. Hanc tamquam in promtu poſitam, & diligenti attentione conſiderationeque nixam prætermitto. Providentia autem difficilior & cauſarum anteceſſiones commercio literario in has longe lateque ſcrutandas comparato explorat, earumque cum eventibus nexum animadvertens, eventus ex cauſis infert, ſi cætera accedant aut maneant requiſita. Ad quæ longius proſpici-

ſpicienda accuratiori opus eſſet perſpicientia nexus modo phyſici, modo moralis eventuum cum cauſis antegreſſis. Sæpe etiam prævifio nuda & divinatio eorum, quæ evenire poſſent, & quomodo illis vel occurrendum vel utendum, ſua non deſtituitur utilitate in prudentia mercatoria rite exercenda. Liceat vero claudere hos rivos, poſtquam hæc prata ſat biberunt.

§. 461.

Quando libertas commerciorum bello adſeri poſſit.

Quia libertas commerciorum inter civitates illibata eſt relinquenda, quatenus fieri poteſt (§. 205. *Jur. Gent.*), licet imminui poſſit pactis (§. 207. *ibid.*), ut alia præ aliis lucro commerciorum gaudeat (§. 208. *ibid.*): naturaliter vigere inter civitates quascunque commercium debet, quatenus id eſt in poteſtate, & juvare ſalutem civitatis poteſt (§ 204. *ibid.*). Hinc quælibet civitas ad commercia mutua exercenda conferre debet quidquid poteſt, nullo autem modo illa impedire, ſed potius removere, quæ eidem obeſſe poſſunt (§. 212. *ibid*). Quoniam tamen ſtandum eſt judicio civitatum, poſſintne commercium cum aliis inire nec ne, jus commerciorum non eſt niſi imperfectum, nec ulla civitas aliam cogere poteſt ad commercia ſecum exercenda (§ 189. *ibid.*). *Si vero libertas commerciorum pactis ſit ſtabilita, & nihilominus violetur, cæteris modis nihil proficientibus, ſolum jus belli reſtabit ad libertatem commerciorum vindicandam.* Naſcitur enim ex pactis jus perfectum & perfecta obligatio ſeu utrinque, ſeu ex alterutra parte (§. 191. *ibid.*). Si jus perfectum denegatur & contra illud atque officium agitur, infertur injuria (§. 186. *P. I. Jur. nat.*). Quæ ſi & in poſterum continuanda ſit, non ſolum jam facta eſt, ſed & facienda ulterius, niſi hoc impediatur. Enimvero injuria facta & facienda in ſtatu naturali juſta belli cauſa eſt, tendentis vel ad injuriam reparandam, ſi poſſit reparari, vel ut de ea læſo ſatisfiat, ſi reparari nequit, vel ut facienda avertatur (§. 617-

19. *Jur. Gent.*). Quare quum civitates sint moraliter æquales (§. 320.), degantque in statu naturali; si libertas commerciorum pactis sit stabilita, & nihilo secius violetur, cæteris modis nihil proficientibus, nec alia legitima causa obstante, justa belli causa aderit ad libertatem commerciorum vindicandam.

Si justæ adsint, quas commemoravimus, belli causæ, potest quidem bellum propter illas geri; alia tamen est quæstio, sitne omnino, aut nunc gerendum, nec ne? Forte operæ pretium non foret, propter id commercium bellum suscipere; forte non prudenter ageret civitas, si vel omnino cum longe potentiori civitate, aut aliis eidem adfuturis armis certare vellet, vel nunc id bellum moliretur, ubi aliis magis necessariis & salubribus rebus est operandum.

§. 462.

Studium augendæ civitatis potentiæ. *Ad perficiendum statum civitatis externum pertinet studium rite augendæ pro virili potentiæ.* Potentia enim civitatis redit ad vires resistendi vi externæ (§. 69. *Jur. Gent.*). Sed resistere vi externæ est se suasque res adversus hostes defendere (§. 972. *P. I. Jur. nat.*), item jus suum manu militum armata magnisque sæpe sumtibus persequi. Hinc potentia civitatis requirit ingentem numerum hominum militarium, opulentiamque, qua hi quando opus est aliunde conduci, vel domi legi & ali possunt. Inde civitas eo erit potentior, quo est opulentior, & cæteris paribus a fortibus militibus instructior. Quapropter quia potentia refertur ad statum civitatis externum, quem perficere obligatur (§. 420.): obligatur etiam quælibet civitas ad studium augendæ suæ potentiæ (§. 70. *Jur. Gent.*) quantum fieri potest.

Potentia civitatis est inter bona fortunæ, ideoque non tota pendet a potestate ejusdem, sed magna ex parte subest casibus fortunæ. Potest pestilentia brevi tempore integros absumere exercitus, maximasque devastare civitates. Quid terræ motus in

in abſorbendis ac peſſum dandis integris urbibus & regionibus cum hominibus & divitiis ſuis poſſint, & antiqua & noſtri ſæculi exempla comprobant. Inde de iis hic tantum agitur, quæ in poteſtate civitatum ſunt. De modis ditandi civitatem commerciis externis, dictum eſt adhuc. De modis id ipſum ſuo marte intra ſuos limites curandi, & numerum civium augendi, ſuo agetur loco. Hic ergo tantum de modis potentiam extrinſecus augendi dicendum reſtat.

§. 463.

Quibus modis potentia ſit augenda?

Quoniam ad conſequendum finem licitum utendum non eſt modis actionibusque illicitis (§. 71. *Jur. Gent.*); potentia quoque civitatis illicita ratione augenda non eſt. Ideoque ſolius potentiæ augendæ cauſa non licet aliam civitatem vi armorum ſuæ ſubjicere poteſtati (§. 72. *ibid.*). Neque bella injuſta vel latrocinia publica potentiæ augendæ cauſa ſunt ſuſcipienda; multo minus conjunctis plurium civitatum viribus & dolis aliæ civitates vel naturali libertate ſua exuendæ, vel opibus & hominibus orbandæ ſunt. Generatim igitur *nullo actu illicito*, utpote qui lege naturali eſt prohibitus (§. 170. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), *potentia civitatis eſt augenda* (§. 115.); *ſed licitis tantum modis ejus incrementum eſt quærendum.*

Sicut promiſſio valida non eſt, cui error cauſam dedit (§. 569. *P. III. Jur. nat.*) aut quæ dolo, vi metuque incuſſo eſt elicita (§. 576. & 571. *ibid.*): ita & quæ facta ſunt & promiſſa potentiæ alterius augendæ cauſa, ſi ex errore fuerint profecta, vel dolo elicita, vel vi metuque incuſſo extorta, non valebunt.

§. 464.

Occupatione regionum vacuarum.

Sicubi dentur regiones aut inſulæ vacuæ, quæ ſunt nullius, civitas eas occupans ſuam auget potentiam. Sicubi reperiantur regiones vel inſulæ, quæ nullius dominio ſunt ſubjectæ, eas occupandi jure gaudet quisquis indiget illis (§. 179. *P. II. Jur. nat.*). Occupat igitur illas ea civitas, quæ declarat, illas debere eſſe

ſuas, eumque in ſtatum eas redigit, ut ſuæ eſſe poſſint (§. 174. ibid.). Sed occupando ejusmodi regionem vel inſulam cum dominio ejus ſimul adquirit jus utendi fruendique omnibus bonis, quæ ibi haberi poſſunt. Augetur ergo civitatis dominium, augentur ejus regiones & divitiæ, iis videlicet, quæ ex occupata regione haberi poſſunt (§. 291. *Jur. Gent.*). Deducendo illuc coloniam (§. 292. *Jur. Gent.*), vel recipiendo advenas ſponte eo migrantes, eosque armorum exercitio ad militiam idoneos efficiendo, civitas illa etiam hominibus augetur & civibus ad defenſionem aptis (§ 438). Quum potentia civitatis conficiatur viribus ad reſiſtendum vi externæ ſufficientibus, quæ tum divitias includunt, tum fortes propugnatores (§. 69. *Jur. Gent.*): diſpaleſcit, vacuis regionibus occupatis potentiam civitatis augeri (§. 85. *ſeq. Jur. Gent.*).

Si quis conſideret, quomodo Europææ civitates, Americanas aliasque regiones & inſulas occupaverint, *quatenus fuere nullius*, is exempla reperiet hujus, de quo loquimur, modi potentiam civitatis augendi. In locis vero jam occupatis hunc modum non valere, ipſa res docet. Poſſunt autem hujusmodi regiones aut inſulæ vel novæ eſſe, ſive a vulcano quodam ſub aquis terram evomente egeſtæ, ſive ab aqua abſorpta & recedente relictæ ſint; vel a priſtinis incolis ob terræ motum deſertæ, aut illis peſte extinctis vacuefactæ. Perinde eſt, qua de cauſa ſint nullius dominio ſubjectæ, modo tales revera ſint. In hunc finem terras incognitas mereri inveſtigationem quis ambigat?

§. 465.

Receptu emigrantium, exulum & advenarum civium.

Quia jure emigrationis alias ſedes quærunt, aut exulare juſſi ſunt a ſua civitate, aut primas nunc fortunarum ſedes quærunt; hi ſi recipiuntur in civitate, illius potentiam augent. Etenim qui jure emigrandi gaudent, v. g. religionis cauſa, quam civitas tolerare non vult, illis eſt jus receptum alibi quærendi (§. 148. & 153. *Jur. Gent.*). Idem quoque valet de exulibus, ſive inviti jubeantur

antur exulare, five fponte difcedant (§. 145. & 147. *feq. ibid.*), ne illis quidem exceptis, qui pœnæ vitandæ caufa profugerunt (§. 150. *feq. ibid.*). Præterea qui nusquam antea fedem fortunarum fuarum habuere, nec aliis mancipio funt obnoxii; hi pariter eligere civitatem quandam poffunt, ubi primam fibi fedem & jus civitatis adquirant. Quapropter fi civitas ejusmodi advenas admittere & in numerum civium fuorum recipere velit, manifeftum eft, civium ipfius aut incolarum numerum eo magis auctum iri, quo major eft illorum frequentia; eoque majora ipfius potentiam incrementa effe capturam (§. 69. *Jur. Gent.*).

Viderunt noftri dies emigrantes Salisburgenfes, pulfosque ex Gallia non paucos, qui paffim in aliis civitatibus fuere recepti ea, quæ erga extorres fupplicesque mifericordia eft exferenda (§. 150. *feqq. Jur. Gent.*). Neque expulfis Judæis vel Chriftianæ civitates receptum denegarunt.

§. 466.

Invitatione in fpe melioris fortunæ.

Augendo civium numero adhiberi etiam poteft invitatio peregrinorum in civitatem, facta fedium, privilegiorum, immunitatumque in aliquot annos ab oneribus civilibus fpe haud dubia. Allicere nempe peregrinos ad civitatem folet major fpes fortunarum, privilegiorum immunitatumque, ac alibi haberi confuevit, & naturali impetu proclivitateque ad meliora præferenda, & lege naturali ad id obligante (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quam ob rem fi civitas gaudeat fedibus vacuis, agris incultis, fylvis fuperfluis, ut quantocyus incolas & cives reperiat, non tantum paffim divulgare id poteft, fed quoque ea publica autoritate promittere, quæ donare advenis velit bona immobilia, quæ fubfidia, illa ad habitationem & culturam aptandi, quæ privilegia, quas immunitates ab oneribus cæterorum civium, ac in quot annos, ut eo melius interim ftabilire fuam fortunam

possint. Quorum promissorum spes si minime dubia sit, si major illis, quæ alibi haberi possunt, allicere illa novos cives colonosque poterit ad potentiam civitatis augendam illico paratos (§. 462.).

Hujusmodi invitationes promissionesque nec reges adhibere dedignati sunt olim, dedignanturque nostris diebus, si ratio eis utendi sat gravis subnascatur. Est enim officio consentaneum studium potentiam civitatis pro virili augendi (§. 462.). Vnde cuilibet civitati illud & integrum est, & rectoribus ipsius honorificum, si officio suo rite fungantur. Ratio promulgandi ejusmodi invitationem illico patet, dum pensitamus, alios nescientes, quid in quadam civitate sperandum habeant, appetere migrationem in illam civitatem non posse, quum ignoti nulla sit cupido. Ex se autem nemo peregrinus scire queat, quid altera civitas dare peregrinis velit aut nolit, nisi illud patefaciat. Hæc hactenus de modo ope exterorum intrinsecus potentiam augendi, nunc quomodo idem fieri possit extrinsecus, dispiciendum.

§. 467.

Consociatione prudenti cum aliis civitatibus.

Augeri mirifice potest potentia civitatis consociatione cum aliis prudenti. Quemadmodum enim interna civitatis potentia orta est consociatione vicorum (§. 31.) ad quam ineundam obligatio aderat divina (§. 174.): ita quoque civitates debiliores cæteris, aliis civitatibus sibi adjungendis operam dare debent (§. 139.), & quo plures secum unitas habent civitates potentiores, eo majori potentia gaudent (§. 140). Quare quo magis civitas saluti & potentiæ suæ augendæ consultum cupit, eo pluribus civitatibus aliis, eoque arctius, quantum prudentia salva fieri potest, est consocianda (§. 141). Quod quum fere idem sit, acsi omnem civitatum consociatarum potentiam suam fecisset, mirifice augeri potentiam civitatis ejusdem cum aliis prudenti consociatione, indubium est.

Prudentiæ est, in hujusmodi consociatione respicere futura,

præ-

præsentia & præterita, ut illis recte utatur ad bona obtinenda, mala vero avertenda, quantum vires humanæ permittunt.

§. 468.

Ope conjugiorum publicorum.

Conjugiis civium, inprimis rectorum civitatis inter se, arctiorem civitatum consociationem obtineri, cæteris paribus, exploratum habetur. Conjugiis enim debite cultis unio oritur diversarum familiarum propter arctissimam conjugum societatem communitatemque omnium officiorum (§. 471. & 473. *P. VII. Jur. nat.*) & *Oecon.* §. 98. *seqq.*). Hinc & consanguineorum jura & officia strictiora ad se mutuo juvandum & defendendum (§. 836. *P. VII. Jur. nat.*); & affinium erga se invicem pro gradu affinitatis (§. 427. *Oecon.*). Quare si privatarum familiarum connubia in diversis civitatibus aliquam illis afferunt utilitatem & consociationem ad sibi mutuo opitulandum; multo magis conjugia publica, (Staats-Ehen) inter rectores civitatum contracta, potentiæ civitatum augendæ inservient, & cæteris paribus inserviisse deprehenduntur.

Sic & antiquis & nostris temporibus civitatum potentiam crevisse matrimoniis, cum familiis rectorum aliarum civitatum contractis, res gestae evidenter docent. Neque enim tantum adjumenta conservationis & defensionis civitatum mutuæ inde habentur, propter matrimonia fœcunda & officia rite observata; sed etiam successiones inde nascuntur & accessiones legitimæ terrarum, provinciarum civitatumque integrarum, hæredibus reliquis extinctis. Cujusmodi accessionum insignium incrementorumque potentiæ civitatum innumera historiæ suppeditant exempla. Quæ hujusmodi sunt invitamenta ad hunc modum potentiæ augendæ, ut hunc modum nunquam esse intermoriturum, in certissimis jure ponamus. Cætera erunt paria, si optima fide matrimonia ineantur & colantur, uti par est. Mala enim fide odia & injurias inde nasci solere, civitatibus perniciosas, itidem experientia comprobatum habetur.

§. 469.

§. 469.

Ope fœderum mutuæ defensionis.

Huc faciunt fœdera mutuæ defensionis, inter civitates inita sancteque observanda. Sunt enim fœdera pacta civitatum boni publici promovendi causa in longum tempus concepta (§ 369. *Jur. Gent.*). Quæ si mutuæ defensionis causa ineantur, aut fœdera belli sint, unaquæque civitas de alterius auxiliis, subsidiisque in bello præstandis certa redditur (§. 655. *ibid.*); ideoque alterius potentia tanquam sua utendi jus perfectum consequitur (§. 377. *ibid.*). Quocirca si fœdera mutuæ defensionis prudenter ineantur, sancteque ut par est observentur (§. 547. *ibid.*): idem est ac si civitas tantam alterius potentiam adquisivisset & in se contineret, quanta fœdere est promissa. Unde liquet, potentiæ augendæ causa fœdera mutuæ defensionis cum aliis civitatibus esse ineunda sancteque observanda.

Recte hoc fieri patet ex obligatione naturali conferendi, quidquid civitas valet ad vacuitatem a metu injuriarum & vis externæ (§. 177. *Jur. Gent.*). Fœdera belli duorum generum esse solent, aliis tantum ad bellum defensivum, aliis ad offensivum quoque comparatis, unde illa defensiva, hæc offensiva appellantur. Fœdera mutuæ defensionis pertinent ad fœdera defensiva, licet non unice ad bellum defensivum restricta sint, sed etiam in iis valent, quæ citra bellum in defensione agenda sunt, quemadmodum in repressaliis, retorsionibus juris, officiisque aliis. Quantum vero hujusmodi fœdera augeant potentiam civitatis, id ex pactorum conventione discendum, quia alia aliis placuere & promissa esse solent. Quia hic tantum generatim indicamus fœdera tanquam utilia ad potentiam civitatis augendam, de modis ea prudenter definiendi, quæ paciscenda sunt, hic sermo non est, ubi sufficit innuisse usum, quem in potentia civitatum augenda habuisse semper, & habere hodieque deprehenduntur.

§. 470.

§. 470.

Quæ debiliori civitati cavenda diminutio imperii?

Quia quo debilior est civitas, eo magis indiget consociatione cum aliis potentioribus (§. 138.): inter civitates potentiores imbecillioresque fœdera, quibus consociantur, erunt inæqualia (§. 398. *Jur. Gent.*). Quæ fœdera inæqualia quum vel sine imminutione imperii fieri possint, vel non sine ejus imminutione (§. 399. *ibid.*), civitati debiliori opera erit navanda, ut fœdera pangat, quantum fieri potest sine imperii sui diminutione (§. 146.). Quod fieri poterit, quando fœdera ineuntur cum circumjectis civitatibus probis (§. 150.), aut cum potentioribus remotis, sibi invicem aut aliis subjectionem civitatis debilioris invidentibus. *Erit ergo civitati debiliori* diversa *rerum facie dispiciendum, quomodo tum externi belli tempore media manere, & fœdere neutralitatis sibi immunitatem a bello parare possit* (§. 673. *seqq. Jur. Gent.*); *tum vero belli se ferientis tempore hostibus ope fœderatarum civitatum par evadat.*

§. 471.

Qua clientela potentioris & quando utendum?

Si melius fieri nequit, civitas debilior concedet in fidem & clientelam potentioris lege tutissima & æquissima, quæ haberi poterit. Etenim si civitas sit impar suæ defensioni adversus injurias hostium, tum illa se certa lege, de qua conventum est, potentiori subjicere potest (§. 80. *Jur. Gent.*). Dum defensionis jurium suorum causa alteri se subjicit, eidem se tuendam tradit, patrocinium in ejus potentia quærens. Hinc eam in fidem & clientelam potentioris civitatis concedere perspicitur. Ne vero Scyllam evitatura incidat in charibdim, probe ipsi dispiciendum est, qua id faciat lege, utque eligat æquissimam tutissimamque, quæ poterit haberi.

Nempe si civitas debilior metuendam habeat oppressionem a potentioribus, contra ipsam conspirantibus, rectius sibi consulere non poterit, quam committendo se potentioris patrocinio,

ope unionis cujusdam arctioris & subjectionis (§. 151.), quo veluti omnem illius potentiam suam faciat, eademque protegatur. Sed uti privatorum patrocinium datur nobile & munificum, quando sola fere autoritate, paucis verbis aut levi opera alteri præstare potest id, quo indiget: ita quoque circumspiciendum est, deturne civitas æque liberalis, autoritateque gratis & potentia tantum valens, ut nullo fere negotio alteri debiliori securitatem ab hostibus præstare possit. Hujus clientelam fidemque præoptandam esse & impetrandam, quis negaret?

§. 472.

Quid circa clientelam cavendum?

In adquirenda potentioris civitatis tutela cavendum ne facile summo imperio derogetur, nec potentior civitas plus juris sibi arroget, quam ex pacto habet. Fieri enim potest subjectio vel sic, ut summo imperio nihil decedat, sed annuum tantum tributum solvatur, ad compensandas honorario quodam operas, clientelæ impendendas; vel ut quoddam jus summi imperii potentiori civitati cedatur (§. 81. *Jur. Gent.*). Sed prout prius in se est civitati honorificentius, dum salvum retinet summum imperium, quam si ejus partem quamdam in potentiorem transferat, ita illud quoties fieri potest præferendum erit. Si tamen gravius pendendum esset tributum, quam particula summi imperii æstimanda esset, v. c. ne bellum suscipiat, pacem componat, fœdus faciat sine consensu potentioris: tum minus malum præferendum esse, omni majus est exceptione (§. 897. *Psychol. empir.*). Ita patet, in adquirenda potentioris tutela cavendum esse, ne temere summo imperio quidquam detrahatur, sed minimi potius stet tutela civitati.

Enimvero quia potentior civitas suæ potentiæ abusu facile plus sibi arrogare potest, quam pacto subjectionis illi est concessum, extremum quidem est, ut illi vi resistatur, implorato auxilio alieno (§. 83. *Jur. Gent.*). Sed dum debilior vis impar est potentiori, neque facile reperiuntur, quæ inaudita causa,

cauſa, contra potentiorem arma ſumant civitates aliæ, niſi liquidum ſit jus debilioris civitatis: utique in ipſo pacto ſponſoribus conciliatoribusque ex aliis civitatibus adhibitis, & clauſula commiſſoria cavendum eſt, ne plus ſibi arrogare audeat, quam pacto, in hunc finem divulgando, continetur, ſed ſi id auſit, pactum ſit nullum debiliorique liceat, in aliam concedere clientelam (§. 443. *ſeqq. Jur. Gent.*).

Eſt quidem juris naturalis, ut in pactis oneroſis ſeu mutua officia poſcentibus, altera parte ab officio recedente, altera non amplius ſit obligata, ſed pariter recedere a pacto poſſit (§. 827. *P. III. Jur. nat.*). Quoniam vero quid inter civitates geſtum ſit, altioris eſt res indaginis, ad quam audiendam decidendamque nemo ſibi in re dubia arbitrium arrogabit: præſtat ut pactis conciliatoribusque liquidum ſit, quid & quousque altera alteri obligetur, & quid ob involutum pactum pœnæ loco placuerit. Quare uti alias conciliatorum nomen lexque commiſſoria in pactis civitatum non eſt inauditum: ita quoque in hac ſubjectione illi locus dari poſſet, idque eo facilius, quia denegans potentior civitas conſenſum in legem commiſſoriam ſtatim velut proderet, quo animo tutelam eſſet adminiſtratura, itaque alteram ab ea ipſi credenda redderet alieniſſimam.

§. 473.

An pacta commerciorum potentiam augeant?

Quadamtenus in eundem ſecuritatis finem adhiberi poſſunt fœdera commerciorum. Equidem commerciorum pactis directe non quæritur niſi jus perfectum ad commercia cum illa civitate exercenda (§. 74. *Jur. Gent.*). Quoniam tamen civitatum commercium vix poteſt non turbari, ſi altera bello infeſtetur aut a potentiori opprimenda ſit: intereſt utique alterius civitatis, quæ commercia ſua impediri, diminui aut prorſus abrumpi injuſte videt, ne id fiat; ideoque ſuis officiis viribusque tunc eam defendere nitetur (§. 173. & 609. *P. I. Jur. nat.*). Idcirco commercia non tantum locupletando civitatis potentiam augent,

gent, verum etiam una defensioni & tutelæ ipsius inserviunt, ne facile commercia a potentiori civitate interrumpantur.

Duplex ratio incitat civitates commercio inter se fœderatas ad mutuam defensionem; altera est proprii commercii sui conservatio, & officium impediendi, ne aliæ civitates illud turbent aut tollant; altera est naturalis obligatio alteri id præstandi, quod sibi ab ipsa præstari vellet, hoc est, ei succurrendi, quando animadvertit, imparem illam fore suæ defensioni adversus civitatem potentiorem. Etiamsi igitur peculiare pactum mutuæ defensionis non adsit, pactum tamen commercii tuendi, sine tutela civitatis ipsius, cum qua commercium intercedit, servari vix poterit unquam. Inde commerciorum communio includit quandam ejusdem defensionem mutuam.

§. 474.

Mutua amicitia inservit augendæ potentiæ.

Sive fœdus amicitiæ initum sit, sive minus, ipsa tamen sincera & constans amicitiæ mutuæ cultura multum momenti habebit ad civitatis potentiæ incrementum. Fœdera enim amicitiæ dicuntur, quæ de mutuis officiis humanitatis præstandis ineuntur (§. 394. *Jur. Gent.*). Jam cuilibet quidem civitati est jus perfectum expetendi sibi officia humanitatis, si quod petit, ipsa facere nequit (§. 170. *ibid.*); sed alteri quoque datur jus perfectum petita denegandi, nec denegando alteri facit injuriam, sed in ipsius judicio est adquiescendum (§. 157. *ibid.*). Quare ut certa sit spes officiorum amicitiæ, vel diserte fœdere amicitiæ illa mutuo præmitti possunt; vel tacito quasi pacto amicitiam invicem sancte observando & præstando, uti inter privatos fieri solet amicos, illius amicitiæ fiducia adquirenda est & continuanda. Vti ergo cuilibet homini licet se & alios inprimis amicos suos defendere (§ 973. & 990. *P. I. Jur. nat.*): ita quoque civitatibus amicis & jus & obligatio mutuæ defensionis ex ipsa amicitia probe culta nascitur. Vnde liquet, sive expresse pactis amicitiæ initis & observatis accurate, sive sancta amicitiæ cultura mutua civitates fieri alterius vel aliarum tutelæ certas, itaque eadem simul potentiores (§. 69. *Jur. Gent.*).

Cul-

Cultura amicitiæ cum reliquis civitatibus plurimum in recessu habet. Prout enim amicus amicum innumeris modis potest juvare, perficere, in adversis tueri, periculis aliisque malis liberare: ita quoque civitates amicæ sibi invicem opitulari, præsidio, ornamento, & commodo esse possunt incredibili fere ratione. Hinc & altera alteram defendere, & in defensione vires suas illius viribus adjungere potest. Quo ipso potentia alterius civitatis tanto major facta esse merito dicitur, quanta est potentia alterius aut plurium aliarum civitatum, ipsius partes tuendas suscipientium. Non opus est ea curare, quæ nemo ignorat, reliqua amicitiæ emolumenta.

§. 475.

Quid cultura amicitiæ requirat?

Amicitiæ cultura requirit charitatem, humanitatem æquitatemque insignem, concordiam, officiositatem, liberalem beneficentiam, comitatemque. Amicitia enim mutui amoris studium infert (§. 625. *P. I. Jur. nat.*) amor perficitur dum ad normam legis naturæ dirigitur (§. 171. *P. V. Ethic.*) sicque abit in dilectionem (§. 617. *ibid.*). Cum charitas sit virtus, qua alios diligimus tanquam nosmet ipsos (§. 620. *ibid.*): cultura amicitiæ civitatum utique requirit earum mutuam charitatem insignem (§. 163. *Jur. Gent.*).

Humanitas oritur ex charitate, nec ab illa separari potest (§. 144. *P. V. Ethic.*). Humanitas autem est ea virtus, qua erga alios ad officia ipsis præstanda proni sumus facilesque (§. 894. *P. I. Jur. nat.*). Prout ergo humani esse debemus erga omnes (§. 895. *ibid.*): ita quoque cujuslibet civitatis amicitia erga alias civitates testanda requirit humanitatem mutuam eamque insignem.

Amicitia non tantum perfectis, sed & imperfectis erga alios officiis charitate humanitateque duce satisfacit, per modo evicta. Quare quia æquitas dirigit actiones hominis circa jura imperfecte ipsis debita (§. 581. *P. V. Ethic.*): quælibet civitas, quod sibi recte vult fieri ab aliis, id ipsis vicissim præ-

ſtare debet (§. 288. *Jur. Gent.*). Requirit igitur amicitiæ civitatum cultura quoque inſignem, mutuamque æquitatem data qualibet occaſione exhibendam.

Inter quos vera eſt amicitia, eorum una ac mutua eſt voluntas perpetua promovendi felicitatem & avertendi infelicitatem a ſe invicem, nec tantum ſe æque invicem diligunt, ſed & quisque alterum alterius non ſui cauſa diligit (§. 172. *P. V. Ethic.*). Quoniam concordes ſunt, quorum eadem eſt voluntas, quique idem volunt & nolunt (§ 132. *P. VII. Jur. nat.*): patet, veræ amicitiæ culturam inferre quoque inſignem civitatum concordiam & conſenſionem mutuam conſtantemque in ſalute ſua perficienda (§. 285. *Jur. Gent.*), una cum ſtudio omnem diſcordiam vitandi (§. 286. *ibid.*). Vnde & quo viciniores ſibi ſunt civitates, eo majori concordiæ ipſis eſt ſincere ſtudendum (§. 287. *ibid.*).

Quia officioſitas eſt virtus, qua ad officia humanitatis aliis præſtanda ſemper parati ſumus (§. 898. *P. I. Jur. nat.*) & officioſitas erga omnes nobis incumbit (§. 899. *ibid.*): pateſcit culturam amicitiæ civitatum ope humanitatis charitatis æquitatisque peragendam, non poſſe non quoque inſignem involvere officioſitatem earum, eamque conſtantem erga ſe invicem, cum liberali beneficentia, ubicunque opus eſt, conjunctam (§ 367. & 474. *P. V. Ethic.*).

Quia unaquæque civitas tanti exiſtimanda eſt, quanti fieri meretur (§. 186. *Jur. Gent.*) & comitas appellatur ea virtus, qua alteri honor meritus tribuitur (§. 890. *P. I. Jur. nat.*): facile patet, amicitiæ civitatum culturam ſine mutua inſignique comitate erga ſe invicem abſolvi non poſſe.

Specialia amicitiæ officia peti poſſunt ex *P. V. Ethic. cap. 5.* præſertim. Quorum applicatio ad civitates quia perfacilis eſt, modo inſignem illorum gradum capiamus, qui civitates decet & vul-

& vulgarem privatorum sortem excedit, non indiget ulteriori deductione, cuilibet relinquenda.

§. 476.

Cavendum est cuilibet civitati, ne sua culpa aliam sibi reddat inimicam. Gentes enim inter se amicitiam colere debent, & unicuique danda est opera, ne alias sibi inimicas reddat (§. 172. *Jur. Gent.*). Sed gens est multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *P. VIII. Jur. nat.*), vel populus civitatem constituens (§. 31.). Quum igitur mutua amicitiæ cultura multum momenti habeat, uti ad alia felicitatis & fortunæ, sic etiam ad potentiæ civitatum incrementa (§. 474.): inimicitia, quæ amicitiæ est contraria (§. 625. *seq. P. I. Jur. nat.*) valde derogat civitatum felicitati & potentiæ, ideoque quantum fieri potest vitanda est & fugienda (§ 628. *ibid.*), vel nulla civitas alteri debet esse inimica, potius amica esse debet omnibus. Eatenus vero potest quælibet civitas alterius inimicitiam vitare, quatenus sua culpa nullam inimicitiæ ansam præbet (§. 696. *P. I. Philos. pract. univ.*). Constat igitur, cavendum esse cuilibet civitati, ne sua culpa aliam quandam, multo minus plures alias civitates, irritet ad inimicitiam.

Cavenda civitatum inimicitia.

Quia culpa infert aberrationem ab eo, quod rectum est, ideoque pravitatem evitabilem, manifestum est, civitatibus operam esse navandam, ne quam in actionibus erga se invicem admittant pravitatem, quam potuissent evitare. Vnde actiones quæ jure recteque fiunt nullam inimicitiæ ansam præbent, quia fieri nequit, ut jure suo utens, simul nullo jure agat, vel ut recte agens simul non recte, hoc est prave agat, alterique faciat injuriam.

§. 477.

Inimicitiæ vitandæ inservit præter constantem amicitiæ culturam, solicitudo omnem vel speciem veræ offensæ evitandi. Si enim constans & perpetua est amicitiæ civitatum cultura, qualem (§. 475.)

Cura veram offensam vitandi.

475) exhibuimus, vix ſuſpicio naſci poteſt, ſi quid factum ſit, quod ambiguum videatur, id animo ab amicitia continuanda alieno factum eſſe, ideoque in meliorem partem vertendum eſſe intelligetur. His ſi accedat omnis animi ſolicitudo nihil faciendi, ex quo altera civitas tædium mo eſtiamque merito percipiat, vitantur actiones, vel culpa quadam ſecus determinatæ ac fieri debuiſſet, hoc eſt, vera evitatur offenſa (§. 936. *P. I. Jur. nat.*), etiam culpoſa tantum (§. 938. *ibid.*) pro ut vel inter privatos fieri par eſt (§. 939. *ibid.*), etiamſi offenſa alterius præceſſerit (§. 940. *ibid.*). Quum ſpecies veræ offenſæ conſiſtat in actione legitima, ſic comparata, ut poſſit offenſa videri, niſi de animo, quo illa ſuſcipitur, ſincero & a ſtudio offendendi alieno conſtet: curandum erit, ut antequam ejusmodi actio fiat, de animo officii ſtudioſo & amico, quo ſuſcipitur, altera civitas edoceatur, ſaltem ſi res moram non patitur, animus honeſtus & amicus quam primum fieri poſſit illi declaretur. His modis igitur ſpeciem quoque veræ offenſionis evitando, inimicitiam præcaveri liquet.

Ponamus caſum, utendum eſſe repreſſaliis adverſus aliam civitatem, illi cum qua amicitia colitur, fœderatam. Tunc edocenda eſt civitas amica, quid neceſſitatem repreſſaliarum impoſuerit, ipſiusque judicio permittendum, num cauſas eas tollere poſſit; aut ſi ipſa jam fruſtra ſua interpoſuit officia, tantum declarandum, ægre id fieri, nec quidquam amicitiæ contrarium eſſe futurum &c.

§. 478.

Cura vitandi omnem læſionem. *Multo magis cavendum eſt ab omni alterius civitatis læſione.* Nemo enim eſt lædendus (§. 695. *P. I. Jur. nat.*). Inde & nulla gens alteram lædere debet (§. 173. *Jur. Gent.*), nec ulla civitas alteram lædere debet. Quam ob cauſam omnino ſummopere cavendum eſt ab omni alterius civitatis læſione, vel nihil

hil admittendum omittendumque, quo alia quædam civitas lædatur. Quare quia civitas una alteram lædit, dum ejus statum reddit imperfectiorem (§. 669. P. I. Jur. nat.) vel dum quidquam admittit ipsius fini consequendo adversum; patet nullam civitatem obesse debere, quo minus alia finem suæ civitatis consequi possit, nec committere vel suis permittere, quod ipsius saluti repugnet (§. 179. Jur. Gent.). Quia jus patiendi, ne ab altero lædamur, jus securitatis est (§. 971. P. I. Jur. nat.), liquet & ideo omnem læsionem civitatibus mutuo esse fugiendam, quia adversatur juri securitatis, quod cuilibet salvum esse debet, & quælibet salvum sibi esse cupit (§. 254. Jur. Gent.).

§. 479.

Colenda justitia & fugienda injustitia.

Civitatibus invicem colenda est justitia exacta, fugienda autem injustitia & injuria. Est enim civitatibus cavendum, ne se invicem lædant (§. 478.). Sed is alterum lædit, qui quidquam contra jus ipsius facit (§. 920. P. I. Jur. nat.), & qui nihil facit, nisi quod salvo alterius jure facere potest, is jus suum alteri tribuit (§. 921. ibid.) & suum alteri tribuit, qui eidem præstat, ad quod perfecte obligatur (§. 923. ibid.). Sed justitia est illa virtus, quæ suum cuique tribuit (§. 926. ibid.), eoque cavet, ne lædatur. Quare cum suum cuique sit tribuendum (§. 924. seq. ibid.): quælibet etiam civitas læsionem alterius evitatura, suum cuique civitati tribuere debet. Vnde civitatibus invicem justitiam exacte colendam esse perspicitur (§. 264. Jur. Gent.).

Quoniam injustitia vitium est justitiæ e diametro obstans (§. 589. P. V. Ethic.) & injustus alios lædit (§. 590. ibid.); justitia vero civitatibus erga se invicem exacte est colenda, omnisque læsio evitanda (§. 478.): perspicuum est injustitiam inter civitates esse cane pejus & angue fugiendam, & solicite

 caven-

cavendum, ne quid fiat, quod justitiæ sit adversum (§. 265. *Jur. Gent.*). Enimvero injustitia mater est omnium injuriarum (§. 590. *P. V. Ethic.*) tanquam actionum perfecto alterius juri contrariarum (§. 859. *P. I. Jur. nat.*). Quapropter omnem injuriam inter civitates esse fugiendam, dubio caret.

Non solum integræ civitati, sed & civi tantum alterius civitatis nulla inferenda est injuria, cum civitatis sit, suos cives ab aliorum etiam exterorum injuria tutos præstare. Vnde si quis civis civem alterius civitatis læsit, simulac civitati illud innotescit, & vel antequam a læso in jus vocetur, multo magis si accusatus fuerit, justitiam rigorose exercere debet, ut læso plene satisfiat. Ita enim in alio casu & suis civibus suum jus in altera civitate promte redditum iri, & sperare, & ut illud fiat postulare summo jure potest. Præterea sic nullam de se conquerendi materiam alteri civitati relinquit, suamque justitiam omnibus & exteris approbat.

§. 480.

Nil contra pacta inter civitates est agendum.

Sedulo cavendum, ne quid pactis civitatum repugnans admittatur omittaturve. Cavenda enim inter civitates est omnis earundem læsio (§. 478.). Sed læsio est omnis actio, qua alter illegitime redditur imperfectior (§. 669. *P. I. Jur. nat.*), sive quoad animum, sive quoad corpus, sive quoad statum externum (§. 670. *ibid.*), ideoque contra perfectum ipsius jus agitur (§. 671. *ibid.*). Pacta autem dant jus perfectum pacifcentibus, ut quod alias tantum imperfecte debebatur, pacto inito debeatur perfecte (§. 404. *P. III. Jur. nat.*). Vnde si quid pactis adversum seu committatur seu omittatur, id vera est læsio. Quare contra pacta a civitatibus rite inita, nihil esse nec admittendum nec omittendum, nec aliis concedendum, quocumque vano obtentu, manifestum est (§. 196. *Jur. Gent.*). Cavendum igitur sedulo, ne quid fiat, quod civitatum pactis sit adversum.

Per

Per se liquet, agi hic de pactis, quæ sunt servanda, ideoque non de abolitis, & mutuo consensu abrogatis, vel per nova pacta mutatis, hæc capienda esse. Præterea quum is, qui pactum violavit ipse postulare nequeat, ut alter servet pactum violatum, antequam illi plene sit de læsione satisfactum: etiam de illo casu hic non agitur, quo alteri jus est recedendi a pacto, a quo altera civitas non sine injuria alteri illata recessit. Vnde nec tertiæ civitati id concedi potest aut præstari contra pactum cum alia civitate initum, ad quod alias naturaliter obligata fuisset (§. 197. *Jur. Gent.*). Neque enim id amplius est in ipsius potestate, quod alteri civitati legitimo pacto est adquisitum.

§. 481.

Ne quidem in titulis & prærogativis adquisitis.

Inde nec titulus, nec prærogativa quæcunque pacto adquisita, civitati ejusque rectori denegari debet. Etenim civitates inter se sunt moraliter æquales (§. 16. *Jur. Gent.*), ideoque a voluntate aliarum civitatum pendet, an alius civitatis rectorem eodem nomine appellare, eodemque honoris titulo, quo eum appellant subditi, afficere velint, nec ne, itaque ut hoc faciant ab iis pacto est impetrandum (§. 246. *ibid.*). Quod si pacto sit impetratum, tum titulus ille ipsi est tribuendus, nec salvo pacto & citra injuriam ipsi denegari potest. Proinde ejus denegatio involveret læsionem (§. 669. *P. I. Jur. nat.*), perfecto alterius civitatis juri adversam (§. 376. *seq. Jur. Gent.*). Ideoque tituli, pacto adquisiti alteri civitati, eidem non sunt denegandi (§. 247. *ibid.*).

Licet quilibet rector civitatis rectorem alterius civitatis in statu naturali sibi debeat ducere æqualem (§. 250. *Jur. Gent.*), nec ulla gaudeat prærogativa (§. 237. *ibid.*), ac inde omnes actus illiciti sint & injuriæ, quibus alter alterum contemnit, vilipendet, aut contumelia afficit (§. 251. *ibid.*); possunt tamen a civitatibus earumque Rectoribus pactorum interventu quæ-

dam adquiri prærogativæ (§. 239. *ibid*) v. c. jus præcedendi (§. 142. *ibid.*). Si qua igitur prærogativa pacto rite fuerit adquisita, altera civitas perfecto illius jure gaudet, altera perfecte obligatur ad eam alteri salvam relinquendam, aut & tribuendam (§. 376. *seq. ibid.*). Fieret ipsi igitur injuria, si illa ipsi contra promissa denegaretur. Quare prærogativam, pacto rite adquisitam ab ea civitate, quæ eam ipsi promisit, denegari alteri, cui pacto debetur, non posse in aprico est.

Tituli hic notant vocabula dignitatem (honorem) civilem designantia. Ejusmodi nomina dignitatum & honorum cum arbitraria sint, & arbitrarium significatum habeant; si una civitas illa recepit, non necesse est, ut & aliæ illa recipiant, sed ab illarum arbitrio pendet, utrum iisdem titulis uti velint, nec ne. Quod præsertim tum ostendunt, quum antea ejusmodi tituli non fuerunt usitati. Interim æquitatis est, tales titulos rectoribus aliarum civitatum non denegare, quibus eadem dignitas denotatur, quæ in aliis civitatibus iisdem denotari consuevit. Contra iniquum dici nequit, si dignitas atque potestas tituli recepti, quem sibi quisquam arrogat, ipsi deest aliæque civitates propterea nomen denegant, ne evilescat ejus significatus, ipsaque dignitas vilipendio exponatur. Si vero titulus pacto vel longo usu est receptus, tum denegans illum civitati data opera, nec ulla idonea ratione, contemtum alterius aperte præ se fert.

§. 482.

Bellorum molestiæ. *Bellum publicum geri non potest sine permagna diminutione potentiæ, nec sine exitu semper incerto & periculoso, si vel alia mala vix enumeranda non semper includit.* Bellum enim publicum geritur inter diversas civitates, earumve rectores (§. 607. Jur. Gent.). Geri autem nequit sine militibus & armis (§. 610 seq.). Militum ingens requiritur multitudo, requiruntur etiam præfecti & duces (§. 612. *ibid.*). Quibus cum contra hostes sit eundem & dimicandum, multi aëris & castrorum, eduliorum

& po-

& potus in salubritate morbis contagiisque implicantur, emoriunturque ante diem suum; multo plures vero in velitationibus & præliis trucidantur aut in captivitatem abducuntur. Quantam inde jacturam hominum facit civitas, ut sæpe quarta, tertia aut majori virorum fortium & egregiorum parte si non uno die cladis ingentis acceptæ saltem brevi tempore orbatam se sentiat. Sed quam dolenda isthæc est jactura potentiæ vivæ?

Quoniam milites neglectis rebus suis militiæ vacare debent, alendi sunt & ipsi & eorum præfecti ducesque publico ære, æque ac arma omnis generis, quibus indigent, & quæ ad ista secum vehenda tractandaque requiruntur, omnium symbolis collatis comparanda sunt & reparanda. Quæ omnia immensis sumtibus stare, omnis ævi memoria docet. Sive igitur bellum in hostilibus aut exteris regionibus geratur; sive commeatus cum armis, equis &c. aliunde sit emendus; sive copiæ auxiliares conducendæ sint; sive domi bellum geratur; ingentes pecuniæ summæ, postremo casu per hostes, e civitate exportantur, & civitas pecuniis emungitur, quas permultis annis aut nunquam reparare poterit. Et quam brevi tempore sæpe tanti apparatus militum, armorum, ærarii militaris, commeatuumque non hostium tantum prædæ cedunt, sed & multæ insuper regiones & provinciæ civitati eripiuntur? Hæccine enormis diminutio potentiæ opulentiæque civitatis summo jure dicatur (§. 99. *seq.* & 462. *seqq.*). Istis duabus rationibus luculentissime efficitur, bellum publicum sine insigni detrimento potentiæ civitatis geri non posse.

Exitus belli aut esse potest lætus, aut tristis, teste experientia omnis ævi. Lætum dicimus ejus civitatis, quæ scopum est consequuta, scilicet ut obtinuerit id, cujus causa bellum est cœptum, cum sumtuum refusione, & lucri insuper

adquisitione. Tristem vero dicimus illius, quæ scopo suo excidit, sumtus perdidit, aut & præterea aliorum jacturam incurrit. Consulentibus autem experientiam liquet, lætum esse belli eventum non posse nisi alteri civitatum parti, & tunc eum alteri necessario tristem esse debere. Enimvero & in hoc casu naturaliter prævideri ab initio & præsciri nunquam potest, cuinam parti lætus & cui tristis sit futurus, cum vel justo bello interdum sapienti numinis consilio exitus non respondeat optatus. Neque raro contingit, ut neutri parti exitus obtingat, utraque suo excidente scopo, rebus in priori statu, plerumque vero tristiori manentibus, ob frustra perditos tot viros sumtusque. Quia propterea pax eo modo fieri nequit, ut jus suum semper ex asse consequatur, cui id debetur (§. 986. *Jur. Gent.*) incertus & periculosus manet ineuntis belli exitus.

De reliquis vero belli incommodis pestibusque dicendi materia fere occurrit inexhausta. Quot urbium, oppidorum, pagorum, prædiorumque deprædationes; quot exactiones, depopulationes, expilationes, excidia; quot incendia, latrocinia, furta, spolia, stupra, adulteria, rapinæ; quot hominum cædes, supplicia, captivitates, injuriæ omnis generis, nequitiæ, fraudes & scelera in bello non committuntur? Quæ officia erga Deum, se & alios tum non impediuntur aut fere tolluntur? Quibus scientiis & artibus non imponitur silentium aut exilium? Quæ vel opificiorum, agricolarum labores & spes non turbantur aut evertuntur prorsus? Quæ munimenta & artes, quæ domus obsidionibus non diruuntur, aut solo sæpe æquantur? Qui aggeres, fluvii, putei, plurimis sumtibus parati sæpe non paucis horis corrumpuntur, avertuntur, obstruuntur & pessum dantur? Quanta non creatur inopia rerum & annona, hinc fames, contagia, pestes, & quæ non

non calamitates, sæpe irreparabiles? Sed sufficit hæc ilias malorum, ad cætera inde inferenda.

Hoc malorum lerna in bello obviorum satis docet, per ironiam dictum esse bellum eo sensu, ut notet minime bellum. Sunt quidem in enumeratis aut velut e longinquo ostensis malis nonnulla, quæ evitari possunt, sed perraro actu evitantur, ideoque suo tamen jure inter pericula belli aleæ referuntur. Quanquam vero quædam prudentia & disciplina coërceri posse putantur; magna tamen & major pars semper superat vires humanas propter perversitatem sceleratorum fræna mordentium, calcitrantemque ferociter & periculose. Accedit & vindex numinis fatum, puniens suo tempore, quæ adhuc manserant impunita. Quomodo quibusdam horum malorum, quoad fieri potest, occurrendum sit, suo exponetur loco.

§. 483.

Bellum publicum cavendum vitandumque.

Ad bellum publicum vitandum cavendumque, quantum fieri potest, omnes obligantur civitates. Incumbit enim civitatibus suæ salutis causa cultura mutuæ amicitiæ sincera & constans (§. 474). Sed saluti civitatum admodum adversatur bellum, tanquam largus fons plurimorum maximorumque civitatis malorum (§ 482.). Neque salva manere in bello potest amicitia, quia est status civitatum jus suum invicem vi persequentium (§. 1102. *P. I. Jur. nat.*). Liquet igitur ad bellum publicum, quantum fieri potest, evitandum præcavendumque, omnes obligari civitates.

§. 484.

Fugiendæ justi belli causæ.

Quoniam ad bellum publicum, quantum fieri potest, evitandum præcavendumque omnes obligantur civitates (§. 483.), manifestum est, evitandas, *cavendasque esse omnes justi belli causas*, e quibus oriri bellum consuevit, vel quæ alteri civitati jus belli dant (§. 1108. *P. I. Jur. nat.*). Sed hæ sunt graves injuriæ vel factæ vel faciendæ (§. 1109. *ibid.*), sive ob-

stinata

ſtinata denegatio juris perfecti (§. 613. *ibid.*), item jus ſe defendendi, eumque puniendi, qui læſit (§. 1061. & 1124. *ibid.*), quo etiam civitates gaudent (§. 613. *Jur. Gent.*). E quibus relinquitur, *fugiendam inter civitates eſſe omnem juris perfecti detrectationem*, & præ cæteris *fugiendas eſſe injurias graves ſive faciendas, ſive ob jam factas recuſationem juſtæ ſatisfactionis* (§. 580. *ſeq. Jur. Gent.*).

Neque enim probæ civitates unquam bellum ſuſcipere volent, ſine cauſa graviſſima, neceſſitatem belli imponente. Si qua vero improba eſſet civitas, ea tamen videri injuſta non vult, inde pariter bellum initura captat & prætexit cauſas, ſpeciem belli juſti minimum præ ſe ferentes, niſi vana gloria omnem excuſſit pudorem. Quapropter civitas provide cavens & evitans graves injurias, detrectationemque juris perfecti, ſimul evitat juſtas belli cauſas, nec obtentui prætexendo locum relinquit. Quo ipſo aut ipſum quoque bellum præcavet & avertit, aut ſi id non conſequitur, ſaltem cæterarum civitatum auxilium habebit paratum certumque.

§. 485.

In his & invaſio & uſurpatio.

Cavenda igitur eſt omnis invaſio alterius civitatis, omnisque uſurpatio jurium ipſius publicorum, uti autonomiæ, regiminis ipſius turbatio, limitum perverſio & extenſio injuſta, & id genus alia. Invaſor enim ſine jure imperium vi vel dolo occupat (§. 1073. *P. VIII. Jur. nat.*); ſive id faciat animo cives alterius civitatis expellendi, ſuamque ibi ſedem figendi (§. 282. *Jur. Gent.*), ſive tantum rectorem civitatis imperio privare, idque ſuum facere nitatur. Vtrovis modo & in genere omnem invaſionem injuriam eſſe admodum gravem liquet, ob quam invaſorem vi ejicere & interficere licet (§. 1076. *P. VIII. Jur. nat.*).

Cum uſurpator dicatur injuſtus juris alieni poſſeſſor h. e. qui jus exercet, quod ſuum non eſſe novit, animo id alteri eripiendi (§. 984. *Jur. Gent.*) eum gravem injuriam inferre in

noſtro

nostro casu legitimo rectori civitatis, manifestum est, sive sola vi & potentia, sive dolo imperium usurpet. Quod ob eandem rationem, qua in toto imperio usurpando nefas, in singulis quoque juribus, tanquam partibus imperii, usurpandis gravis injuriæ loco est habendum. Cujusmodi sunt, si quis peregrinus, aut si qua civitas sibi arroget actum, ad exercitium imperii alieni pertinentem (§. 255. *Jur. Gent.*); uti si contra ipsius autonomiam legem quandam ipsi præscribere audeat, ut hoc vel illud constituat, faciat, aut omittat; si se quomodocunque regimini ipsius immisceat (§. 256. *seq.* & 269. *ibid.*); si vi adigere eam vellet ad suam religionem amplectendam (§. 259. *ibid.*); si vi armata ditionem alienam ingrediatur, ut v.g. reum fugientem aut ibi latitantem abducat (§. 294. *ibid.*); si fines imperii pervertere ac nefarie propagare conetur (§. 283. *ibid.*). His & similibus manifestam inesse injuriam, suis tamen gradibus diversam, nemo est, qui infitias iverit.

Exigui tantum momenti rem esse, patet, si qua civitas reum persequatur, nec assequi potuerit, antequam alienam ditionem ingressus fuit eo loco, ubi nullus judex implorari potuit. Præstat enim purgare se alteri de tali facto, quo violare ipsius jurisdictionem noluit, sed tantum id egit, ne impunem e manibus dimitteret, quem omnino punire officium jubet. Potest enim in simili casu similia alteri civitati vicissim indulgere. Quoniam non tam facta hujusmodi æstimanda sunt, quam animus, quo fiunt: ex parte id simul agitur, ne alteri civitati, implorandæ de hominis nefarii investigatione & custodia, negotium sit facessendum. Aliter statuendum, si judicis copia haberi possit.

§. 486.

Cavendum, ne civitati imputetur, quod non nisi privato ausu & scelere factum, nisi id postea civitas ratihabeat. Civitati enim tri- *Quæ injuriæ civitati non*

ſint tribuendæ? tribui non poteſt, niſi quod vel rector ejus, nomine civitatis agit (§. 158. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 600. *Jur. Gent.*) vel de ejus majori parte vera ſunt (§. 43. *Jur. Gent.*), vel juſſu illius geſtum eſt (§. 654. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), & quæ his gemina dici merentur. Sed ab his plane abhorret, ſi quis privatus ſuopte auſu & ſcelere alteri civitati injuriam inferat, v. c. falſam cudendo monetam. Hujus enim ſcelus ſi civitas deteſtetur, prompteque illud ulciſcatur, quando id ipſi innotuit: tum omnibus patet civitatis innocentia, ob quam extra ſuſpicionem illius injuriæ ponenda eſt (§. 1027. *Jur. Gent.*).

Si vero quod injuſſu civitatis & plane privata arrogantia factum eſt, deinde a civitate ratihabetur, approbetur, defenditurque: tum fere idem eſt, acſi ab initio illud ab ipſa civitate aut conſenſu ipſius actum eſſet (§. 673. *P. I. Philoſ. pract. univ*) & (§. 468. *Jur. Gent.*). Quapropter ejusmodi injuria ideo civitati imputanda eſſe intelligitur, quia poſt illam peractam, eam ratihabendo & defendendo ſe reddit illius conſortem, cujus ab initio fuerat exſors (§ 1027. *ſeq. Jur. Gent.*)

Etiam ſi non plane approbetur ſcelus, ſed quomodocunque pallietur, aut pœna illius juſta vano obtentu denegetur, naſci & inde bellum poteſt perniciosſum. Quod comprobamus exemplo Benjaminitarum, ſcelus nefandum Gibeæ admiſſum nec ſponte ſua punientium, nec autores illius tradentium, quum ab Iſraëlitis ad pœnam expeterentur. Vnde tantum non omnis tribus deleta fuit *Jud. XX.* Neque enim niſi 600 ſupererunt fugitivi v. 47. Forte illo uſi ſunt prætextu, ſe eſſe ſuos tribules punituros pro meritis, nec ſibi eſſe juriſdictionem in ſuos eripiendam. Sed quomodo poterunt ignorare ſupremum judicium ſibi non convenire, ſed omnibus tribubus conjunctim, & quibus illud fuerat a Deo demandatum? Præterea tam nefandum ſcelus ne excuſationem quidem aut deprecationem pro reis merebatur, multo minus defenſionem, quæ rebellionem continebat, propter quam meritas dedere pœnas.

§. 487.

§. 487.

Sincerum ſit pacis ſtudium inter civitates.

Quia pax eſt ſtatus civitatis a bello immunis (§. 959. *Jur. Gent.*), ideoque civitas in pace omnibus juribus & ſalute ſua quiete fruitur: pacem a civitatibus eſſe colendam, exploratum eſt (§. 961. *ibid.*). Ideoque Rectores civitatis non tantum ſuis hoc debent ſubditis, ſed etiam aliis civitatibus, ut pacem omni, quo recte fieri poteſt, modo conſervare ſtudeant (§. 962. *ſeq. ibid.*). Nec ipſi tantum vitare bellum debent, ſed & operam dare, ut disſuadeant aliis, ne temere bellum ſuſcipiant (§. 964. *ibid.*). *Apparet igitur cum belli publici fuga* (§. 483.) *ſtudium pacis ſincerum indivulſo nexu jungi, & a civitatibus conjungendum ſemper eſſe;* aut *belli vitandi præſtantiſſimum ſubſidium haberi in pace quoad licet, per officia ſanctiſſime inter civitates colenda.*

Evidens per ſe eſt, pace poſita tolli bellum, & ſublato bello pacem poni. Hinc quam diu durat & conſervatur pax, tamdiu ſimul evitari bellum, neceſſe eſt. Iis ergo civitatibus, qui bellum cavere cupiunt & evitare, ſummopere curandum eſt, ut pax conſervetur, ideoque omnia obſervanda ſunt officia, quæ pacis continuationi adjumento ſunt. Quæ cum in ſtatu libero non ſint alia, quam quæ lege naturali omnibus injunguntur hominibus; facillimo negotio ad civitates, tanquam totidem perſonas morales liberas & in ſtatu naturali degentes, (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*) transferuntur.

§. 488.

Etiam minima pacis capita ſerventur.

Eo quod pax inter civitates, quoad per officia licet, ſanctiſſime eſt colenda (§. 487.): dubitari nequit, quin & pacta pacis, quæ inita ſunt inter civitates, ſanctiſſime ſint ſervanda (§. 480.), & quin pacem rumpat, qui vel minoris momenti capita tantum violat (§. 1024. *Jur. Gent.*). Colendæ ergo pacis cauſa *cavendum, ne vel minimi momenti capita violentur.* Non ſolum propterea id cavendum, quia non eadem eſſe ſolent hominum ac civitatum judicia de mo-

mento eorum, quæ in pace ſtipulata ſunt, ita ut quod uni videtur eſſe minimi, id alteri permagni videatur eſſe momenti; verum etiam, quia ſanctitas fidei non pendet a magnitudine momenti ſeu gravitate officii promiſſi, ſed ab eo, quia ejus obſervantia inviolabilis eſt promiſſa, vel quia ſalus publica illam requirit (§. 546. *Jur. Gent.*). Quin immo fallitur fides data, etiamſi non ſervetur promiſſio minimi momenti (§. 790. P. III. *Jur. nat.*) & (§. 376. *Jur. Gent.*), idque eo minus excuſari meretur, quo facilius fuiſſet ſervare rem minimi momenti (§ 694. *P. I. Philoſ. pract. univ.*), forſitan ideo adjectam, ut conſtaret, quid ſperandum ſit in rebus gravioris momenti. Fallens fidem in re minimi momenti ſatis prodit, quid animi ipſi ſit futurum in re gravioris momenti, quæ multo magis animum flectere poſſet.

Non diffiteor, vulgo res minoris momenti parum curari, tanquam attentione indignas. Pollicetur quoque & impetrat ſæpe parvitas momenti indulgentiam alterius civitatis, minima alterius opinione non curaturæ. Neque de eo nunc agitur, quid æquitati circa illas conſentaneum ſit; ſed præcavetur malum, facile inde naſciturum. Naſcitur autem inde turpis neglectus fidei datæ, ne privatum quidem quenquam, multo minus civitatem integram decens, ſed animum ſenſim corrumpens, & ad majorem perfidiam ſpe ſimilis impunitatis invitans. Naſcitur quoque indidem offenſio alterius civitatis, cui fides eſt data, merito verentis graviorem & adulturam amplius perfidiam, ſi vel prima levis dici poſſet, ideoque ad futura prævenda pronæ.

§. 489.

Multo magis graviora ſunt ſervanda. Quia ne minimi quidem momenti capita pacis ſunt violanda, ſed eo ſanctius obſervanda, quo facilius ſervari poſſunt (§. 488.): apertiſſimum eſt, *multo minus magni aut plane graviſſimi momenti capita eſſe violanda.* Quo gravioris enim momenti

menti eſt officium promiſſum, eo magis intereſt alterius civitatis, illud ſervari; eoque minus patienda ipſi eſt ejus violatio (§ 913. *P. I. Jur. nat.*). Ejus enim violatio majus illi affert damnum, & quo majus eſt damnum illatum, eo magis læditur (§ 670. *P. I. Jur. nat.*). Sed quo magis una civitas alteram læſit, eo ad majorem pœnam patiendam obligatur (§. 1071. *ibid.*). Quo magis igitur civitas a pœna graviori abhorret, eo minus violanda eſſe agnoſcit capita pacis graviora, atque cum majori civitatis emolumento conjuncta, ſi ſerventur, & cum majori ſalutis detrimento, ſi violentur.

Dari læſiones graviores levioresque varia docent argumenta. Lædi enim poſſunt homines quoad mentem, corpus & fortunam. Ecquis neſcit graviorem eſſe læſionem mentis, v. c. ſeductionem ad vitia, quam corporis, & in corpore vulnus lethale graviorem eſſe læſionem, quam leve & minime mortiferum? In rebus fortunæ majus furtum graviorem infert læſionem, quam exiguum furtum. Generatim igitur ex magnitudine mali ſeu damni, quod læſio infert, æſtimari etiam poteſt illius gravitas. Quo majus igitur damnum infert violatio & ruptura pacis, eo gravioris etiam momenti læſio erit, & eo intenſior cura requiritur ad præcavendam ejusmodi violationem.

§. 490.

Si loco pacis ſint induciæ longiores, harum pariter ac breviorum violatio diligenter erit cavenda. Nimirum ſi longiores induciæ loco pacis ſint, non immerito pro pace temporaria habentur (§. 960. *Jur. Gent.*). Ea propter etiam capitum, quæ in illis continentur, cujuscunque ſint momenti, obſervatio haud ſecus, ac pacis, cui æquiparandæ ſunt, conditionum (§. 488. *ſeq.*) ſancta eſſe debet. Licet igitur per inducias bellum non finiatur, ſed tantum actus bellici interim ceſſent: re ipſa tamen is ſtatus a pace tantum eo differt, quod pax deberet eſſe perpetua, induciæ vero non perpetuæ, ſed ſolum ad defini-

Etiam in initis induciis.

tum tempus; & quod in pace causa belli transactione adhibita removeatur & tollatur, quæ manet tempore induciarum eadem, iisque finitis veluti reviviscit, ut tum prius bellum continuari possit. Si breviores sunt induciæ, illæ a longioribus non differunt, nisi tempore, quod rem non mutat. Proinde etiam capita induciarum breviorum non minus servanda sunt exacte ac pax ipsa. Id quod etiam ex eo perspici potest: quia induciæ sunt pacta de suspensione actuum bellicorum intra tempus conventum inita (§. 913. *Jur. Gent.*), ideoque haud secus ac alia, ipsaque pacis pacta sunt servanda (§. 789. *P. III. Jur. nat.*).

Etiamsi induciæ pax non sint, sed belli tantum interruptio & armistitium vulgo dictum, fides tamen data in ipsis æque obligat, ac in alio legitimo pacto. Contra ipsarum violatio non potest non paci accelerandæ obstare: quum fiduciam infringant, pacem si iniretur servatum iri. Ergo & pacis quantocyus restituendæ causa induciarum fides neutiquam est violanda. Non multum quidem interesse videtur, utrum induciæ v. c. vicennales ineantur sancte servandæ, an pax non duratura ultra vicennium ineatur; præsertim si induciarum continuatio facilius sit speranda, quam novarum, quæ proferuntur, belli causarum compositio. Pejoris tamen conditionis esse inducias, ipsa pace vel ex eo liquet, quod in illis novarum belli causarum quamvis fictarum usus non minus metuendus est, quam inita pace, & tamen si vel omnia induciarum capita serventur exactissime, statuto elapso tempore ob nullam novam læsionem bellum rursus instat, nisi illarum prorogationi locus relinquatur. Si religionis diversitas causa belli venditetur, multo id periculosius accidere manifestum est. Vnde elucet, quanti momenti esset vivæ cognitionis legis naturalis divulgatio, quæ religionis diversitatem justam belli causam esse negat (§. 259. *seq. Jur. Gent.*), nec officia humanitatis propter diversam religionem denegari concedit (§. 263. *ibid.*).

§. 491.

§. 491.

Habent tamen uti alia, sic & fœderum, pacis & induciarum pacta tacitam conditionem, si promissa fieri possint; qua non existente, obligatio cessat. Vti nullus privatus homo, sic & nulla civitas alteri obligari potest ultra vires suas (§. 209. *P. I. Phil. pract. univ.*) & (§. 633. *P. III. Jur. nat.*). Hinc promissio rei non existentis, non exituræ, aut quæ illis ignorantibus existere desiit, non obligat, quatenus non est in potestate civitatis efficientia, ut illa res sit (§. 634. *seq. P. III. Jur. nat.*). Promissio ejus, quod vires civitatis, præter spem transcendit (§. 636. *ibid.*), quod jam est alienum (§. 656. *ibid.*), nec recuperari potest (§. 657. *seq. ibid.*), nec aliud tantundem valens præstari (§. 658. *ibid.*), quod turpe esse aut potiori officio repugnare deprehenditur, invalida est (§. 679. *ibid.*) Quapropter si civitas per officia erga se ipsam, quæ alteri promissa sunt, præstare nequeat, etiam obligatio id præstandi cessat (§. 1032. *Jur. Gent.*). Idcirco tum quæ naturaliter, tum quæ moraliter fieri nequeunt, etiamsi in pactis contineantur, si non adimplentur, rumpi fœdus aut pax, vel injuria fieri alteri civitati, dici nequit. *Tacita conditio omnium pactorum attendenda.*

Sic pacto fœderis non adversatur civitas, quæ ipsa bello implicite, auxilia vel subsidia mittere nequit, quibus ipsa indiget ad se servandam defendendamque, licet ipsi non contra eundem sed alium hostem sit pugnandum. Si promissa sit missio classis 50 navium, quæ interim procella periit, nec restitui stato tempore potest, quis non diceret, excusatam plenissime esse civitatem, quod mittere classem non potuerit? Curandum tamen, ne ignoret altera civitas, quod & cur præstari promissum nequeat.

§. 492.

Oborta inter civitates controversia, disquirendum erit, sitne illius causa vera an erronea? Oborta nempe controversia, adest contentio de juribus invicem tribuendis vel de injuria facta (§. 562. *Jur. Gent.*), altera affirmante, altera negante, rationibus allatis, *Inquirendum sitne causa controversiæ vera, necne.*

jus

jus illud esse tribuendum, vel injuriam esse factam. Causa igitur controversiæ vel est jus quoddam, quod altera civitas contendit sibi tribuendum esse, altera negat; vel injuria quam altera sibi factam esse ait, altera negat. Præcipuum ergo controversiæ criterium petendum erit a causæ vel veritate, vel falsitate, quæ per errorem pro vera habetur. Hinc ratione Juris in obligationem (§. 23. *P. I. Jur. nat.*), ratione injuriæ in violationem juris perfecti inquirendum erit (§. 859. *ibid.*). E quibus patet, oborta inter civitates controversia quadam disquirendum esse, sitne illius causa vera an falsa & erronea tantum?

Judicium nempe in genere vel verum est, vel falsum sed erroneum, quod errore verum esse videtur (§. 509. & 623. *Logic.*). Proinde etiam judicium de causa controversiæ inter civitates, aut verum erit, aut falsum, & quoniam altera civitas negat, quod altera de illa affirmat, alterius judicium erroneum sit oportet. Quando igitur causa est jus controversum, quod altera sibi esse statuit, altera id negat & suum id esse contendit, vel quod utraque sibi deberi opinatur (§. 867. *P. V. Jur. nat.*): tum utriusque judicium, idem illud jus sibi deberi, nequit esse verum. Alterutrum igitur necessario est falsum, & tantum alteri civitati verum esse videtur, estque ideo erroneum. Ulterius ergo videndum erit, sitne error bonæ an malæ fidei? Bonæ fidei error, vel error culposus dicitur, qui non debetur nisi nudæ culpæ (§. 717. *P. I. Phil. pract. univ.*), ideoque non usui facultatum cognoscendi tribuendus est (§. 741. *ibid.*). Hinc bona fide errans ponit aliquid esse, quod non est, & vice versa; itaque sub hac conditione: si id verum sit, quod opinatur, ita nec aliter sibi statuendum esse arbitratur. Sed malæ fidei aut dolosus error conjunctus est cum dolo, & vitium voluntatis simul infert, quo etiamsi hoc non verum esset, tamen sibi ita nec aliter agendum esse statuit. Hinc quando postea convictus est sui erroris, aut jam scit, falsum esse, quod pro vero habuerat, saltem dubius licet pro vero venditaverat, nihilominus pravitate

vitate voluntatis inhæret suis placitis, soloque tum dolo alteri adversatur.

§. 493.

Si error bonæ fidei alteri civitati obstet, obtinebit quæsitum, solida & amica erroris refutatione, prout consultius videbitur, seu privatim insinuata, seu publice divulgata. Etenim si tantum error bonæ fidei civitati reluctatur, tum credit altera civitas, id jus suum esse, non vero esse jus alterius civitatis, aut sibi illatam esse injuriam ab altera civitate, neutiquam a se alteri civitati (§. 492.). Quamdiu igitur in illa opinione manet, vel ea opinio ipsi non eripitur; tam diu obstabit alteri civitati, persuadens sibi, non esse sibi aliter agendum. Si error ipsi eripiendus est, oportet, ut is solide amiceque refutetur, eaque refutatione altera civitas erroris sui omnino convincatur. Hinc deliberandum definiendumque erit, quomodo & per quem id optime obtineri possit. Pollens igitur ea autoritate & gratia, cui aures pateant & fides præ cæteris habeatur in altera civitate, huic negotio erit adhibendus. Si quoque privata insinuatio facta oretenus, seu manuscriptæ rationes sufficere intelligantur, hic modus erit præferendus. Sin prævideatur, eum non esse suffecturum, vel si non audita fuit privatior suggestio, tum & uberius & typis impressam refutationem in subsidium vocandam esse spes jubebit, reverentia judiciorum omnium extra partium studia positorum provocata. *Modus errorem bonæ fidei tollendi.*

Si nempe voluntas dolo careat & æquitatis amans deprehendatur, facili negotio causæ apparentes tollentur, vanitate earum amice detecta, & cum soliditate rationum contrariarum collata. Quod eo facilius succedet, si utraque civitas in examine rationum, suas rationes spectet tantisper ut rationes alterius civitatis, & illius rationes ut suas & a se urgendas. Ita sine ullo strepitu se diffundente privatim tota controversia sopietur. Si quid vero scrupuli restat, aut difficultates nectantur subtiliores: vel-

uti universorum intelligentium hominum, qui extra illam controversiam positi sunt, & nunc viventium & futurorum judicio controversia exposita aliam quasi faciem induet, ut civitates, e quibus pudor non exulat, moveantur peritorum judicio & applausu obtinendo, ad æquitati locum relinquendum.

§. 494.

Modus errorem malæ fidei denudandi.

Sin error a mala fide non videatur sejunctus, vel dolus potissimum subesse animadvertatur, tum præter solidam inanium rationum refutationem, detegenda quoque & evincenda erunt indicia pravæ voluntatis. Si enim error cum mala fide conjunctus est, non solus ille animum occupat regitque, sed simul dolus pravæ voluntatis (§. 942). Si vero dolus tantum subest, pallia tantum sibi circumdans, vanas sed speciosas quadamtenus causas, sub quibus latitare, & fucum præ se ferre possit: tum hæc pallia ipsi erunt detrahenda, ut denudatus appareat, qualis in se est. Ea propter ad vanas quanquam speciose effectas & fucatas, aut erroneas quoque simul rationes eximendas tollendasque e medio, opus erit, uti (§. 493) solida earum refutatione, quanta decet simul modestia & humanitate adornata. Quatenus vero hæc sola sufficere non intelligitur, ad scopum obtinendum, præter illam exhibenda & in sole meridiano ponenda erit evictio indiciorum pravæ voluntatis. Quæ si vera sunt refutari non poterunt, civitatemque eorum ream non delenda unquam notabunt macula, nisi ab illa malitia abstinere & sic dubium efficere velit, an ista veritati consentanea sint censenda. Quod si nullam famæ inter posteros rationem habere velit, faciendum sibi esse invita quamquam statuet. Hinc confectum habetur, si error civitatis a mala fide vix sit sejunctus, aut dolus potissimum rationes ficulneas peperisse videatur, tum præter solidam istiusmodi rationum refutationem, denudanda quoque esse pravæ voluntatis artificia & documenta.

Ea

Ea eſt pravæ voluntatis, dolorum matris, indolis, ut ſemper fere illam puditum ſit, nativa ſua facie in conſpectum hominum prodire, Amat igitur fucum, pallia & ornatum mutuatitium, quo ſe tegat & pulchram quaſi obtutui parum acuto ſiſtat. Quid his technis cauſæ eſt, niſi ſtudium quoddam famæ non peſſimæ, ſtudium celandi turpitudinem ſuam, & decipiendi alios, quotquot decipi poſſunt, & nonnullæ pudoris naturalis reliquiæ? Qui pudor ubi plane periit, ibi nec viventium, nec poſterorum judicia penſi habentur. Qui gradus proſtrati omnis pudoris, infamiam famamque eodem loco habentis, quum vix in ulla civitate locum habere poſſe videatur; ſemper alicujus momenti erit in civitatibus a pravitate voluntatis infamante avocantis illa detectio indiciorum minime dubiorum, & colorum quibus ſe fraudes incruſtare & pingere conſueverunt. Ne quid tamen a prudentia alienum committatur, ipſa bonæ cauſæ ratio jubebit.

§. 495.

Cauſa vera vel certa eſt vel non eſt

Si cauſa controverſiæ eſt vera, tum illa vel certa erit, ideoque demonſtranda, vel non omnino certa, ideoque probabilitate quanta fieri poteſt ſtabilienda. Etenim ſi vera eſt cauſa controverſiæ, vel jus verum erit, de quo diſceptatur, vel injuria vera (§. 492.), utrobique veritas vel omnino certa erit, vel non omnino certa (§. 564. *Logic.*). Si omnino certa eſt, poterit demonſtrari veritatis neceſſitas, per quam liquidum evadit, rem aliter habere ſeu falſam eſſe non poſſe (§. 568. *ibid.*). In contrario caſu illa neceſſitas oſtendi non poterit, potius perſpicuum manebit, rem aliter habere poſſe, ideoque non erit omnino certa ſed quadamtenus incerta. Si tamen plures veritatis notæ adeſſe, quam deeſſe intelliguntur, ſententia erit probabilis, eoque probabilior, quo plura veritatis momenta adeſſe perſpiciuntur (§. 579. *ibid.*). Hoc caſu igitur quanta fieri poterit probabilitate cauſa controverſiæ, hoc eſt jus, de quo diſceptatur, aut injuria, erit ſtabilienda.

Conſtat ex logicis, demonſtrationem a probatione non differre, niſi in præmiſſis, quæ in demonſtratione omnes omnino certæ ſunt, ſed in probatione ſaltem una habetur præmiſſa, quæ omnino certa non eſt. Quocirca & juris vel injuriæ controverſia aut deduci potuit ex principiis prorſus indubiis immotisque, ſic demonſtrabitur & certa efficietur; aut non poterit ex hujusmodi principiis evinci, ſed aliquid ad iſtam omni dubio majorem efficiendam deerit, ut ſaltem perſpiciatur, fieri poſſe, ut res aliter habeat. Hinc jus, quod alteri deberi demonſtrari poteſt, erit *liquidum & perfectum*; quod tale non eſt, id non erit niſi *illiquidum imperfectumque*. Sic & injuria, quæ demonſtrari poteſt, erit *manifeſta* & negari neſcia; *nec manifeſta* autem, quæ ita liquido oſtendi nequit. Vnde ſequitur, ubi unius civitatis jus eſt liquidum & demonſtratum, ibi alterius jus eſſe nullum, ſed certo falſum, ac facile refutatu. Sic & ſi manifeſta ſit injuria, ejus negatio aut patrocinium in coloribus quæſitum mox evaneſcit. Si jus quidem ſit verum, ſed imperfectum illius denegatio nihil injuriæ habebit. Si dubium & erroneum, & injuria nec manifeſta ex errore ſit profecta, pertinebit ad §. 493. *ſeq*.

§. 496.

Inquirendum cauſæ momentum. *Vbi perfectum habetur jus, aut manifeſta injuria, ibi inquirendum erit in illius momentum, poſſitne juſta belli cauſa eſſe, nec ne?* Neque enim unius ejusdemque momenti ſunt omnia jura perfecta, omnesque injuriæ. Sed quia jura ſunt bona, injuriæ autem mala; & bona æque ac mala alia aliis ſunt majora & graviora (§. 519. *ſeqq. Ontol.*) & (§. 597. *ſeq. Pſychol. empir.*): jus quoque perfectum & injuria manifeſta, non erit unius ejusdemque valoris, magnitudinis & gravitatis (§. 652. *P. I. phil. pract. univ.*) & (§. 489.). Si vel maxime igitur perfectum adſit jus, vel injuria manifeſta, inquirendum tamen erit in illius momentum, tantine ſit, ut juſta belli cauſa eſſe queat, nec ne?

Juri-

Jurium magnitudo æstimatur plerumque ex utilitate inde percipienda (§. 281. *P. IV. Jur. nat.*). Quanto pluris igitur est usus fructusque alicujus juris, tanto majoris pretii erit jus ipsum. Aestimari vero etiam jus potest ex honore, commoditate & jucunditate. Tunc illud majus erit censendum, quod majorem affert honorem & dignitatem, commoditatem, jucunditatemque. Quis nescit majores dignitates v. c. nobilitatis, magistratusque; majores honorum civilium literariorum, cæterorumque gradus minoribus jure præferri? Simili modo major commoditas & jucunditas minori præponitur, quoties jus optionis perito datur. Quemadmodum igitur juris magnitudo ex dictis capitibus æstimari solet; ita generatim ex bonis in hominem inde redundantibus æstimanda erit, cujuscunque nominis illa sint, v. c. Ex boni nobilitate, præstantia, constantia, duratione, multitudine, frequentia, raritate, puritate, singularitate, pulchritudine, efficientia, in mente, corpore & fortunis. Ex adverso injuria æstimanda est ex bonorum jactura & malorum illatione, quæ inde proficiscitur. Quo enim majora, plura & certiora bona adimit aut præripit injuria; vel quo majora plura & graviora mala affert, eo illa major & gravior erit censenda. Quæ facile persequi potest, qui volet, quemadmodum fecimus in jurium percensione. Quanti vero momenti esse debeat ad justam belli causam dandam id ex pretio juris vel injuriæ, sumtibusque spe & periculo belli suscipiendi, inter se collatis, æstimandum decidendumque erit.

§. 497.

Quid faciendum, si causa bello sit inidonea?

Si causa controversiæ certa tanti non sit, ut justam belli causam præbeat, dispiciendum erit, sitne prorsus missa facienda, saltem dissimulanda; an id minime consultum videatur? Nempe si causa controversiæ certa quidem, sed tanti non sit, ut ejus causa bellum sit gerendum, tum a bello erit idcirco abstinendum. Quia tamen civitati liberum est, in gratiam alterius gravamina sua non urgere (§ 568. *Jur. Gent.*): deliberandum erit, præstetne generoso animo causam controversiæ missam facere, negligere, & ne mo-

ne movere quidem; an ob rationes prudentiæ politicæ in præsenti rerum facie dissimulanda sit querimonia; an neutrum videatur consultum, sed alia quædam via a bello diversa sit ineunda? Merito enim civitas solicita est, de eo, quod sibi expediet, & quid pro re nata satius sit censendum (§. 192. P. I. Phil. pract. univ.).

Si causa controversiæ negligitur & ne movetur quidem, videtur civitas vel ignorare, quæ se afficiunt, vel nolle jure suo uti in gratiam alterius civitatis. Quare liberaliter id donasse vel condonasse censebitur, quod urgere potuisset. Vbi enim privato homini, sic & civitati licet condonare offensas, donare aliis sua jura, nec sibi aut successoribus reservare jus vindicandi & debita exigendi. Si vero prorsus missam facere rem omnem nolit, nihil agendum est, eo quo remissio juris vel expresse vel tacite patescat; ideoque tum nude tantum celandum erit, dissimulandumque, quod prudentia dictavit. Denique si neutra ratio placeat, sed alia via mitior ineunda, ulteriori opus erit deliberatione, quid factu sit opus?

§. 498.

Modi mitissimi controversiam civitatum tollendi.

Mitissimi controversiam componendi modi sunt in amica cessione, in transactione, in conciliatoribus, aut arbitris adhibitis; & consensu mutuo ex his eligetur, qui magis arriserit. Etenim licet cuilibet civitati, æque ac privato homini in statu naturali (§. 569. Jur. Gent.), quæ id consultum deprehendit, in gratiam alterius civitatis jus suum aut totum, aut ex parte remittere, sine interventu ullius alterius. Priori casu contingit cessio juris amica, sive amicabilis compositio (§. 878. P. V. Jur. nat.). Posteriori transactio fit (§. 885. ibid.). Si vero consultius ducat aliis uti testibus suæ æquitatis & defensoribus; tum aut conciliatores eliget, ex mutuis amicis, qui consiliis & persuasionibus controversiam finire studeant; aut arbitros malent adhibere, qui, si persuasionibus res non finiatur, ex æquo & bono sententiam dicant,

dicant, in qua velint adquiescere. Illa via vocari consuevit mediatio (§. 923. *P. V. Jur. nat.*); hæc arbitrium seu compromissum in arbitrum vel arbitros (§. 945. *ibid.*). Constat igitur his modis mitissimis controversias inter civitates componi posse aut si quid restet, quod conciliator persuadere nequeat, arbiter definire nolit, id sorti decidendum relinqui potest (§. 1099. & 1102. *ibid.*) & (§. 570. *Jur. Gent.*).

1) Videlicet, qui jure quodam non indiget, vel uti non vult, is prout ipsi consultius videtur, vel toto jure se potest abdicare, idque alteri cuidam donare, assignare, cedere, aut tacite quasi rem desertam alteri occupandum relinquere; vel potest aliquam partem juris sui remittere, ea lege, ut vicissim & alter sui juris aliquam partem remittat, & sic controversia exitum sortiatur. Nam de eo casu hic non agitur, ubi liquidi juris est, quanta pars juris cuique debeatur, ut tantum de eo herciscundo & pro rata dividundo, vel si commode dividi nequeat de eo permutando cum alio conveniente æquivalentique, aut vendenda parte agendum sit. Si in dubio jure, vel etiam certo sed levioris momenti, civitates invicem consentiant, vel in cessionem plenam, vel minus plenam; tunc amicabili transactione & compositione controversia tolletur. Si vero testatam esse aliis civitatibus velint suam compositionem, documentis confectis aut & publicatis causæ compositio poterit consignari. Vbi vero inconsultum videtur, ista secreto tractari, ibi locus erit sequestris, conciliatoribus, arbitrisque, controversiam cognoscentibus, consiliisque & rationibus animos ad concordiam redigentibus, vel & sententiam ex compromisso ferentibus, itaque conciliatione aut arbitrio, aut si quid sorti committendum videtur, sorte dirimetur controversia oborta. Ad quæ peragenda & debite absolvenda opus est celebrando conventu, de cujus loco, tempore, personis ad eum admittendis, instruendis, aliisque ad scopum quam brevissime & optime consequendum facientibus, mutuo est conveniendum, remotis quibuscunque impedimentis (§. 571. *Jur. Gent.*).

2) Fuit

2) Fuit quidem nonnunquam duellum aut paucorum certamen electum & in victoriam compromissum, uti David & Goliath consensu civitatum suarum de victoria ea certarunt lege, ut uter victus esset, ejus civitas alteri succubuisse censeretur 1 Samuel. XVII. 8. 25. 51. *seqq.* Ita duces Joabus & Abnerus consensere, ut duodeni pugnarent omnium loco 2 Sam. II. 14. 16. Similis pugna inita est inter duces Suffetium & Tullum, quorum ille ad hunc dixit: ineamus aliquam viam qua utri utris imperent, sine magna clade, sine multo sangine utriusque populi decerni possit, autore *Livio L. I. Hist. c. 23.* & convenit, ut terni Horatii & Curiatii de victoria dimicarent *c. 24. seq. ibid.* Plura exempla habet *Grotius de Jure Belli & Pacis L. II. c. 23. §. 10.* & *L. III. c. 20. §. 43.* Sed præterquam quod dimicantes se mutuo conficere possunt, ut in allata pugna duodenorum, aut æquo marte discedere possunt, ut victoria sit neutrius partis; causam controversam vi armorum decidere non licet (§. 632. *Jur. Gent.*); nec qui victoriam reportavit, ideo jure vicisse dici potest, ut ideo censendus sit ratione injuriæ insons vel ratione juris controversi potior in ipso. Hoc enim falsum esse, civitates omnes probe norunt. Quia tamen in hoc casu compromissum adest, vi cujus in compositionem controversiæ consentiunt per eventum victoriæ, & belli incommodis plurimique sanguinis effusioni occurritur, de istiusmodi casu enucleatius agendum videtur.

§. 499.

De compromisso in paucorum victoriam aversando.

Si utraque civitas a bello serio abhorret, prudentiæ & æquitati naturali repugnat, in victoriam paucorum concertantium compromittendo decisionem controversiæ conferre; & si post certamen factum compacto potius standum sit, quam contra illud agendum. Si oborta quamvis controversia civitates serio abhorrent a bello, prudentiæ est & æquitatis naturalis, meliores mitioresque modos, uti in defensione, præponere deterioribus, durioribusque nulla necessitate nitentibus (§ 192. *P. I. Philos. pract. univ.*) & (§.

& (§. 982. *sqq. P. I. Jur. nat.*). Enimvero dantur modi meliores mitioresque componendi controversiam (§. 498.) quam compactum in paucorum concertantium victoriam (§. 498. Schol. 2.). Si vero solo incerto eventu stare civitates velint, sors & multi alii incerti eventus supersunt, a quibus suum consensum in finem controversiæ suspendere possunt, nulla opus est concertatione & sanguinis effusione vel unius tantum civis fortis. Quam ob rem uti duellum inter privatos ideo susceptum, ut per victoriam res controversa decidatur, illicitum est (§. 1091. *P. V. Jur. nat.*): ita quoque civitates, spectandæ instar personarum singularium in statu naturali degentium (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*) prudentiæ æquitatique naturali non litarent, citra durum necessitatis telum, in victoriam paucorum concertantium, decisionem controversiæ conferentes, remittentesque.

Si quo tamen errore compactum sit initum, certamenque ita factum, ut ex compacto decisio controversiæ adsit; factum infectum fieri non poterit, sed uti cecidit, ita manebit. Quam ob rem si bene cecidit, gratiæ potius habendæ erunt divino numini, vel errorem uti peccata in meliorem finem dirigenti, ac paciscentes meruissent; ideoque pactum servandi & adquiescendi in exitu ejus, rationes adsunt justissimæ. Sin male cecidit victoria, hoc est illius civitatis facta sit, cujus injuria alteri facta est manifesta, aut cujus jus est fictitium & nullum: tum illa pœnas dedisse intelligetur Deo, quæ in ejusmodi compactum temere descendit, cautiusque in posterum mercari discet. Si vero illa quasi resipiscere se fingeret, & insuper compacto stare nollet, aperte & Dei ulteriorem vindictam & aliarum civitatum alienationem a se metuendam haberet.

Multo magis altera civitas, cujus caufa tam bona non eft, peccaret, malamque fidem fuam oftenderet, fi eventu fecus cadente, ac fperatum fuerat, compacto ftare nollet, aliasque civitates a fe redderet alienas. Recte igitur urget *Grotius de Jur. Bel. & pac. L. III. c. 20. §. 43.* opinionem illam, licere caufæ controverfæ decifionem ex compacto exfpectare ab eventu certaminis paucorum pari numero inter fe loco omnium reliquorum ftrenue dimicantium, effe adverfum rectæ rationi & legibus divinis. Peccari contra charitatem, fi morti dentur homines, faltem unus, ne perdatur quidquam, quo facile careret civitas. Peccari contra fe ipfum & contra Deum, vitam, infigne Dei munus, tam vili æftimando. Si res bello digna agitur, uti multorum innocentium falus, pro ea effe omni opum vi nitendum. Condicto autem certamine uti, velut teftimonio bonæ caufæ, aut judicii divini inftrumento, vanum effe, & a vera pietate alienum.

§. 500.

Quando condici certamen paucorum poffit?

Si qua civitas a bello, quod molitur, aliter avocari nequit, quam condicto paucorum numero parium certamine, tum illa civitas eo recte utitur, quæ meliori fpe belli exitiique evitandi caret. Hoc enim cafu civitas debilior ferio a bello abhorret, uti officium jubet (§. 483.), altera autem potentior bellum jam molitur, neque ab eo inferendo avocari poteft, nifi pugna paucorum, quibus fe victuram opinatur, condicta. Præterea civitati debiliori in præfenti rerum facie non bellum tantum fed pæne exitium eft verendum in bello, nec fpes melior evitandi belli exitiique apparet. Quare cum præferri mereatur, quod melius eft (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*), & infuper hæc unica fit via a bello defiftendi, quam altera civitas initura; eft illa neceffaria & fimul bello inevitabili anteferenda, dum probabilis fpes victoriæ & fidei datæ fervandæ apparet. Sed quando actus quidam unicum continet modum, fatisfaciendi officio præcepto, tum

tum jure necessitatis is fit licitus, qui alias licitus non est (§. 564. *P. VI. Jur.nat.*). Quapropter condicto paucorum certamine civitas ea recte utitur, quæ meliori spe belli exitiique evitandi caret, a quo altera civitas bellum moliens aliter avocari se non patitur.

Inevitabilis necessitas, ex collisione officiorum orta, exceptionem parit a regula casuum ab ejusmodi necessitate liberorum, & eatenus exlex esse dicitur. Habent enim leges naturales tacitam hanc exceptionem, nisi inevitabilis officii necessitas obstet (§. 567. *P. VI. Jur. nat.*). Sic in nostro casu extrema adest necessitas condicendi paucorum pugnam, quando nec aliud nec melius suppetit remedium evitandi bellum non necessarium. Jus enim in cives æstimandum est ex eo, quod necessarium est, ut periculum belli imminentis & excidii avertatur ab iisdem (§. 791. *Jur. Gent.*). Inde *Grotius citato cap.* 43. addit: una res est, quæ tale certamen justum ac pium potest reddere ex una duntaxat parte, si alioqui omnino exspectandum, ut qui injustam causam fovet, victor sit futurus cum magna innocentium strage. Nihil enim imputandum est ei, qui mavult ea ratione certare, quæ spem ipsi maxime probabilem ostentat. Quibus *Barbeyracius* subjungit: *Cette exception fait voir, que la chose en elle même n'est point mauvaise, & que tout le mal consiste en ce qu'on expose sans necessité sa vie, ou celle des autres au hazard d'un combat singulier - - - - Le desir de fuir la guerre, qui a toujours de si facheuses suites, même pour le parti victorieux, est si louable, qu'il peut même excuser si non justifier entierement ceux, qui s'engageroient, ou qui engageroient imprudemment les autres dans un combat de cette nature. Il me semble du moins, qu'ence cas là ceux, qui combattent non de leur par mouvement, mais par ordre de l'etat, sont tout à fait innocens, car ils ne sont plus obligez d'examiner, si l'etat agit prudemment ou non, quand on les envoye à un assant ou à une bataille rangée.* Si quædam harum rationum non satis firmæ sunt, illæ sub firmioribus latitabunt valituræ quantum possunt. Pa-

ret vero ſimul, rarius hujusmodi caſum dari, in primis ſi civitates debiliores fœderibus ſibi ſatis proſpexerunt.

§. 501.

Quando diſſimulatio aut proteſtatio conſulta ſit?

Quando facile prævideri poteſt, mitioribus his modis nihil effectum iri, bellum vero nunc minime conſultum videtur; tum aut diſſimulando prudenter aut proteſtando reſervari uſus juris poterit in aliud tempus. Quando enim ex rationibus manifeſtis prævideri poteſt, mitioribus illis modis nihil obtentum iri, fruſtra non tantum illi adhiberentur, ſed & noceretur facile civitati debiliori, quæ debilitatis ſuæ cauſa in præſenti rerum facie non poteſt ab alea belli abhorrere. Quapropter quid præſtet, deliberandum erit, ſitne in præſens plane diſſimulanda querimonia, quando mota aut ipſi bello, aut aliis nocumentis anſam datura intelligitur; an proteſtando jus reſervandum ſit, ſi nihil periculi inde metuendum. Quoniam Jus naturæ nos ad prudentiam obligat, & circumſpectos nos eſſe jubet (§. 256. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*), nec temere quidquam faciendum eſt (§. 278. *P. III. Jur. nat.*) præſertim ſi damnum inde ſit metuendum (§. 493. *P. II. Jur. nat.*): manifeſtum eſt, civitatibus quoque in noſtris caſibus prudenter eſſe decernendum, utrum diſſimulanda ſit querimonia, an proteſtando jus reſervandum ſit in aliud opportunius tempus, prout vel ſpes commodorum, vel periculum damnorum illud requiret.

Agimus nempe de quæſtione, quando non omnino miſſa facienda eſt cauſa controverſa, ſed intereſt civitatis, eam attendi; bellum tamen vel prorſus non, vel nunc non meretur (§. 497.), & mitioribus modis eam componendi locus non eſt. Ubi haud difficulter patet, quod privatis in ſtatu naturali, idem civitatibus licere (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed privatis ea diſſimulare licet, ad quæ alteri patefacienda non obligantur (§. 351. *P. III. Jur. nat.*). Inde etiam civitatibus diſſimulare licet non tantum, quam nunc percipiunt moleſtiam, vocum etiam actio-

actiones in posterum reservandas, quasque forte jam suscepit (§. 745. *P. II. Phil. pract. univ.*). Cavendum tantum, ne ejusmodi agat, unde, si non expressa, saltem tacita juris remissio colligi posset. Præterea privatis vel in statu civili licet conqueri de iis, quæ contra ipsorum jura facta sunt & fiunt, atque protestando sibi reservare quævis remedia suo tempore adhibenda, teste usu omnium civitatum. Ea propter & civitatibus licet prudenter trutinare, præstetne salutis publicæ causa tacere, quam conqueri, de illis, quæ alia civitas adversus ipsam admisit aut molitur; & priori casu illa successorum causa exacte consignare & in tabulario reponere, additis rationibus, cur nunc ista movere, consultum non fuerit; posteriori autem & alios non celare suas conquerendi causas, inprimis si olim eorum ope sit utendum. Cæterum prudentiæ erit dispicere, cui & quomodo manifestatio suæ querimoniæ patefacienda, quum vel oretenus, vel scripto fieri, vel typis plane divulgari illa possit (§. 568. *Jur. Gent. not.*).

§. 502.

Civitatum jus offensas minores puniendi æqua ratione.

Etiamsi talio inter civitates illicita sit, præsertim, si de turpi facto agatur (§. 579. *Jur. Gent.*); gaudet tamen civitas læsa jure æqua pœna afficiendi eam, quæ de injuria irreparabili illata satisfacere detrectat (§ 580. *ibid.*). Propterea adimi illi possunt res tam corporales, quam incorporales (§. 581. *ibid.*) & citra bellum pœna sumi potest, prout res tulerit, aut retorsione juris (§. 582. *seqq. ibid.*); aut si res civium detineantur, vel debita denegentur, auferendo res tantumdem valentes, pignoris aut explendi juris causa, repressaliarum ritu (§. 589. *ibid.*); aut capiendo homines, vel retinendo obsides jure androlepsiæ (§ 592. *seqq. ibid.*), donec læsio satisfiat & damna resarciantur (§ 598. *ibid.*). Quare *naturali hoc mutuo pœnarum jure in levioribus causis cavetur, ne qua civitas alteram vel in minoris momenti rebus temere lacessat, vel invalescentes injuriæ ipsa impunitate justam belli causam dent.* Hæ enim retorsiones juris, repres-

ſaliæ, & androlepſiæ tam ſunt licitæ, ut juſtam belli cauſam civitati adverſæ non præbeant (§. 604. *ibid*).

Plura de hoc civitatum jure ſecuritatis & offenſas minores æqua ratione puniendi reprimendique, hauriri poſſunt ex iis, quæ cum excitatis Juris Gentium paragraphis, connexa reperiuntur. Facile perſpicitur, hoc jus civitatum puniendi convenire cum jure privatorum in ſtatu naturali puniendi eum, qui ipſos læſit, & adigendi eum, ne in poſterum denuo lædat, ac præcavendi, ne exemplum ejus ſequuti alii ipſos aliosve lædere audeant (§. 1058 1061. *P. I. Jur. nat.*). E quibus fontibus plura derivari poſſunt officia, ne quis admittatur exceſſus; item ne quid prudentiæ adverſum fiat in ſingularibus, quæ occurrere ſoleat, conditionibus.

§. 503.

Cur ne juſtum quidem bellum temere ſuſcipiendum.

Poſita quamvis juſta belli cauſa, inquirendum tamen eſt, conſultiusne ſit, jure belli uti, quam non uti; aut diſpiciendum, ne bellum ſuſcipiatur, cujus poſtea pœniteat, eventu votis non reſpondente. Data enim juſta belli cauſa, datur jus belli ſuſcipiendi, quod nec injuſtum nec illicitum vocari poſſit (§. 621. *Jur. Gent.*). Alia vero eſt quæſtio, an jure illo ſit utendum, nec ne? Hujus deciſio petenda eſt e rationibus ſuadentibus, quibus evincitur, e re civitatis eſſe, ut bellum ſuſcipiatur (§. *eod.*). Quanquam igitur ex ſolis rationibus ſuaſoriis bellum ſuſcipiendum non eſt, ſed injuſtum eſt, ſi id fiat (§. 622. *ibid.*); deficientibus tamen rationibus longe majorem ſpem ſucceſſus optati, quam adverſi, ſpondentibus, ne ob juſtas quidem ſatque graves belli cauſas bellum erit decernendum. Imprudenter enim id fieret, & poſtea eventu votis non reſpondente, valde pœniteret belli ita ſuſcepti. Quare antequam bellum vel ob juſtas & ſat graves cauſas ineundum decernatur, matura opus eſt conſultatione, ſitne jure belli oblato utendum, nec ne?

Multum

Multum itaque circumſpiciendum eſt, ne bellum ſuſcipiatur cujus eventus triſtior pœnitentiam pareret nimis ſeram.

Non ſine quadam ſpecie dicatur, hanc circumſpectionem excedere vires humanæ mentis. Nunquam enim hominem futuros eventus contingentes præſcire poſſe, ſed exitum belli ineuntis ſemper manere incertum (§. 482.). Sed aliud eſt belli exitum præſcire, vel certo & falli neſcio modo prævidere; aliud ſolum probabili ratione, quantum fieri poteſt, omnia conſiderare. Hæc ſi fiant, probabilis quidem & tamen quadamtenus incerta manet cognitio futuri eventus; at non adeo incerta, ac ſi nulla ſcrutinii rationum ſuaſoriarum ratio habita fuiſſet, neque ideo excuſatione carens, ſi quid ejus modi eveniat quod prævideri non potuit. Agnoſcenda eſt enim & reverenda civitatibus divina rerum humanarum gubernatio, negligentes pietatem puniens, ut palpare juſtitiam numinis ſuo ſenſu diſcant.

§. 504.

Quando vel juſtum bellum differendum?

Si non favere deprehendantur, quæcunque ad optatum belli exitum quidquam conferre poſſunt, ſi nec impedimentorumque facile oboriturorum remotio in poteſtate civitatis ſit; vel juſtum bellum non erit ordiendum, ſed differendum in tempus opportunius. Diſpiciendum enim eſt civitati, ne vel juſtum bellum ita ſuſcipiat, ut ejus poſtea ſit pœnitendum (§. 503.). Hoc autem fieri nequit, niſi fortuita & adjumenta & impedimenta optati eventus prudenter in uſus vertantur & declinentur (§ 465. *P. I. Ethic.*), ideoque ſolicite omnes attendantur jam actu circumſtantes aut facile obviam futuræ res, quibus exitus vel adjuvari, vel impediri poſſit (§. 466. *ibid.*). Quamobrem data quamvis juſta & ſat gravi belli cauſa, antequam decerni poſſit, ſitne bellum ineundum, nec ne, probe expendenda ſunt omnia, quæ ad optatum belli exitum quidquam conferre poſſunt, adjumenta, ſintne illa potius in noſtræ, quam adverſæ civitatis poteſtate? Quod patebit, ſi perſpecta habeatur & explorata adverſæ potentia

tentia civitatis, ut comparatio institui possit, cujus potentia & quanto ea sit major vel minor censenda. Proinde accurate exploranda est adversæ civitatis opulentia, quantus sit, & fieri pro lubitu possit, ejus nervus rerum gerendarum, & quamdiu is circiter durare possit? Quali & quanta gaudeat militum copia, quæ istorum exercitatio, experientia, peritia in rebus bellicis, quæ fortitudo, obedientia, fides, patientia & diligentia indefessa? Quæ præfectorum & ducum scientia, virtus, prudentia militaris, quæ concordia, quæ militum in ipsis fiducia, quis amor, quæ pugnandi ratio, quæ disciplina? Quis apparatus quantusque armorum omnis generis, equorum, tormentorum, cæterorumque belli instrumentorum, & cujusmodi eorum usus? Quæ fœderum, auxiliorum, subsidiorumque ratio, spes certa, magnitudo? Quæ navium bellicarum vis, multitudo, gloria rerum gestarum, præsertim ab iisdem aut non melioribus militibus ducibusque? Quæ, & id genus alia, quæ fortuito sæpe nascuntur, tum adjumenta tum impedimenta alterutrius, si civitati sunt ignota, si suarum virium seu copiam seu inopiam non habet compertam, nec plus justo sibi tribuit: qui fieri potest, ut recte comparet suas alteriusque civitatis opes, ut probabile ferre possit judicium de illis, quæ in bello vel jure speranda habeat, vel metuenda? Si ergo omnibus & adjumentis & impedimentis felicis in bello successus recte expensis multo plus periculi quam spei sibi imminere intelligat: vel a bello justissimo sibi tamen abstinendum & exspectandum esse sentiet, donec opportuniori tempore, mutata rerum facie, major commodorum spes, quam periculorum metus ostendatur.

Approbatur hæc Monarcharum prudens deliberatio Luc. XIV. 31. *seq.* Ecquis rex castra movebit adversus alium regem, nec prius consultat, num myrias militum suorum par sit futura duabus

duabus hostis myriadibus? Quod si male cessurum opinatur, dum procul abest, obviam illi mittit caduceatores, pacem rogaturos. Forsitan huc referatur Jois Hasaëli obviam mittenti vim pecuniæ, ne Hierosolymam obsideret 2 Reg. XII. 17. *seq.* & Hiskias Senacheribum placans promisso tributo 2 Reg. XVIII. 13. *seqq.*

§. 505.

Si qua civitas potentia & fœderibus freta belli jure abutatur ad quietem publicam temerariis injustisque bellis turbandam, reliquis civitatibus jus est, ita se consociandi, ut illi compescendæ abunde pares sint. Si qua civitas manifesta agitat consilia de aliis sibi subjiciendis, hæ confœderationibus initis securitati communi debent consulere, & injuria illata ipsis jus dat, vi armata potentiam, qua abutitur, labefactandi (§. 650. *Jur. Gent.*). Quid? quod quælibet civitas commune civitatis maximæ bonum ut suum spectare (§. 12. *ibid*) & securitati communi consulere quovis licito modo obligatur, etiamsi nullum adsit fœdus (§. 70 *seqq. ibid.*), ideoque jure gaudent conservandi æquilibrii causa potentiam ferocem vi armata labefactandi, ut de injuria non amplius inferenda securæ fiant (§. 651. *seq. ibid.*). Quod jus exerceri ab illis associandis maxime debet, quarum potissimum interest, ne pax turbetur. Quo tamen certior sit spes securitatis, & ut citra bellum a tentanda injuria avocetur, præstat temerariis injustisque bellis occurrere formidanda hujusmodi consociatione, ut libidini pacem publicam turbandi, debilioresque civitates lacessendi abunde pares sint (§. 967. *seq. ibid.*).

Modus abusum potentiæ civitatis prævertendi.

In maxima civitate ferocior hujusmodi civitas spectari aliter nequit, quam in alia civitate civis factiosus & ad rebellionem movendam proclivis. Cujus consilia & conatus si quadamtenus innotuerint, merito ad eum a turbatione pacis publicæ

abſterrendum, quæcunque e licitis remediis plurimum profutura eſſe cenſentur, adhibentur. Sed in civitate maxima inſtar civis factioſi eſt hujusmodi civitas, quæ potentiæ ſuæ abuſu alias debiliores civitates ſi non prorſus invitas ſubjicere ſibi poſſit, tamen injuſtis bellis laceſſere, & augendæ potentiæ ſuæ cauſa debilitare ſtudet. Quare præveniendi præcavendique periculi cauſa tanta conſociatione opus eſt, ut potentiæ nocendi limites ſentiat eſſe poſitos & aggeres velut objectos, quibus perrumpendis impar ſit futura. Ita ſcilicet occurritur, ſi fieri poteſt, libidini, bello injuſto alias civitates laceſſendi, oſtentato tantum periculo, quod ſubeundum ſit, niſi pax ſervetur.

§. 506.

Jus licentiam effrænam compeſcendi bello.

Licentia civitatis ambitioſæ aut avaræ nihilominus quieſcentis jus eſt civitatibus reliquis, quarum intereſt, bello ſibi non noceri, armata manu illam puniendi, potentiamque illius ita diminuendi, ut futuræ ſecuritati cautum ſit. Civitates enim inter ſe ſunt, ut ſinguli homines in ſtatu naturali degentes (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed ſinguli homines gaudent in ſtatu naturali jure perfecto, non patiendi ut alius eos lædat, & ſi lædere conatur, eum adigendi, ne id faciat (§. 913. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Hinc ſi injuriam intentatam modis lenioribus avertere nequeunt, in aggreſſorem tantum duriorum defenſori licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980. *ſeqq. ibid.*). Et ſi ipſe impar ſit ſuæ defenſioni adverſus potentiorem, quilibet alius obligatur ad ipſum defendendum, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 988. *ſeqq. ibid.*), nec defendendo ipſum aggreſſori ejusve aſſeclis injuriam facit (§. 991. *ibid.*). Si quis vero jam læſit, gaudet læſus jure eum adigendi ne in poſterum vel ipſe denuo eundem aut alios lædat, vel alii ejus exemplum ſequuturi itidem lædere audeant (§ 1058. *ibid.*), ideoque gaudet jure puniendi eum, qui læſit (§. 1061.

(§. 1061. *ibid.*). Quapropter si licentia civitatis ambitiosæ aut avaræ ne consociatione quidem inita moveri se patiatur, ut injuste alias civitates lacessere cesset, sed nihilominus quietem publicam turbet, tum utique reliquis civitatibus, quarum interest, bello sibi non noceri, sive fœderatæ sint, sive minus, jus est apertum, licentiam ejusmodi civitatis alias lædentis, vel læsuræ ulterius quam optime cohibendi. Quare nihil proficientibus modis lenioribus, gaudent jure eas cogendi, quæ obligationi suæ satisfacere nolunt (§. 13. *Jur. Gent.*), eam, quæ læsit, puniendi pro meritis (§. 272. *ibid.*) inprimis si injuria sit irreparabilis (§. 580. *ibid.*). Si vero futuræ securitati melius prospici nequeat, quam si potentia nocendi ita labefactetur, ut securitati futuræ abunde cautum sit: patescit, ita diminuendam esse ejusmodi civitatis potentiam, ne illius abusus in posterum facile sit metuendus (§. 650. *seq. Jur. Gent.*).

Quando in civitate maxima singulæ universis obligari dicuntur, quod commune bonum promovere velint, uti universæ vicissim singularum saluti prospicere obligantur (§. 12. *Jur. Gent.*), & universis jus est cogendi singulas officio contraria molientes agentesque, ut eidem satisfaciant (§. 13. *ibid.*): id non ita capiendum est, acsi omnino universarum expressus consensus concursusque, qui fieri nequit, requireretur ad factiosam civitatem compescendam. Sufficit earum adesse consensum, quarum maxime interest, quietem publicam ejusque fructus non turbari diminuique (§. 652. *ibid.*). Sive igitur imperium quoddam universarum civitatum in singulas statuatur (§. 15. *ibid.*) sive minus, salvum tamen per allatas rationes est jus cæterarum civitatum a factiosa civitate læsarum, eidem resistendi, eam puniendi ob data damna, & futuræ securitati suæ, quam optime consulendi. Quarum autem civitatum maxime intersit, ne invalescat abusus potentiæ in pace civitatum turbanda, id facile patet ex damnis, quæ inde vel jam sentiunt, vel imminent, nisi

omni ſolicitudine ea avertant. Tales ergo ſunt civitates jam læſæ licentia potentioris civitatis; item fœdere quocunque læſæ civitati ſociatæ; nec non tales, quibus poſtea imminet metus ſimilium graviorum injuriarum, niſi mature læſioni obex ponatur; præterea omnes, quarum commercia bello turbantur vel difficiliora fiunt, quæ merces propterea carius emere coguntur, atque ſic haud levem pecuniæ jacturam incurrunt, quod eodem redit, acſi ad belli ſumtus pro parte ferendos vel ad damna ſubeunda compellerentur. Harum igitur eſt, non tantum læſæ civitatis ſed & ſui ipſius cauſa, licentiæ & abuſui potentiæ, partes læſæ civitatis ſuſcipiendo obviam ire. Quæ reſtant *de bello, pace, legationibus, fœderibusque*, ea reſervanda videntur ſuis locis, ubi tradi ſolent: quia non minus internæ, quam communi externæ ſaluti reſpondent. Poterunt adducta in medium ad perſpicienda iſocratiæ mutua erga Deum & ſe invicem, majori ex parte illum tollere vel ſupplere defectum, quo politica uſitata laboravit, aliisque anſam ſuppeditare ulterius deducendi, quæ profutura intelligentur. Quo ipſo non inutilem eſſe ſtatus naturalis moralisque æqualitatis & libertatis conſiderationem, una cum legibus in illo obſervandis, oppido liquet. De *erigendo maximæ civitatis* veluti *tribunali*, in quo cauſæ ejus aut partium nonnullarum controverſæ, velut in foro civili, diſceptarentur, quod ſimilitudo cum ſummo tribunali civili ſuggeſſiſſe nonnullis videtur, ſilendum ideo duximus, quod illi nec locus unquam ſit futurus, nec uſus tanti, quanti creditur, momenti. Præſtat iis inhærere inſtitutis, quæ longo uſu ſunt comprobata. Cætera, quæ diſceptari ab hominibus nequeunt, Dei, iuſtiſſimi maximæ civitatis moderatoris (§. 324. iudicio ſunt relinquenda.

POLI-

POLITICAE P. I.
CAPVT VII.
DE DEMOCRATIAE CONSTITVTIONE.

§. 507.

Isocratiæ tanquam Theocratiæ naturali, inter eas civitates, quibus homines præsunt, maxime affinis est democratia. Isocratia enim appellatur maxima hominum societas (§. 290.) vel omnium civitatum societas naturalis (§. 101.), in qua maxime viget studium æqualitatis naturalis (§. 289.). Enimvero maximæ civitatis verus rector non est nisi Deus (§. 324.) etsi fictum rectorem ejus concipere licet, qui recto rationis usu secundum leges naturales & pacta definit, quænam in illa justa sint vel injusta, quæ conveniant deceantque illam, quæ minus (§. 21. *Jur. Gent.*). Tales vero esse deberent omnes omnium civitatum rectores junctim sumti, saltem dici potest, humanum imperium in maxima civitate non esse posse nisi penes omnes omnium civitatum rectores simul acceptos aggregatosque (§. 19. *ibid.*). Quum vero nunquam ejusmodi fuerit congregatio omnium rectorum cunctarum, quæ una in terrarum orbe existunt, civitatum humanarum, nec usquam nunc existat, nec exstitura sit posthac: nullum datur verum imperium humanum in maxima civitate, nulla dantur comitia catholica, suffragia & decreta nulla universarum consensu formata, dum singuli rectores non nisi suis civitatibus præsunt, & cum paucis aliis pacta quædam ineunt. Imperium igitur humanum maximæ civitati non est nisi fictum, & proprie non est nisi divinum, ut Theocratia naturalis totius generis humani ap-

Isocratiæ affinis est democratia.

pellanda ſit (§. 323.). Quia vero democratiis omnino homines præſunt, in eis quoque libertati & æqualitati naturali litatur, quantum fieri poteſt (§. 287. *ſeq.*), & in illis imperium ſummum eſt penes populum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*): planiſſimum eſt eo, quod in reliquis civitatum formis imperium non eſt totius populi, ſed aliorum imperio, aliorum obſequio inæqualitas eſt conſtituta, ſolam democratiam affinem eſſe præ cæteris iſocratiæ.

Fortaſſis dicat quiſpiam, quia rectores civitatum plerarumque non ſunt populus univerſus, ſed hoc in ſolis democratiis obtinet, in cæteris vero formis aut ipſi jam optimates cum ſummo imperio ſunt, aut monarchæ, qui tamen in maxima civitate ſpectari non poſſint, niſi ut illius optimates: non tam democratiæ, quam potius ariſtocratiæ affinem ſimilioremque eſſe maximam civitatem. Sed conſtat, integras civitates in maxima civitate non aliter eſſe ſpectandas, quam perſonas ſingulares, quarum reliqui cives ſint corpus, rectores vero capita (§. 54. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ civitates cum degant in ſtatu naturali, ſintque inter ſe æquales & liberæ (§. 55. *ibid.*): omnino maxima civitas maxime accedere intelligitur ad naturam democratiæ, in qua etiam ſingulæ perſonæ ſunt æquales & imperii in ſingulos conſortes. Manet tamen hæc inter iſocratiam & Democratiam differentia, quod huic omnino homines præſunt, univerſus nempe populus, in comitiis ſuffragia ferens, leges ſciſcens, controverſias decidens, deque ſummis rebus ſtatuens, illi vero non niſi unus præeſt Deus legislator & rector, cætera ut inter æquales, quorum nemo ſubſit, nemo præſit alteri, pactis abſolvuntur. Si regeris, univerſis tamen in ſingulas eſſe imperium (§. 15. *Jur. Gent.*), ut in democratia: reſponderi poteſt, proprie illud non eſſe imperium: quia natura omnes civitates liberæ ſunt, æque ac omnes homines in ſtatu naturali degentes (§. 146. *P. I. Jur. nat.*). Vti igitur nemo imperium ſibi arrogandi jus habet in alium invitum (§. 195. *P. VII. Jur. nat.*): ſic nec una civitas, nec plures vel omnes in aliam civita-

tem

tem invitam imperium sibi arrogare possunt. Sed quod imperium esse videtur, id proprie non est, nisi jus aliam puniendi propter læsionem illatam, & adigendi invitam ad satisfaciendum perfectæ obligationi. Cujusmodi jura in statu naturali, imperii experte, æqualibus in alios æquales concessa sunt (§. 506.): urgere posses societatem ipsa natura constitutam inter civitates (§. 7. & 9. *Jur. Gent.*) eamque esse popularem (§. 19. *ibid.*) ita quidem, ut pro voluntate omnium habendum sit, quod majori earum parti, seu moratioribus placuit (§. 20. *ibid.*) Cum igitur omne imperium nascatur ex societate (§. 213. *P. VII. Jur. nat.*), universis in civitate maxima esse imperium in singulos (§. 31. *P. VIII. Jur. nat.*), quoniam jus, quod universis est in singulos socios, non est nisi imperium (§. 212. *P. VII. Jur. nat.*). Sed quia societas maxima ipsa natura dicitur constituta, & natura nemini imperium est datum in alios (§. 195. *P. VII. Jur. nat.*); omnes in societate maxima manent pares, & naturaliter in hujusmodi societate unanimia solum suffragia pro omnium voluntate habentur (§. 75. *P. VII. Jur. nat.*). Si vero major suffragiorum pars, aut certus eorum numerus in quibusdam negotiis vincere, vel pro omnium voluntate haberi debeat, id non nisi pacto est recipiendum. Cujusmodi pactum in civitate maxima non dari, facile omnes largientur. Vrgenti in civitate tacite conveniri, id pro totius populi voluntate esse habendum, quod parti majori visum fuerit (§. 157. *P. VIII. Jur. nat.*) respondetur id tantum valere si unanimia haberi nequeant, & quando id placuit ubi res manere nequit in statu priori (§. 78. & 80. *P. VII. Jur. nat.*). Quæ vero civitates moratiores dici debeant, id æque ac in alia societate quæ suffragia meliora dicenda sint, inter æquales pariter non nisi consensu libero definietur, dissensu nequaquam (§. 76. *sq. ibid.*). Ratum igitur manet, proprie dictum imperium humanum in civitate maxima non dari, sed potius divinum. Non quidem absolute repugnat in isocratia dari posse humanum imperium; sed propter civitatum diversissimarum diffusissimarumque indolem non est sperandum.

§. 508.

§. 508.

Democratiæ scopus est omnium æqualitas.

Redit præcipua cura in democratia ad servandam naturalem hominum æqualitatem, quoad ejus fieri potest. Etenim inter civitates humano imperio subjectas isocratiæ simillima est democratia (§.507.). Atqui isocratiæ nomen quoque ab eo, quod in ipsa ubique regnat, æqualitatis naturalis studio petitum est (§.289.), quod tantum est, ut omnes sint liberæ ratione aliarum civitatum, nec imperio humano obnoxiæ (§. 507. *not.*). Quare quum in democratia populus suæ libertatis sit admodum studiosus (§. 288.): omnino præcipua cura democratiæ redire intelligitur ad servandam quoad ejus fieri potest naturalem populi æqualitatem jurium de rebus ad se pertinentibus ideo & de bono publico statuendi (§. 132. *P. VIII. Jur. nat.*).

Supra notavimus, accipi, hic *democratiam* bono sensu pro legitima forma civitatis cum Platone, Polybio, Diodoro Siculo, Plutarcho, aliisque. *Polybio Hist. L. VI. c. 2.* diserte vocatur status reip. rectus, in quo omnes cives æqualiter ex præscripto legum in medium consulendi potestatem habent & *c.* 7. addit: hi in præsenti (recto) statu adquiescentes, antiquius æqualitate & libertate civium nihil habent. Nominatur ab ipso æqualitas ισηγορια, & libertas παῤῥησια. *Dione Cassio* vero *Hist. L.* 44. *c.* 1. autore, democratiæ speciosum quidem nomen rerum omnium æqualem distributionem (ισομοιριαν) ex æqualitate legum (εκ της ισονομιας) confert, sive honestum esse nomen popularem statum, & videri æqualitate juris non plus uni tribuere, quam alteri. Addit vero, ipsa re comprobari, nihil ei cum hoc nomine convenire; quæ de abusu & corruptione illius capienda esse, patet ex §. 300. & 305. Ipse quoque *Dio Lib.*52. orationem *Agrippæ* ad *Augustum* refert, in qua hæc leguntur: Dicam libere quod sentio, nam neque aliter loqui possum, & mendacia adulationibus conjuncta te nequaquam libenter auditurum novi. Æqualitatis igitur nomen est honestum, & res justissima. Qui enim eandem naturam acceperunt, ex eadem gente

gente nati sunt, iisdem moribus educati, iisdem legibus instituti, eundem corporum animorumque usum patriæ exhibent, quomodo non justum sit, eos cæterorum quoque omnium communitatem habere? Quei non optimum sit, neminem alteri, nisi virtutis causa, præferri? Qui enim eadem conditione sunt nati, æqualitatem appetunt, eaque potiti gaudent, destituti dolent, hominesque, cum & ex diis sint orti & ad eos redituri, sursum respiciunt ac neque volunt sub unius semper esse imperio, neque ferunt, se laborum, periculorum impendiorumque participes rerum meliorum communicatione privari, ideoque si cogantur omnino aliquid hujusmodi tolerare, eum, a quo sibi vis facta est, odio habent. Omnes enim habere in alios imperium cupiunt, ac propterea ipsi quoque aliqua ex parte parere aliis dignantur; nolunt alios se potiores esse, ideoque etiam ipsi se aliis vi non præferunt. Gaudent honoribus ab æqualis dignitatis hominibus sibi exhibitis, laudant supplicia ex præscripto legum irrogata &c.

§. 509.

Æqualitas democratiæ non referenda est nisi ad salutem omnium. Democratia nempe est civitas, in qua summum imperium est penes populum universum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed omnis civitatis finis esse debet salus publica (§. 36). Quapropter quum præcipua democratiæ cura versetur in tuenda populi æqualitate naturali, quanta haberi potest (§. 508.): æqualitas illa non est separanda a salute publica, sed potius ad eandem tanquam ad metam suam attemperanda indivulsoque nexu cum eadem conjungenda. Si aliorsum referatur, aberrabit a sua norma, nec nomen merebitur rectæ reip. formæ.

Æqualitas refertur ad salutem omnium.

Idcirco *Aristoteles* eam definit per remp. in qua populus (πληθος) summa utitur potestate (πολιτευεται) ad communem utilitatem (προς το κοινον συμφερον) h. e. ad salutem publicam. Multitudo (πληθος) ipsi non est nisi populus universus. Ipse enim *L. I. de Polit. c. 25.* ait: omnes pro multis & multi pro omnibus

dicuntur, quia omne eſt multum quiddam (το γὰρ πᾶν πολύ τι). Populus autem non plebem tantum notat, ſed & omnes cives non plebejos, uti nobiles, patritios, ſenatores &c. Quapropter populus perhibetur eſſe compoſitus ex multis, qui ſummam poteſtatem habent, non ut ſinguli, ſed ut omnes. *Ariſt. L. IV. Polit. c. 4.*

§. 510.

Quis in democratia præſit & ſubſit?

Propter æqualitatis ſtudium in democratia idem populus imperio & præeſt & ſubeſt; nimirum ſi univerſus ſpectetur, præeſt; ſi ſinguli ſpectentur, ſubſunt univerſis. Etenim in democratia populus univerſus imperat atque ſuperior eſt, ſinguli autem ſubditi ſunt vel omnibus ſubjecti ad facienda rei publicæ ergo imperata (§. 142. *P. VIII. Jur. nat.*). Quoniam vero æqualitatis ſtudium democratiæ eſt peculiare (§. 508.) referendum tamen non niſi ad ſalutem publicam (§. 509): uti in ſtatu naturali una omnium in democratia debet eſſe ratio, idem omnium jus, eadem obligatio cunctorum (§. 31 & 80. *P. I. Jur. nat.*). Jam in ſtatu naturali unusquisque in virili ætate mentis recte compos gaudet jure ſe ipſum regendi, determinandique ſuas actiones tum erga ſe tum erga alios homines ſuopte judicio ſecundum leges naturales (§. 144. *ſeq.* & 157. *ibid.*). Quare populus in democratia gaudet jure ſe regendi per ſe ipſum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*), idque faciendi & omittendi, quod boni publici cauſa faciendum omittendumque videtur. Hinc quatenus ſe ipſum regit, ſuo præeſt imperio; quatenus facit quæ ſalus publica requirit, imperio ſubeſt & paret. Sed æqualitatis cauſa omnibus idem eſt jus ſtatuendi, quid fieri debeat, & in id ipſum conſentire debent; eadem quoque obligatio faciendi, quæ communi conſenſu ſunt facienda. Ergo ſi populus univerſus conjunctim ſpectetur, is imperio præeſt. Si ſinguli ſeorſum ſpectentur, illi imperio ſubſunt vel parere obligantur.

gantur. Ideoque idem populus individuus, ſimul & univerſe ſumtus imperat, diviſus autem & ſigillatim ſpectatus paret.

Habet hoc democratia proprium ſibi, quod in illa imperantes non ſint alii homines, quam parentes, uti in reliquis rerum publicarum formis. Optimates enim & monarchæ præſunt, & ſunt alii homines, quam ipſorum ſubditi; manent quoque illi ſemper imperantes, his ſemper parendi partes ſunt relictæ. Sed in democratia qui imperant aliis, iidem viciſſim omnibus ſubſunt etiam dum imperant, multo magis quando non amplius imperant, ſed obſequi illis obligantur, quibus antea præfuere. Id nempe æqualitas, democratiæ pupilla, requirit, ut omnibus idem ſit jus, idemque officium, idem commodum & incommodum, nec cuiquam plus liceat, quam alii cuicunque. Id quod *Agrippa* luculenter proponit in nota §. 508.

§. 511.

In democratia populus gaudet maxima libertate.

In democratia populi datur maxima libertas civilis. Libertas enim civilis conſpicua eſt in actionibus ad finem civitatis conſequendum facientibus, & in his infert facultatum a nullius hominis voluntate dependentem (§ 145. *P. VIII. Jur. nat.*), vel facultatem eligendi ex licitis quod præ cæteris placet. Sed in democratia imperium eſt penes populum (§. 131. *ibid.*), qui ideo pro lubitu eligit actiones ad bonum publicum facientes, quæ maxime placent, nec dependet ab ullius alterius imperio (§. 146. *ibid.*). Tanta ſic eſt in democratia libertas populi civilis, quanta eſſe ſalvo bono publico poteſt. Nil igitur obſtat, quo minus populi libertas civilis in democratia dicatur maxima.

Poſſet illud quoque ſic evinci. In democratia imperium eſt populi univerſi (§. 287) & maximum libertatis ſtudium (§ 288). Proinde etiam civilis libertatis ſtudium, ipſaque libertas civilis populi majori gradu gaudere nequit eo, qui in democratia haberi poteſt. Quantum ſcilicet libertatis ci-

vilis in monarchia esse potest ipsi monarchæ, & in aristocratia optimatibus; tantumdem libertatis in democratia est populo universo.

Non tantum libertas sentiendi, quæ res fert, & dicendi quæ animus sentit, hic intelligitur, quæ etiam in statu regio & optimatum dari potest; sed potissimum libertas de summis rebus & republica suffragium ferendi tantumdem valens, ac alterius ullius. Tale enim jus populus non habet, nec in aristocratia, nec in monarchia. Quare quia libertas civilis major esse nequit, quam si de summis rebus in civitate statuere id possit, quod consultius videtur: summam esse populi in democratia libertatem civilem patescit. Si quidem & maxima libertas est in democratia, ut putant quidam, & æqualitas maxima est populo secundum *Aristotelem L. IV. Polit. c. 4. & Lib. VI. c. 2.* ὑπόθεσις τῆς δημοκρατίας ἐλευθερία. In democratia igitur datur æquabilitas juris & libertatis, quam Otanes apud *Herodotum L. III. c. 80.* ἰσονομίην appellat, & commendat præ Monarchia & Aristocratia.

§. 512.

Quomodo libertas publica abeat in licentiam? *Si cum detrimento salutis publicæ populus non quærit nisi privata, libertas publica degenerat in licentiam & democratia in ochlocratiam.* Quando enim populus non quærit nisi privata, tum publica negliguntur, nec possunt non capere detrimenta (§. 509.), & aberrari a vero fine civitatis (§. 35. *seq.*). Privatæ igitur utilitatis studio saluti communi derogare nefas est (§. 252.). Quoniam libertas versatur in licitis, licentia vero in illicitis (§ 150. *P. I. Jur. nat.*): manifestum est, libertatem in abusu, vel ad illicita ruentem, degenerare in licentiam, ex illicitis sectandi, quidquid libet. Eapropter si libertas populi degenerat in licentiam agendi pro libidine illicita, tum democratia fit vitiosa & degenerat in ochlocratiam (§. 305.). Confectum ergo est, si cum detrimento salutis publicæ populus

lus privata sectetur, tum libertatem in licentiam, & populare imperium in turbæ potentatum degenerare.

Non præteriit hoc *Polybium L. VI. Hist. c. 2.* sciscentem: Populi imperium (δημοκρατίαν) non jure dixeris, ubi penes quamlibet turbam potestas est faciendi quidquid voluerit; sed ubi patrius mos viget legibus parendi &c. Ex populi insolentia & legum contemtu emergit tandem (ὀχλοκρατία) turbæ potentatus. Quam in primordio hujus libri aliquoties ὀχλοκρατίαν appellat aberrationem à forma populari, eam *cap. 7.* etiam χειροκρατίαν, hoc est, manuum violentiam, apposite dicit, quia legibus spretis vis prævalet.

§. 513.

Ineunda constituendaque democratia est pacto. Est enim democratia civitas, in qua imperium est penes populum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*). Idcirco eget imperio humano atque ἀνθρωποκρατίαις est accensenda (§. 262.). Sed hujusmodi civitas ineunda est pacto (§. 215. *seq.*); nec non alio pacto rite constituenda (§. 258. *seq.*). Quam ob causam democratia quoque publico pacto est ineunda. Præterea quia tum modus imperii popularis, tum usus libertatis varie potest determinari; uti ex natura utriusque facile perspicitur, & ex sequentibus uberius patebit: pacto etiam forma democratiæ definienda, & pro re nata quam optime constituenda est. *Constitutio democratiæ debetur pacto,*

Adest quidem naturalis obligatio ad societatem civilem instituendam (§. 178. *seqq.*); sed quia tres dantur rectæ civitates simplices reip. (§. 298.) & totidem corruptæ (§. 306.), præter mixtas (§. 310. *seqq.*): oppido patet propter obligationem optimam formam reip. pro re nata esse præferendam (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*): omnino opus est circumspecta deliberatione, quid sit præferendum, & eligendum id, quod mutuo consensu est approbatum. Hinc ut omnibus constet cujusmodi civitas & forma illius placuerit universis, & ex compacto colenda sit, & paciscendum est, & pactum debite firmandum pro-

mulgandumque. Quibus attente consideratis intelligitur, hac quoque ratione democratiam seu civitatem popularem differre ab isocratia vel civitate maxima, quæ vix ac ne vix quidem pacto sanciri potest (§. 184.) nec sancita fuisse perhibetur usquam, certe post ea quam genus humanum omnem implevit terrarum orbem.

§. 514.

Item quinam ad populum referendi sint?

Pacto sanciendum est, quinam populi nomine venire, ejusque jure frui debeant. Potest enim populus complecti omnes personas, quæ eidem imperio civili subsunt (§. 5. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed cum hoc sensu non solum patresfamilias, verum etiam feminæ, liberi tum emancipati tum minores & infantes, omnes servi, ancillæ & mercenarii, item peregrini, quoad bona in civitate sita ad populum referri possent: dilucidius conveniendum est, num omnium illorum consensu imperium sit exercendum, & quot capita, tot suffragia numeranda sint, nec ne? Si non omnes, eidem democratiæ subjecti, summi imperii participes esse debent; ulterius conveniendum est, quinam debeant esse exclusi ab imperandi jure, num soli peregrini, tantum propter fundos, quos in civitate possident, eidem obnoxii & sceleribus infames; an & feminæ omnes, aut illi quoque, qui res tantas non intelligunt, nec capere & consentire possunt? Quæ quoniam a voluntate populi dependent, omnino pacto statuendum est, utrum imperium populare tantum exerceri debeat per patresfamilias, an ad ejus exercitium quoque admittendæ sint feminæ, impuberes, aliique, qui rebus suis præesse nequeunt, & peregrini bona in civitate possidentes? (§. 168. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 515.

Quis populus dicatur

Populus ejusdem civitatis dudum dirimitur in clarum & obscurum sive plebejum. Clari scilicet dicuntur, quorum ampla & magna

magna est fama vel gloria; obscuri autem quorum fama est exigua & angusta. Quare & populus in democratia alios continet homines claros, alios obscuros, quorum illi etiam nobiles latiori sensu, hi ignobiles dicuntur. Quanquam ab hac denominatione ambiguitatis vitandæ causa malumus abstinere. Quando obscuri plebis nomine veniunt, aut plebeji dicuntur; hi qui non sunt plebeji dici poterunt eximii. *clarus vel obscurus.*

Commemorat hanc populi divisionem *Stagirita Polit. L. IV. c.* 4. ubi plebem vocat τον δημον, claros autem & eximios γνωριμȣς. Vulgo quidem Romani plebejos discernunt & patricios; sed minus accurate, quoniam clari plures habentur, quam patricii, uti jam ostendemus. Cæterum quæ hic de partibus ejusdem populi dicuntur, ea, propter multos in populo tales, etiam toti populo tribui solent (§. 65. *seq. Jur. Gent.*).

§. 516.

Claritas civium vel oritur ex internis vel externis bonis. Interna habentur in præstantia virtutum intellectus & voluntatis. Externa in bonis fortunæ v. g. in claritate generis & divitiarum. Etenim claritas debetur amplæ magnæque famæ & gloriæ (§. 515.). Sed fama est communis hominum aliorum sermo de virtutibus cujusdam (§. 553. *P. I. Jur. nat.*). Gloria autem est consentiens laus bonorum & peritorum, quæ solida esse nequit sine virtutibus mentis & voluntatis (§. 47. *Jur. Gent.*). Magna est fama & gloria, quæ ex virtutum præstantia egregia nascitur; ampla quæ longe lateque domi & foris divulgata est (§. 553. *P. I. Jur. nat.*). Hinc dilucescit, cur in se claritas nominis oriatur ex scientiarum conditionis & artium liberalium inventorum excellentia; item ex virtutum moralium insigni præstantia, & gloria rerum insigni virtute gestarum. Porro indidem perspicitur, cur claritas hominum externa nascatur a bonis fortunæ, uti a gloria majorum & antiquitate generis; ex insigni opulentia, seu virtute majorum parta, seu *Divisio clarorum vel eximiorum.*

dili-

diligentia favente fortuna adquiſita, ſeu fortuito oblata v. c. dono, legato, inventione theſauri &c. Sic alii robore ſtupendo, proceritate corporis, pulchritudine, amicitia, gratia, autoritate eminent inter omnes.

Huc *Ariſtotelem*, Græcorum aliorumque inſtituta contemplatum, in præcipuis civibus enumerandis reſpexiſſe intelligetur ex his verbis *Lib. IV. Polit. cap.* 4. των δε γνωριμων (ειδη) πλȣτος ευγενεια, αρετη, παιδεια, και τα τȣτοις (ὁμοια), λεγομενα κατα την αυτην διαφοραν. Clarorum, inquit, genera ſeu encomia ſunt divitiæ, generis ſplendor, virtus & doctrina, & quæ his ſunt ſimilia, eademque gaudent differentia, uti apud Æthiopes ſecundum magnitudinem vel formoſitatem. Romanorum patricii qui fuerint, diſcimus ex *Livio*, qui *L. I. c. 8.* Romulus, inquit, centum creat ſenatores, qui patres ab honore, patriciique progenies eorum appellati, quanquam *Decius L. X. c. 8.* ait, patricios non de cœlo eſſe miſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, id eſt, nihil ultra ingenuos. Poſtea Cæſar in numerum patriciorum adſcivit vetuſtiſſimum quemque ex ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant, Autore *Tacito Annal. XI. c. 25.* Qui etiam minorum gentium patricios commemorat *Annal. XI. c. 25.* Exire dicebatur e patriciis, qui ſe plebi jungebat, ut Tribunus plebis fieri poſſet, & idcirco adoptaretur. vid. *Cicero pro Domo c. 37.* Quare patricium & nobilem non eſſe unum idemque patet. Erant enim & plebeji nobiles, aut claro & inſigni genere nati, uti vel ex Taciti loco priori conſtat.

§. 517.

Plebis diviſio. *Plebs* igitur, tanquam vilior populi pars, *aut terreſtria tractat, aut maritima officia.* Priores in terra verſantur, poſteriores in mari. Qui in terra occupantur *vel rus colunt, vel oppida.* Ruri degunt agricolæ, rei pecuariæ & venationi dediti foſſoresque; oppida & urbes replent opifices, artifices, & tabernarii. Vtrobique his inſerviunt mercenarii. Aquæ opes ſuos labores curant nautæ & portitores, claſſiarii, piſcatores &

& mercatores nautici. Inferior enim populi claſſis rudior eſt, & ſequitur vitæ genus obſcurum (§. 515.), unde victum ſibi ſuisque quærit. Sed hujusmodi vitæ genera vel verſantur circa uſum rerum terreſtrium, vel circa uſum aquæ in hominum commoda vertendum. Vnde addicti illis vitæ generibus potiſſimum in terris degunt, ſuisque funguntur partibus. His autem dediti potiſſimum ſuper aqua & ex aqua victum ſuum merentur. Qui ipſa terra & inde natis utuntur, illi vel in ſuperficie illius pecudes terreſtres cicures & feras alunt, capiuntque; vel & inſecta quædam, uti omne genus paſtoritium, venatorum, aucupum, apiariorum &c.; vel fruges fructusque terræ ſectantur, in agricultura, horticultura, vineis; vel ipſa terræ viſcera hominibus proficua ſcrutantur, uti foſſores metallorum, mineralium, carbonum, lapidum, gemmarumque. Qui urbes & oppida incolunt plebeji, illi vel præparant & aptant res naturales ad varios hominum uſus, cujusmodi ſunt omnes opifices & artifices, illiberalibus operantes artibus, e. c. fuſores typorum, fabri monetarii, horologiopoei & ſimiles hiſce. Vel emendis vendendisque rebus naturalibus & arte factis operam navantes & quæſtum inde nonnullum facientes, negotiatores, tabernarii, caupones, lixæ, popinones &c. Quatenus vero agricolis, opificibus aliisque, ſervi & ancillæ non ſufficiunt, ad munia ſua explenda, eatenus indigent militibus gregariis, inſtitoribus, mercenariis adjutoribusque conducendis. Aqua dulci & marina utuntur tum commercium nauticum exercentes, tum ipſi nautæ & navicularii varii generis, tum piſcatores omnis generis & claſſiarii.

Polit. L. IV. c. 4. Ariſtoteles ait *δημȣ μεν ειδη, ἑν μεν οἱ γεωργοι, ἑτερον δε το περι τας τεχνας: αλλο το αγοραιον, αλλο δε το περι θαλατταν, και τȣτȣ το μεν πολεμικον, το δε χρηματιστικον, το δε πορθμευτικον, το δε ἁλιευτικον.* Id eſt plebis claſſes (*Wolfii Politicæ P. I. C. VII.*)

 ſunt

ſunt ruriculæ, opifices, nundinatores, & circa rem marinam occupati, ut bellatores, quæſtuarii, nautæ & piſcatores. Subjungit his, multis enim locis horum omnium turba ingens (πολυοχλα), ut piſcatores Tarenti & Byzantii, navalis (remigum) multitudo (τριηρικον) Athenis, mercatores (εμπορικον) in Ægina & Chio, portitores in Tenedo. His accedit (το χερνητικον) genus manuum opera victum quærentium, & exiguas facultates habentium, qui otioſi eſſe non poſſunt. *Capite 3. ejusdem libri* recenſet ſub plebe armatos & inermes, ſive genus bellicum & imbelle (το ὁπλιτικον & το αοπλον) quorum illud *cap.* 4. vocat propugnatores (προπολεμησον). Cæterum conferri hic poſſunt, quæ de variis vitæ generibus dicta ſunt (§. 797-804 *Oecon.*).

§. 518.

Quinam opulenti & inopes, cives & non cives.

Ratione opum populus & plebs dividitur in opulentos, inopes & medios; ratione civitatis vero in cives & non cives, ſeu jure civitatis deſtitutos. Aut enim abundat opibus, aut earum defectu laborat, aut nec abundat, nec defectu laborat. Si populus abundat opibus vocatur dives, & propter divitias inſignes, opulentus (§. 240. *P. IV. Jur. nat.*). Si vero opum defectu quodam laborat, vocatur inops; is gradus inopiæ, quo tantum res neceſſariæ ſuppetunt, deſunt vero quæ ad commoditatem jucunditatemque vitæ faciunt, paupertas; & quo etiam varia neceſſaria vitæ præſidia deſunt, egeſtas, & quo omnia deſunt, mendicitas audit (§. 238 *ibid.*). Vnde ſequitur, mediocres eſſe opes, quæ ſufficiunt officiis, ideoque nec abundantia nec defectu laborant. Hi ergo inter divites & pauperes ſunt medii, quibus ſuppetit quod ſatis eſt, & quibus contigit ea mediocritas fortunæ, quæ inter nimium & parum datur.

Si autem pactum de conſortio imperii cum civitate ineundum, vel jus civitatis ſpectamus, tum plebs eo vel gaudet, vel caret. Gaudentes jure civitatis ſeu participes ejus ſunt

sunt cives (Staats-Genossen) (§. 6. *P. VIII. Jur. nat.*); carentes eodem non sunt cives, quos Germani vocant Unbürger in urbibus, quod extendi etiam ad pagos potest. Vnde cives jam pactum cum civitate inierunt, quo in ejus communionem jurium sunt recepti. Sed qui id pactum nondum inierunt, itaque jus civitatis nondum adepti sunt, illi non sunt cives, sed tantum incolæ (§. 8. *ibid.*) vel mercenarii, servi, liberi suorum parentum &c.

Aristoteli duæ præcipuæ partes civitatis esse videntur *L. IV. Polit. c. 4.* opulenti scilicet & inopes (ευπεροι και απορoι), cum fieri nequeat, ut iidem simul sint divites & pauperes, & multi sunt pauperes, divites vero pauci. Divitias æstimare Græci solebant secundum censum patrimoniorum (τιμηματα). Agnoscit tamen antecedente *cap. 3.* etiam medios (μεσȣς) inter divites & pauperes.

Civem *Lib. III. Polit. c. 1.* recte negat nec habitationem facere, quia alias inquilini (μετοικοι) & servi quoque cives forent: neque donationem civitatis titulo tenus (προσηγοριας); neque communionem fori & judicii, cum peregrini per contractum forum sortiantur; nec pueros, & senes rude donatos simpliciter cives esse vocandos, nec infames, exules & profugos. Civem enim simpliciter non dici, nisi participem potestatis publicæ judicandi & imperandi in concione. Certe in democratia talem esse civem, in aliis formis saltem non repugnare, ut ea potestate deliberandi judicandique potiatur. Satius ergo est civem dicere *membrum civitatis*, vel *consortem jurium imperandi.* Admittunt vero cives ingenui & hanc diversitatem, ut alii sint novi, alii antiqui seu facti & nati; & hi quidem vel ex utroque parente cive, vel ex alterutro tantum vel libertini; alii legitimi, alii spurii *Lib. IV. Pol. c. 4.* & *L. III. c. 25.*

§. 519.

Quænam democratia ab-

Si quotquot personæ eidem democratiæ subsunt, pro populo universo habentur, democratia dici posset *absoluta*; quando

 autem

soluta, quæ restricta? autem quædam personæ a jure populi excluduntur, & exsortes sunt publici imperii, *restricta* erit ejusmodi democratia. Prior quoque *Archidemocratia* dici posset.

Vti imperium datur absolutum & limitatum seu restrictum (§. 66. P. VIII. Jur. nat.): sic quoque democratiæ imperium ratione personarum vel potest esse absolutum, ut sine ullius exclusione omnibus de eo statuendi jus sit; vel restrictum, ut nonnullæ personæ excludantur a jure de rep. statuendi. Priori casu ipsa democratia erit absoluta; posteriori autem restricta. Hoccine est τὴν δημοκρατίαν εἰς τὸ μᾶλλον ἢ εἰς τὸ ἧττον δημοκρατεῖσθαι? *Arist. L. V. Polit. c. 1.*

§. 520.

Quæ democratia sit rigidior, quæ moderatior. Ratione modi statuendi de rep. in democratia, vel omnium requiritur consensus, vel non omnium, sed tantum plurium, quam eorum, qui secus sentiunt. Prius si placuit, democratia dicatur *rigidior*, posterius si arrisit, minus rigoris habebit, eritque *moderatior*.

Hoc non statui tantum posse, sed & usu venire in publicis comitiorum consiliis, comitia Poloniæ docent, in quibus unius dissensus efficit, ne quidquam concludi in comitiis possit. Majorem consensus rigorem in priori casu requiri, quam in posteriori, res ipsa loquitur. Facilius enim est, plures in populo reperire consentientes; quam omnes ad unum, aut quam nullum dissentire. Habent *Hertius* & alii democratiam *puram* & *temperatam* sed alio sensu, in illa enim potentia omnis populi par, in hac impar quodammodo autoritas extrinsecus (§. 37. P. VII. Jur. nat.).

§. 521.

Possibilitas utriusque generis democratiarum. *Dari potest democratia cum absoluta, tum restricta; item tum rigidior, tum moderatior.* A populi enim voluntate dependet, utrum imperium exerceri debeat tantum per patresfamilias, an ad exercitium illius quoque admitti debeant fœminæ, impuberes & peregrini ratione bonorum, quæ in civitate possident

dent (§. 168. P. VIII. Jur. nat.). Neque abſurdum dici poteſt exercitium imperii conſenſu omnium ad populum referendorum. Si enim ipſi conſenſum ſuum declarare nequeunt, eundem tamen aut præſumere licet, aut per alios declarare. Neque is caſus plane abludere ab hoc videtur, quando tantum patresfamilias imperium exercent. Hi enim tum pro ſe ſuisque verba faciunt, & eorum nomine ſimul ſuam ſententiam ut patres familiæ ſuæ dicunt. Ita mariti ſimul uxorum, patres ſimul liberorum, heri ſimul ſervorum cauſa ſuffragia ferunt (not. ejusdem §i.). Fieri igitur poteſt, ut detur democratia abſoluta, neminem, qui ipſi ſubeſt, a jure populi excludens.

Sed ob eandem paciſcendi libertatem fieri etiam poteſt, ut nonnulli ob rationes idoneas a jure deliberandi & ſuffragandi removeantur. Quid enim juvaret democratiam, ſi infantes, vel pueri & puellæ, ſi impotes animi aut mente capti, ſi rudiſſimi homines, ſervi, ancillæ, ruſtici, mercenarii, mulierculæ omnes deberent interrogari, & audiri nugæ atque deliria, quæ fortaſſis proferrent? Quæ ratio cogeret populum, docere rudes, quæ neſciunt, quæ vix caperent, quæ leviter effutirent? Quid cauſæ eſſet, cur mercenarios ſimilesque alios avocaret a ſuis laboribus, unde ipſis pro ſe ſuisque victus eſt quærendus? Nonne igitur hæ & plures hujusmodi rationes occurrere poſſunt, propter quas inepti ad imperium publicum dijudicandum ne quidem de eo audiendi ſint? Nonne ſic reſtricta naſcetur democratia? (§. 519.).

Videtur quidem conſenſus omnium in democratia nec neceſſarius, nec obtinendus facile eſſe, propter diverſiſſima hominum inprimis rudium judicia, præjudicatas opiniones & affectus, multorumque apertam impotentiam de tantis rebus judicandi. Licet vero concedatur, non eſſe neceſſarium, ut

omnes omnino homines, qui subsunt democratiæ, expressis verbis consentiant in illa, quæ communis boni causa vel agenda sint, vel omittenda; fieri tamen non aliter deberet, quam ut omnes consentirent in commune bonum conjunctis viribus consequendum (§. 35.). Quare quum nil fieri debeat, nisi quod fieri potest (§. 209. *P. I. Philos. pract. univ.*): custodiendo leges naturales, & suæ obligationi satisfaciendo fieri utique posset, ut omnis populus in ea consentiret, quæ salus publica requirit. Jure igitur augurari licet, eos, qui in statu hujusmodi versantur, ut vel impotentiæ vel aliorum officiorum ergo deliberare & consensum declarare nequeant, consentire posse & debere rectoque usu facultatum animi consensuros esse. Eodem igitur jure, quo negotiorum gestor alterius res agit, populus in democratia eorum quoque nomine simul agere potest, qui quacunque de causa legitima aperte consentire nequeunt. Vnde vel omnium consensu res populi agi, & rigidiorem democratiam dari posse (§. 520.), perspectum habetur.

De moderatiore democratia vix opus esse videtur, ut verba faciam, quum & illarum ratio sit aperta, nimia scilicet populi multitudo inscitiaque, & illas dari, plurima comprobent exempla, antiquioris pariter ac recentioris ævi. Quis enim ignorat tot Græciæ, Italiæ & Germaniæ democratias? Quis nescit Carthaginem, Massiliam, Panticapæum, Olbiam aliasque? Inde *Stagirita Polit. III. c. 7.* populo, quem πλῆθος, multitudinem, vocat, tribuit imperium, & cum aliis *Martini Polit. L. II. c. 15.* democratiam dicit, in qua summum jus reip. vel est penes omnes, vel *penes maximam populi partem.*

§. 522.

Duplex modus suffragandi. In democratia absoluta *populus de summis rebus suffragia fert vel viritim, vel tributim & centuriatim* Si unusquisque tantum suo nomine suffragatur, viritim suffragia feruntur. Si delecti

delecti ex ſua centuria equitum, vel tribu non equeſtri ſuo & centuriæ &c. ſuæ nomine ſuffragantur, ſuffragia centuriatim feruntur & tributim.

Vt viritim omnes conveniant & de re propoſita ſententiam dicant, id non niſi in democratia perexigua & ne ibi quidem ſatis commode fieri poteſt. Neque enim tantum plerique tempore comitiorum negligere cogerentur labores, ad ſe ſuosque ſuſtentandos neutiquam interrumpendos; verum etiam ignari rerum deliberandarum definiendarumque, neſcirent quid ſit optimum factu, itaque non ſine tædio & querela tempus ſuum ibi eſſe perdendum dolerent. Inde ampliori democratiæ, commodius accidet, ſi tantum nonnulli ſint ad concilium mittendi, qui peritiores reliquis, cæterorum nomine & mandato ſimul verba faciant ſuffragenturque.

§. 523.

Si omnibus ad comitia eundum & ſuffragia viritim ferenda, democratia erit abſoluta; ſi tantum nonnulli cæterorum nomine delegandi ſint, eadem erit parumper reſtricta. Si quidam plane nullum jus ſuffragandi habent, etiamſi ad comitia venirent, tum omnino reſtrictam ſentiunt democratiam. Etenim ſi omnibus veniendum eſt in comitia, & cuique viritim ſuffragandum, tum quotquot perſonæ democratiæ ſubſunt, pro populo univerſo habentur. Ideoque abſoluta tum dicenda erit democratia (§. 519.). Si vero ſufficit, nonnullos mitti ad comitia, qui ibi mittentium nomine ſententiam dicant, tum fere idem erit, ac ſi mittentes eſſent juris comitia frequentandi & ſuffragandi exſortes, quia ſaltem ipſi ſui commodi gratia illo uti nolunt. Sed quando quædam perſonæ a jure comitiorum & ſuffragiorum ſunt excluſæ ſponte quamvis ſua, illæ ſunt quaſi exſortes imperii publici, ideoque gaudent democratia ſui beneficii cauſa parumper reſtricta.

Criteria democratiæ abſolutæ & reſtrictæ.

Equidem fateor, proprie hic non excludi eos ingratiis a frequen-

quentatione comitiorum, sed malle sua sponte ab iis abesse, ita tamen, ut jure suo se non abdicent, sed potius utantur etiam dum domi manent. Hinc volentibus nulla fit injuria, exercent potius jus suffragandi per eos, quibus dedere illa in mandatis, ut quod per alios faciunt, per se fecisse existimandi sint. Est ergo & hic casus a democratia absoluta non alienus, sed illi subjectus. Quatenus tamen domi manentes mittentesque nuntios suos, nolunt ipsi jure suo uti, ipsi restringunt aliquatenus usum juris sui, ne sit molestus, & ideo parumper restricto jure, vel beneficio potius in democratia absoluta utuntur.

Ast si quidam, nec pauci illi, ob rationes democratiæ honorificas, merito arceantur a comittis & suffragiis, illi jure populi destituuntur, nec ad populum referuntur. Quare, etiamsi ad comitia venirent, tamen jus suffragandi nec petere, nec usurpare vi pacti possunt, sed ibi nudi essent spectatores aut hospites, a communione populi exclusi. Itaque sentirent & ipsi, & alii, eos degere in democratia strictiori, nec in numero populi nec plebeji quidem habendos esse.

Hujusmodi homines, cujuscunque sexus fuerint in democratia nec populi, nec plebis pars sunt, sed sunt imperii democratici exsortes, & in rebus publicis non nisi obsequendi gloriam sibi habent relictam. Cæteroqui considerari possunt ut adjuncti vel populo claro, vel plebi; non ratione imperii exercendi, sed aliis de causis honestis, v. c. uti uxores, affines, vel consanguinei in linea adscendente, descendente & laterali, vel uti servi & ancillæ, inquilini, mercenarii, tirones, boëthi, studiosi, & similes hisce.

§. 524.

Quid cavendum in democratia constituenda? *Constituenda est democratia sic, ut abusui imperii popularis quam optime occurratur.* Maxima enim danda est opera, ut imperantes sint, quales esse debent, utque abusui imperii quam optime occurratur (§. 307.). In democratia publicum imperium est penes universum populum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*), ideo-

ideoque imperium est populare & populo proprium, uti primitus seu naturaliter in omni civitate (§ 33. *ibid*). Quoniam publico imperio non est utendum nisi ad omnium salutem (§. 268); omnino sic constituenda est democratia, ut abusui imperii popularis, quantum fieri & quam optime fieri potest, occurratur.

Vere popularis non est, nisi qui populi consulit saluti, inquit *Cicero IV. Catilin. c.5.* Abusu imperii popularis non posset non degenerare & a salute ipsius populi aberrare democratia; itaque ipsius finis interverteretur, & si non prorsus pessum daretur civitas, tamen in ochlocratiam degeneraret (§. 300.). Prævidenda igitur sunt ea, unde abusus oriri posset, & ut tela prævisa minus noceant, mature sunt præcavenda oppositis ipsi remediis probatis.

§. 525.

Quomodo id generatim fiat?

Generatim abusui imperii popularis occurrit religiosa fidei datæ sanctitas; distributio potentiæ hujusmodi, ne facile excessus fieri possit perniciosus; civium in ordines convenientes divisio; & vigilantia in quovis ordine adhibenda ne quid periculi creetur democratiæ. Democratia enim pacto est constituenda (§. 513). Sed in illo pacto populus sibi invicem sancte promittit, & se perfecte obligat ad ea, quæ ad salutem democratiæ tuendam augendámque pertinent, facienda, & ad fugienda quævis eidem adversa (§. 224. & 258.), quod ut eo minus violetur, jurata fide firmatur (§. 226.). Quod pactum si rite servetur, abusus imperii democratici locum nullum habebit. Ergo religiosa fidei mutuo datæ sanctitate abusui fores occluduntur.

Si qui pactum contravenire velint, aut democratiam evertere cupiant, ut vel unus monarcha, vel plures oligarchi evadant; id tamen efficere non poterunt sine insigni potentiæ excessu, quo superare cæteros restituros possint. Si

igitur potentiæ civium ejusmodi limites ponantur, ne facile excessus fieri queat periculosus; erupturus quoque abusus illico poterit compesci ab iis, qui in fidei religione perseverant.

Habet populus in se naturalem diversitatem vitæ generum (§. 515. seqq.). Quæ cum in aliis populis alia sint, v. g. in pagis helveticis pro re nata in ejusmodi classes, curias, tribus, collegia, ut lubet illa appellare, erunt redigenda, ut ipsa natura sua sibi invicem modum quasi & æquilibrium ponant (§. 186. P. VIII. Jur. nat.). Vno enim ordine alterum vel singulis reliquis unumquemque & observantibus, & in obsequio legum juvantibus, & si quid moliatur saluti nociturum impedientibus, non facile emerget virulenta radix, quin in prima herba suffocari possit præsertim spe præmiorum ad detegenda noxia incitante. Item quisque ordo facilius in suos singulos, quos penitius novit, animum ita intendet nervosque omnes, ne quid vel suo ordini, vel civitati adversum machinentur. Sic excubare animis & vigilare omnibus & singulis licebit, ne quid ambitio audax novare & in perniciem reip. efficere possit.

§. 526.

Archidemocratiæ suffragatio commodior.

Absoluta democratia vix commodius institui potest, quam si singuli patresfamilias simul nomine domus suæ imperium exerceant, exclusis tantum illis sceleratis, a quorum commercio omnes merito abhorrent. Tam plana sunt incommoda contrarii, ut vel commemoratio eorum supervacanea videatur. Sed patrum familias officium naturale est, domo præesse, & curare res graviores externasque (§. 767. & 127. Oecon.) & si quo legitimo impedimento detinentur, aliis suum mandare suffragium possunt. Quo cum vix commodius quidquam in hac conditione haberi possit, uti cuilibet meditanti patebit: concludimus, consultum esse, ut patresfamilias nomine domus suæ, suffragentur in

in rebus universorum consensu decernendis, remotis duntaxat his sceleratis, a quorum consortio omnes abhorrent.

§. 527.

Restrictio populi in ipsa constitutione democratiæ fieri potest vel ad solos cives in certos ordines redactos, vel tantum ad cives aptiores digniores que omnium ordinum, a suo ordine deligendos & mandatis instruendos. Appellantur enim cives, qui consortes sunt imperii, cum exsortes ejusdem non sint cives (§. 518.). Quamobrem ipsum jus civitatis adquisitum, uti par est, facit cives participes juris imperandi, & membra populi. Hinc ipsa constitutio ordinum ejusmodi democratiæ restringit imperium populi, ne in alios cadere possit, quam in cives (§. 525.). *Restrictio democratiæ latior & angustior.*

Enimvero si nimia civium multitudo tantum impedimento esset rebus publicis rite gerendis, arctius restringendus erit populus, tum, ut abusui imperii melius occurratur (§. 524.), tum ut citius commodiusque deliberatio institui & absolvi possit (§. 525.). Quem in finem recte constituetur, ut sumtibus & neglectui rerum suarum modum posituri cives, paucos ex quovis ordine deligant, eosque aptiores dignioresque præ cæteris ad ea, de quibus agendum est, expendenda (§. 525.). His enim cæteri demandare possunt urgenda, quæ ipsis consultiora videntur. Hoc modo restrictio juris imperandi commodior erit & angustior; prior autem paulo latior incommodiorque.

Hujusmodi restricto imperii usu non tantum commoditati democratiæ litatur, sed & obex ponitur gravioribus morbis, alias facile orituris, uti e sequentibus patebit. Quorsum salutis ejusdem causa respiciendum esse in ipsa ejus constitutione (§. 524.) præstructum est. Vti vero ordines civium alii aliis placuere, ita quoque magna varietas in hac temperatione illius, quod molestum aut periculosum esse potest, obvia passim reperitur in præsentibus præteritisque democratiis, earumque mo-

numentis. Vſus, optimus rerum Magiſter, hoc compendium docuit civitates, in quibus frequentiora habentur comitia, ne ſic quidem ſuis moleſtiis deſtituta.

§. 528.

Quænam democratia ruſtica & urbica, ac mixta.

Quando populus nullis utitur urbibus & oppidis ſed ruri & in pagis tantum degit, *democratia* dici poteſt *ruſtica*, vel per vicos ſparſa, cum *Hertio in Elem. Prud. civ. P. II. Sect. 9. n. 10.* Si ſolis urbibus continetur, *urbana* erit vel oppidana. Si utriusque generis ſit, mixta dicetur democratia vel *provincialis* (§. 125.).

Vrbana & ruſtica vel ruſticana Ciceroni quoque diſcernuntur, neque ruſticari nobiliſſimis romanis inſolitum erat, vel nunc quoque nobilitas alibi plerumque habitat, quam in prædiis ruſticis. Si per vicos ſparſa nominetur, hæc democratia, oppidis deſtituta, ſubaudiendi tamen ſunt vici ruſtici (§. 864. *Oecon.*).

§. 529.

Dantur hujusmodi democratiæ.

Dantur democratiæ tam ruſticæ quam urbanæ & provinciales. Etenim populus habitare poteſt, prout ipſi lubet, vel ruri & in pagis, vel in urbibus, vel partim in his, partim in illis, ideoque in provinciis, quod per ſe eſt manifeſtum. Si tantum rus colit populi fortitudine pro muris utens, & oppida urbesque averſatur, democratia erit ruſticana. Si urbe vel oppidis continetur, ut externis quoque adjumentis tutiores vivant, democratia erit oppidana. Si & agricolas in pagis, & opifices in oppidis habet, provincialis erit democratia (§. 528.).

Neceſſe eſt, inquit *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 6.* aut omnes partes populi, quas ſupra enumeravimus, reip. gubernationem habere, aut quasdam non habere. Cum agricolæ & mediocria poſſidentes rempubl. gubernant, ſecundum leges adminiſtratur resp. Victum enim opera & labore parant, nec otiari poſſunt. Inde

Inde neceſſariis tantum concionibus ſecundum leges intererunt. Idem *L. VI. Polit. c. 4.* hanc vocat antiquiſſimam omnium, & primo loco ponendam. Optimum enim eſſe populum, qui ex agricolis conſtat (ὁ γεωργικὸς), & dari popularem ſtatum, in quo populus ex agricultura & paſtione vivit, negotioſus, quia parum habet, ideoque raro comitia habens (ἐκκλησιάζων), quia laboribus propter victum diſtinetur, nec appetit aliena, ut honorem, lucri ſtudioſior. Si qua illis honorum eſt cupido, ea facile impletur poteſtate creandi magiſtratus & corrigendi eorum delicta; vel ſi delecti eligunt magiſtratus, uti Mantineæ ſatis eſſe putant, quod conſulendi deliberandique habeant poteſtatem - - - Poſtquam de paſtoribus ſimili modo ſtatuerat, pergit ad opifices, tabernarios & mercenarios, quorum vile eſt vitæ genus, & ad conciones turbasque pronum. Subjungit etiam facilius utilem haberi remp. ſi præter oppidanos etiam agricolis ad comitia veniendum ſit. Deprehenduntur inter pagos helveticos democratiæ ruſticanæ, v. c. Suitienſis, Glaronenſis, Sylvanienſis, Vrienſis, Tugienſis &c.

§. 530.

Si ſaluti publicæ debite ſtudeant, & urbana, & ruſtica & provincialis democratia recte habebit; facilior tamen aberrandi occaſio habetur in urbibus, quam pagis diſperſis & provinciis. Omnis enim reipubl. forma apta eſt ad finem civitatis conſequendum, ſi in ea procurentur & fiant, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem ejus & omittantur eidem adverſa (§. 150. *P. VIII. Jur. nat.*). Jam ſi ſaluti publicæ recte proſpiciat populus, in democratia fiunt, quæ neceſſaria ſunt ad ipſius ſalutem, omittunturque eidem contraria. Proinde tam democratia ruſtica, quam urbana & provincialis hoc pacto apta erit ad finem ſuum conſequendum, itaque recte ſe habebit, quamdiu ejusmodi manet.

Quando ſingulæ democratiæ ſe recte habeant.

Quia vero in urbibus partim ex negotiatione citius diteſcunt homines, partim ipſum vitæ genus non eſt tam laborioſum, partim frequentior eſt & multitudo & congregatio:

facilius in tanta copia occurrunt otiosi & luxuriosi, alios ad similia seducentes; item ambitiosi suaque sorte non contenti. Hinc turbis & factionibus faciles occurrunt ansæ & tubæ in ejusmodi turbulentis & ambitiosis, qui sua apud popellum gratia & autoritate abutuntur ad perniciem democratiæ. Quia agricolarum & simplicitas vitæ, & occupatio in colendo agro, & curanda re pecuaria, & dispersio in villis aut pagis dissitis, obstat, quo minus ad talia proclives esse possint; & in provinciis major adest distantia hominum, major studiorum diversitas & pugna invidiaque. Proinde patet, faciliores nasci in oppidana democratia occasiones aberrandi a salute populari, & privata publicis præferendi, quam in rusticana & mixta.

Ideo *Aristoteli* βελτίστη audit δημοκρατία illa rusticana *cit. L. VI. Polit. c. 4.* quæ ex agricolis constat & pastoribus, ad bellicas expeditiones quasi natis obduratisque. Cæteras vero turbas opificum &c. non æque exerceri in illis, quæ bellandi ratio requirit, inde multo esse deteriores; nisi colonias habeant in agris, sine quibus concilia haberi nequeant. Quæ innuunt ipsum in mente habuisse faciliorem abusum juris popularis in urbibus corruptis, quam in pagis non æque infectis corruptione. Quanquam alio argumento rustica quoque democratia quo est rudior incultiorque, eo minus sibi sufficere, & urbanæ peritiori postponenda. habenda videtur. In comparatione igitur cætera sunt paria po-nenda.

§. 531.

Remedia democratiæ rusticanæ.

Rusticæ democratiæ incommodis occurrendum est, quosdam imbuendo exercendoque in prudentia civili, legibus inhærendo, & cavendo, ne quis peritia bellica ad aliorum subjectionem abutatur. Ruditas agricolarum in rebus, ad civilem prudentiam pertinentibus, sæpe ignorat quænam saluti publicæ sint profutura aut obfutura. Idcirco non potest non rusticæ democratiæ multum nocere, nisi illius defectui quam optime occurratur (§. 524).

524.). Aliter vero tolli imperitia & imprudentia civilis nequit, quam surrogata in illius locum peritia prudentiaque. Quæ cum addiscenda sit & debite exercenda usuque rerum amplificanda: necesse est, ut sufficiens numerus civium aptorum erudiatur subigaturque in republica rite administranda. Quod ut fieri quam optime possit, & legibus opus est, docentibus id ipsum, & iisdem sancte inhærendum, cavendumque pœnis propositis, ne quid contra eas quisquam moliatur.

Quoniam vitæ genus agreste his hominibus viam sternit ad virtutem bellicam adquirendam, opus est, ut ad illam adsuefiant, quorum ætas & lacertorum robur huc faciunt. Facile enim foret, imbelles agricolas pastoresve sub jugum mittere, si quis seu peregrinus eos supplantare vellet, seu consors democratiæ conspirare contra illam auderet. Ast si reliqui ruris cultores non minus armis exercitati sunt, ut reprimere impetum improvisum possint; cautum erit civitati, ne quid detrimenti e tali ausu capiat Nihil igitur magis juvabit civitatem, nihil melius avertet tale periculum ab illa, quam providendo, ut ubique in promtu sit armorum vis, ad arma repellenda abunde apta.

§. 532.

Quoniam plebis urbanæ similis ruditas in politicis esse consuevit, ac plebis agrestis, dum utraque non nisi rei faciendæ ex iis, quæ tractat, incumbit: iisdem modis utendum erit, quibus rusticorum consulitur ignorantiæ (§ 531.). Præterea *quantum fieri potest, occurrendum est dissidiis, invidiæ, otio, cæterisque vitiis, unde factiones & turbæ nascuntur.* Nisi enim fontes malorum obstruantur, & causæ tollantur, ipsa mala evitari non poterunt, sed inficient democratiam, & conficient eandem peste veluti subinde invalescente & latius grassante. *Vrbanæ democratiæ malis uti occurrendum?*

De *Athenienſium rep.* quæ democratica fuit, *Xenophon* ab initio ſcribit, quod Athenienſes eam formam ſequuti ſint, non laudo: quia ita improbos homines meliori eſſe conditione, quam bonos, maluerunt - - - In plebe plurimum inſcitiæ, confuſionis, improbitatis. Etenim paupertas magis eos adducit ad turpia, & plerique mortalium propter penuriam neque liberaliter educari, neque recte inſtitui poſſunt. Genus hoc (quod in tabernis eſt) univerſum amantiſſimum eſt otii, ait *Cicero IV. Catilin. c. 8.* omne eorum inſtrumentum, omnis opera ac quæſtus, frequentia civium ſuſtinetur, alitur otio, poſſunt hæc otia recto uſu in bonam partem verti, uti fit in iſto loco a Cicerone; ſed per abuſum alia omnia inde propullulant, item per inſcitiam. Vnde idem pro *Planco* dicit, non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia. Non judicat ſemper populus, ſed movetur plerumque gratia, odio, precibus. Si judicet, non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad judicandum, ſed impetu & quadam etiam temeritate, ex opinione plurima, ex veritate pauca judicat. Nec aliter plebs urbica Græcorum habuit, cui *Ariſtoteles L. VI. Polit. c. 4.* vitam tribuit inertem, cum fere nullum opus eorum, quæ tractat opificum, tabernariorum & mercenariorum multitudo, cum virtute ſit conjunctum.

§. 533.

Num populus quotidie convenire poſſit.

Salva ſalute publica fieri nequit, ut in ulla democratia populus quotidie conveniat & de rebus omnibus cognoſcat ſtatuatque. Salus enim publica non tantum complectitur felicitatem omnium & ſingulorum civium, quanta haberi poteſt (§. 39.); verum etiam parem omnibus & ſingulis copiam rerum, ad vitæ neceſſitatem, commoditatem jucunditatemque facientium (§. 43.). Enimvero in democratia imperium eſt populi univerſi, regentis ſe ipſum (§. 131. *P. VIII. Jur. nat.*). Inde negotia publica in democratia agi nequeunt niſi a populo univerſo (§. 171. *ib.*). Si autem populus negotia publica per ſe agere cupit, oportet, ut,

ut quoties negotia publica agenda, ſaltem cognoſcenda & decidenda ſunt, toties in certo loco conveniat; ſuamque de eo, quod ſtatui aut fieri debet, ſententiam dicat (§. 173. *ibid.*), ideoque toties comitia agat (§. 174. *ibid.*). Sed quotidie in omni democratia negotia publica, ad commune bonum promovendum & procurandum facientia (§ 170. *ibid.*), occurrunt, quæ vel præſentia vel præterita, vel futura & deliberanda exhibent; eaque eo ſunt copioſiora, quo amplior eſt democratia. Quare quotidie populo univerſo eſſent comitia habenda. Quod cum ſine neglectu curæ rei familiaris fieri nequaquam poſſet, quæ in officio cujuslibet hominis continetur (§. 511. *p. I. Jur. nat.*): & legibus naturalibus, & ſaluti publicæ repugnaret. Ea propter ſalva ſalute publica fieri nequit, ut populus in ulla republ. quotidie conveniat, & de rebus omnibus cognoſcat ſtatuatque.

§. 534.

Populus in democratia non niſi res publicas graviſſimi momenti moræ patientes, & de quibus non niſi ex præſenti tempore in caſu emergente ab omnibus ſtatui poteſt, in comitiis definiendas ſibi merito reſervat, cæteris vero legibus & per alios proſpicit ſuo imperio ſubjectos; ideoque ſummo præeſt imperio. Salva enim ſalute publica fieri nequit, ut populus quotidie conveniat, & de rebus omnibus cognoſcat ſtatuatque (§. 533). Quamobrem ſufficit, ſi ſummum imperium ſibi reſervet, ideoque tantum de rebus publicis graviſſimi ad ſalutem omnium momenti, & de quibus non poteſt ſtatui, niſi ex tempore præſenti, quando caſus emergit, conveniat ſtatuatque modo res patiantur moram (§. 176. *P. VIII. Jur. nat.*). Merito igitur populus in democratia per ſe non curat niſi ſummam imperii, & rerum publicarum graviſſimi ad ſalutem omnium ac ſingulorum momenti, & de quibus in caſu emergente ſtatui nequit, niſi e facie re-

Populo in democratia ſummum reſervatur imperium.

rum præſenti, modo res moram comitiorum agendorum patiantur.

Si qua vero emergunt, quæ moram non patiuntur, aut quibus ab aliis officiis neutiquam negligendis avocaretur, & quæ ideo rectius per alios curari & expediri poſſunt, memor officii, meliora deterioribus præferendi (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*), prævia matura conſultatione ejusmodi ineundam cenſebit rationem, qua illa per alios quam aptiſſime, & ex voluntate populi, ad communem ſalutem curentur. Quod ut eo tutius certiusque fiat, legibus eſt definiendum, nec committendum niſi his, qui optime vacare illis poſſint, & ne nolint obſtricti ſint obnoxiique populo ad rationes reddendas, promeritasque pœnas luendas. Ita & hæc negotia publica populi poteſtati ſubjecta manere liquet.

Sunt vero res graviſſimi momenti, de quibus ſuo loco planius exponetur, leges civiles ab omnibus obſervandæ, magiſtratuum correctio, civium mors & exilium, publicatio bonorum, onera & vectigalia, rationes adminiſtrationis reddendæ, pax & bellum, auxilia & fœdera, commercia publica, defenſio regionis & jurium ſummorum, jus eminens, legationes &c. Ita jam *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 14.* quædam horum inculcat: κυϱιον δ᾽ εϛι το βȣλευομενον πεϱι πολεμȣ και ειϱηνης, συμμαχιας και διαλυσεως, και πεϱι νομων, και πεϱι θανατȣ, και φυγης, και δημησεως, και των ευθυνων. Et *Rhet. L. I. c. 4.* Ferme de quibus conſultant omnes, & de quibus concionantur deliberantes, præcipuæ res ſunt numero quinque; de comparatione pecuniarum vel tributis (πεϱι ποϱων), de bello & pace, de cuſtodia regionis, de iis, quæ importantur & exportantur & de legibus ferendis.

§. 535.

De conſtitutione magi- Quia populus in nulla democratia quotidie convenire poteſt, ut de rebus omnibus cognoſcat, ſtatuatque (§. 533): popu-

populus in democratia quævis negotia publica per se agere nequit (§. 175. *P. VIII. Jur. nat.*). Cum tamen negotia publica agi nequeant nisi a populo universo, sive per se, sive per alios, quibus eadem agenda committit (§. 171. *ibid.*): ea, quæ per se agere nequit, aliis sunt committenda. Cujusmodi cum sint quotidiana negotia publica (§. 533.) item sæpenumero occurrentia, & quæcunque moram non patiuntur: manifestum est, ne opus sit, toties populum a necessariis officiis avocare, & ut incommodis democratiæ occurratur (§. 531. *seq.*), *instituendos esse in quavis democratia magistratus, demandatas sibi imperii partes nomine populi exercentes, cui & rationes reddere obligentur* (§. 162. & 175. *P. VIII. Jur. nat.*) & (§. 534.). *stratus in democratia.*

Si quis existimet, fieri posse, ut comitia perpetua in democratia habeantur, is tantum id fieri posse deprehenderet, ut delegati quidem a populo ad comitia perpetua destinarentur, illisque interessent. Sed hi re vera non forent nisi magistratus, ad cognoscendas agendasque causas quotidianas constituti.

§. 536.

De eorum numero, imperio, norma, creatione.

De magistratibus constituendum est pro natis rebus, tum quinam, tum quibus rebus præesse debeant, tum quænam eorum creandorum ratio, quæ norma esse debeat. Magistratus enim dicuntur, quibus partes quædam imperii committuntur exercendæ a superiori in civitate (§. 162. *P. VIII. Jur. nat.*). Cum & in democratia constituendi sint magistratus (§. 534.) & in democratia superior sit populus universus (§. 142. *ibid.*): a populo deliberandum, & quid pro rebus natis optimum factu videatur, consensu suffragiorum constituendum erit de magistratu. Necesse vero est, ut constet, quinam & quot ex voluntate populi magistratus esse debeant; quibus rebus & quanta potestate ipsis præesse jubendi sint; quanam ratione magistratus sint creandi; quibusque legibus circumscribendi, ne sua potestate abu-

 tantur.

tantur. Quare & de personis magistratus, & de earum potestate ac norma, & delectu, arbitrio populi erit statuendum.

Tria, inquit *Aristoteles Lib. IV. Polit. c. 14.* in republica sunt constituenda, quibus bene se habentibus, resp. bene erit affecta, & ex quarum inter se differentia, respublicas quoque inter se differre necesse est. Primum est concilium supremum (το βουλευομενον περι των κοινων) de summis rebus statuens; secundum magistratus (το περι τας αρχας), id est, qui & quarum rerum imperio gaudere debeant, quæque eorum creandorum ratio, (οἱς δει και τινων ειναι κυριας, και ποιαν τινα δει γιγνεσθαι την αἱρεσιν αυτων). Tertium judicia (το δικαζον), quæ ad magistratum referri possunt (§. 566. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 537.

Distributio summi imperii in democratia.

Summi quidem imperii vel omnia omnibus, vel alia aliis, h. e. quædam omnibus, quædam quibusdam, aut uni, erunt tribuenda. Sunt enim alia in summo imperio, quæ moram patiuntur, & ab omnibus intelliguntur; alia quæ moram non patiuntur, aut ne intelliguntur quidem ab omnibus (§. 534.). Quæ ab omnibus intelliguntur, moramque patiuntur, eorum definitionem populus universus merito sibi reservat, cum de illis ex præsenti tempore in casu emergente sit statuendum (§. 176. *P. VIII. Jur. nat.*). Quæ vero non intelligunt omnes, in iis nisi inepta statuere sibique nocere velint, audiendi sunt sequendique illarum rerum peritiores, ne meliora deterioribus postponantur (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*). Quare sive in his illis assentiantur, postquam sive antequam eos audiverunt, cum meliora nesciant, id unum erit idemque. Idcirco perinde erit, sive populus illa omnibus reservet, sive confestim illis committat, quorum sententia tamen populo esset admittenda, modo peritiores illi de insigni culpa & dolo præstandis populo sint obnoxii (§ 534). Vnde apparet, quæ ad summum imperium pertinent, ea aut omnia omnibus reservari posse, aut

aut alia aliis committenda esse, prout e publica re esse sentitur. Itaque si alia aliis tribuenda sunt, quædam h. e. ea, quæ ab omnibus rite definiri possunt, nec periculum in mora habent, omnium comitiis erunt reservanda. Quæ vero secus habent, ea aut quibusdam, qui rectius illa intelligunt & præstare valent, v. c. eruditis, belli ducibus, gubernatoribus navium, architectis civilibus, nauticis, militaribus &c. aut uni hujusmodi civi erunt committenda, prout reip. expedire deprehenditur, & ne quid illa capiat detrimenti.

Præeuntem & in his habemus *Aristotelem L. IV. Polit. c. 14.* Hæc autem (summa) judicia necessario permittenda sunt, aut omnia omnibus aut quibusdam vel uni omnia (scilicet tribunis plebis aut dictatori) aut aliis alia, vel eorum quædam quidem omnibus, quædam vero quibusdam. Quæ quum nondum omni gauderent perspicuitate, lucidiora reddere conati sumus.

§. 538.

De imperio democratiæ populari, aristocratico & monarchico.

Quando de omnibus summis rebus omnes statuendi jus habent, tum ipse quoque modus summi imperii est popularis; in aliis vero casibus is videbitur esse aristocraticus, aut monarchicus. Quando nempe omnes gaudent jure statuendi de rebus summis quibuscunque, tum manifestissima est æqualitas, ceu forma imperii popularis (§. 508. & 510.). Ideo nemo dubitare potest, quin ille modus summi imperii sit vere popularis, sive omnes conveniant suffragaturi, sive suffragia deputatis perferenda committant (§. 537.). Si vero populus quandoque uni aut pluribus dignissimis administrationem imperii committat, utens vero horum ministerio sibi reservat jus in omnes eorum actus inquirendi, de iisdemque prout merentur statuendi, status popularis non mutatur, licet extrinsecus videatur esse aristocraticus aut monarchicus (§ 163. *seq. P. VIII. Jur. nat.*). Videbitur ergo administratio summi imperii in his casibus esse vel

ariſtocratica vel monarchica, quum tamen omnino ſit & maneat popularis.

Non latere nos debet, inquit *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 5.* ſæpe accidere, ut respublica legibus quidem ſeu forma ſit popularis, inſtitutis vero & modo adminiſtrandi videatur a paucis gubernari. Vbi formam reip. & gubernationem recte diſtinguit. Ideo *Cellarius Polit. L. II. c. I. n. 30.* Ne respublicæ, inquit, penitus diverſæ inter ſe confundantur, & pro iisdem habeantur, quæ ſpecie differunt, adminiſtrationis modus ab ipſa reip. forma ſedulo diſcernendus eſt. Fieri enim poteſt ut politia (Democratia) more regni vel Ariſtocratiæ adminiſtretur, nec tamen formam ſuam exuat.,, Sic respublica romana, poſtquam regium & nomen & numen erat proſcriptum, tamen dictatorem nonnunquam habuit, ut monarchica videretur, & conſules atque ſenatum, ut ariſtocratica appareret. Pariter Carthaginienſes quotannis duos conſtituebant ſuffetes (a שֹׁפֵט, judex, nomen ſortitos) utut popularis eſſet reſp. teſte *Ariſtotele L. II. Polit. c. 9.* Appellationem a Tyriis profectam eſſe, nullum eſt dubium, quorum ſuffetes *Joſephus contra Appionem c. 7.* δικαςὰς recte interpretatur.

§. 539.

Occultior ratio mutandi democratiam in Ariſtocratiam.

Deſineret autem democratia, ſi adminiſtrantes imperium ſummum incipiant proprio nomine imperare, nec rationes populo amplius reddere velint; ſed tantum illi relinquant jus, quotannis alios conſtituendi magiſtratus. Si enim adminiſtratores ſummi imperii proprio nomine incipiunt imperare, non amplius nomine populi imperio præſunt, uti debent (§. 534.). Id quod & inde confirmatur, quando rationes geſti imperii populo reddere, quocunque obtentu ſpecioſo detrectant. Quamuis igitur populo relinquant jus quotannis novos conſtituendi magiſtratus, ipſi vero ſummum exercent imperium, forma democratiæ ſenſim mutatur in Ariſtocratiam temporariam (§. 165. *P. VIII. Jur. nat.*), itaque deſinit eſſe democratia.

Poteſt

Potest illud contingere, si aliquamdiu bene imperent, ut reprehendi non potuerint, vel nemo ansam de ipsis conquerendi habuerit. Ea igitur ratione deprecantes tergiversantesque gesti imperii rationes reddere, quia nemo sit, qui de ipsis conquerendi causam habeat, sensim subtrahere se possunt rationibus reddendis, & contendere, non accepisse se magistratum ea lege, ut populo reddendae essent rationes, nolle se esse deterioris conditionis, ac decessores, hoc onere liberatos &c. Progrediendo ulterius immiscere se possunt creationi novorum magistratuum, primum ut bene consulentes, quinam mereantur eligi, sensim vero præsentando, suffragando, & eligendo ex præscripta lege progressu temporis negligenda. Quanquam sic bene administretur resp. tamen democratia jam abit in Aristocratiam.

§. 540.

Vbi omnes de omnibus rebus summis statuendi jus habent, ibi vel simul omnes conueniunt statis temporibus, vel non simul cuncti, sed per vices, alios aliosque ex tribubus deligendo. Etenim si quid de summo imperio statuendum est ab omnibus, qui illius sunt participes, tum omnium suffragia sunt consulenda. Sed hoc fieri potest, si vel viritim suffragentur, vel per delectos suffragia conferant (§ 522.). Illo casu patet necessum esse, ut omnes in comitiis conveniant simul. Hoc vero non opus est, ut omnes simul congregentur, sed sufficit si singuli ordines per vices alios aliosque deligant, quibus suffragia sua conferenda committant. Alterutro igitur modo fieri poterit, ut omnium idem sit jus in exercendo summo imperio, & ut in posteriori casu subinde alii aliis surrogentur. *Omnis populus vel simul vel per vices delegatosque imperat.*

Omnes, inquit *Stagirita L. IV. Polit. c. 14.* de omnibus deliberare est populare. Talem namque æqualitatem quærit populus. Vt autem omnes possint, plures sunt modi. Vnus quidem, quo per vices (κατὰ μέρος) non cuncti simul, ut in Rep. Teleclis Milesii & in aliis, collegia magistratuum coacta (αἱ συναρχίαι) consultant, magistratus vero capiunt omnes per vices,

donec

donec ad omnes ſit perventum. Alter modus eſt, ut omnes ſimul conveniant ſed tantum ad creandos magiſtratus, ferendas leges, ad rationes repoſcendas (προς ευθυνας), & pro bello vel pace; cætera vero conſilio magiſtratuum, qui cuique negotio præfecti ſunt, committantur. Tertius modus eſt, ut ad creandos corrigendosque magiſtratus conveniant cives, item cum eſt de bello aut belli ſocietate (περι συμμαχιας) ineunda deliberandum, cætera vero gerant electi magiſtratus, quot requiruntur ad negotia, quæ neceſſario a ſcientibus ſunt adminiſtranda. Quartus eſt modus, ut coëant omnes, deque rebus omnibus conſultent, ſed magiſtratuum judicio nihil relinquatur, niſi ut ad populum referant vel primi ſententiam dicant (προανακρινειν). Qua ratione nunc extrema (τελευταια) democratia adminiſtratur æmula corruptis.„ E quibus apparet, illum primo caſu agere de magiſtratibus delectis, populi nomine per vices ſuffragantibus; reliquis autem tribus caſibus omnes convenire, ſed alia aliaque ratione. His ſimilia deprehenduntur in multis rebuspublicis hodiernis mixtisque rerump. formis.

§. 541.

Vix tuto omnes de ſummis rebus ſuffragantur.

Omni populo de ſummis rebus viritim ſuffragandi jus vix ſine periculo concedi poteſt. Sive enim una nimia requiruntur ſuffragia ad aliquid concludendum, ſive tantum pleraque (§. 520. ſeq.). Priori caſu raro fieri poterit, ut omnes in idem conſentiant, ideoque conſilia publica ſaepe erunt irrita (§. 521.). Poſteriori autem ſemper tamen maxima populi pars erit rudis, conflictabitur cum paupertate, ſuæque potius quam communi animum intendat utilitati, nec tacenda tacebit. Plerumque igitur facile divulgantur conſilia, & ex votorum majori numero concludetur id, quod ruditati & affectibus plerorumque conveniet, quam quod ſapientioribus, & ſalutis publicæ ſtudioſis arridet. Quo ipſo ſalutem publicam periclitari manifeſtum eſt. Unde ſequitur, vix an ne vix quidem, omnibus aut populo univerſo viritim de ſummis rebus ſuffragandi jus concedi poſſe (§. 524. ſeq.).

Vix

Vix sola & extrema necessitas impetrat, ut omnes plebeji homines in ea consentiant, quæ flagitat ratio communis salutis. Alia enim alios vexat cupiditas, & spes lucelli huc illuc allicit, ut raro, uti possunt & debent, in publicam conspirent salutem.

§. 542.

Præstat per delectos ex populo statui de summis rebus.

Quia de summis rebus viritim suffragandi jus vix omni populo concedi sine periculo potest (§. 541.): præstabit, ut ex singulis ordinibus eorumque tribubus delecti, cum mandatis sibi suorum suffragiis, ad comitia mittantur. Si vero & missorum ad comitia numerus non sit exiguus, ne horum quidem consensus unanimis tam facile obtineri poterit, quam majoris illorum partis, sive plerorumque. Ea propter & *in democratiæ comitiis res summæ plerumque per delectos ex omnibus ordinibus secundum legum dictamen, majori suffragiorum numero definientur; nisi quædam negotia unanimi missorum consensu debeant expediri, in quibus is facile obtineri potest* (§. 157. *P. VIII. Jur. nat.*).

Vix quenquam præteribit, quod res ipsa loquitur, etiamsi delecti ab omnibus ordinibus democratiæ mittantur ad comitia, eorumque unanimibus suffragiis v. g. mutationem formæ reip. præmia bene meritorum summa aut pœnæ maleficorum civium ultima, statui debeant; tamen tunc tantum majori suffragiorum numero has res constitui, quando suffragia nuntiis commissa unanimia non fuere, sed numero majori debebantur. Solus is casus unanimem præstaret consensum, quando & omnes mittentes in id consensere, in quod missi omnes ad suffragandum.

§. 543.

Quænam suffragia pro plerisque sint habenda.

Si majori suffragiorum numero cedere debeat minor, ulterius consciscendum est, quando ad decretum formandum fixo opus sit numero eorum v. c. $\frac{2}{3}$, *& quando sufficiat unius autoritas?* Etenim unanimis omnium suffragatorum consensus, nec semper haberi potest, nec est necessarius, sed sæpe sufficit, plerosque consentire in id, quod est decernendum (§. 537. & 542.). Enim-

vero major ſuffragiorum numerus ſuperare debet minorem, quia ipſius pars huic debet eſſe æqualis (§. 352. *Ontol.*). Sed exceſſus, quo major numerus vincit minorem, vel certus eſt fixusque, uti ſi duæ partes tertiæ, quas duos trientes omnium dicimus, requirantur antequam vincere adverſam partem poſſint; vel incertus, & unico abſolvi poteſt ſuffragio. Qui exceſſus omnium minimus quia facilius haberi poteſt, quam quilibet major, is in rebus, non adeo magni momenti, ſufficere poteſt. In quibusnam vero non ſufficere debeat, ſed major, & quanto major ſit adhibendus exceſſus, id utique arbitrio pactoque populi eſt definiendum.

Singuli quidem in democratia renuntiaſſe cenſentur libertati ſuæ quoad illas in quæ pars major conſentit (§. 195. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque facile diu ſubſiſtere poſſet ſine hujusmodi renuntiatione, ob difficultates obtinendi omnium de rebus publicis conſenſum. Quia tamen rerum deliberandarum magna eſt diverſitas & diſpar momentum, grave videri poteſt illi parti diſſentienti, quæ uno tantum ſuffragio ſuperatur, ut propterea ſit ipſius ſententia poſtponenda, præſertim in rebus permagni momenti. Inde pacto conveniri poteſt de alio ſuffragiorum exceſſu majori, ad victoriam reportandam. Neque enim vivitur in democratia cum hominibus ita comparatis, ut omnino pro melioribus habenda ſint, quæ pluribus arrident, inprimis ſi unius vel inſcitia vel affectus prævalere deberet. Quamobrem ſatius eſſe videbitur, ſi ad evitanda ejusmodi incommoda, non adeo exiguus requiratur numerus. In delectu enim virorum adhibito non tam facile multi hallucinabuntur, quam unicus. In pontifice romano eligendo exemplum hujus inſtituti occurrere, inter omnes conſtat.

§. 544.

Ex pacto vel melius ſentientibus ce-

Quæcunque ſententia de ſummo imperio tanto placuit ſuffragatorum numero, quanto debet ex pacto, illi reſiſtere non debent diſſentientes, etiamſi ipſorum rationes contrariis ſint omnino meliores. Neque

que enim in societate æqualium inter se dissentientium, meliora suffragia pluribus semper arrident, ut vincere possint (§. 76. *P. VII. Jur. nat.*). Quare cum democratia sit societas æqualium inter se, nec dependentium in imperio publico, nisi a sua voluntate (§. 146. *P. VIII. Jur. nat.*): in illa quoque haud raro melior sententia tantum paucioribus arridet. Quoniam hic ex pacto pauciores dissentientes cedere debent pluribus diversæ sententiæ asseclis (§. 543.); & pactis standum est (§. 789. *P. III. Jur. nat.*); cogitur in nostro casu, iis quoque standum esse, quæ circa suffragia pacto fuere recepta. Quapropter si tantus adsit suffragiorum numerus, quantus in præsenti negotio ex pacto requiritur, dissentientibus in eo adquiescendum est, quod eo suffragiorum numero est approbatum; etiamsi ipsorum rationes revera contrariis forent meliores. Pacto enim se submisere isti suffragiorum copiæ (§. 196. *P. VIII. Jur. nat.*), & renitentes concluso læderent partem populi majorem (§ 197. *ibid.*). ***dendum est recepto suffragiorum numero.***

Rationes, cur vota, quæ dicuntur, suffragantium numerari debeant, non ponderari in civitate possint (§. 72. *seq.* & 77. *seq.* *P. VII. Jur. nat.*) commemoratis conferre hic poterit, cui forte dubia oboriuntur de illis, quæ hic statuuntur. Si quis existimet, hujusmodi pactum non esse validum, quia judicium verius præferendum est minus vero aut plane falso; is omitteret conditionem casus, de quo hic plerumque agitur. Nempe agitur de eo, quod fieri aut non fieri in democratia debet (§. 71. *P. VII. Jur. nat.*). Consultatur igitur de modo finem propositum consequendi. Judicia eatenus vera dici possunt, quatenus continent proponuntque modum, quo possit finis obtineri. Sed quando plures dantur modi, quorum alius faciliorem, alius pleniorem, alius breviorem, alius certiorem promittit finis consequutionem; alius magis, alius minus convenit nexui rerum præsentium: tunc majus persæpe requiritur acumen, quam plerisque datum est in populo aut plebe, ad

accurate libranda modorum momenta, atque id melius videbitur, ad quod magis attendit aut affectu quodam ducitur. Accedit, quod eventus non sit nisi contingens, cujus tantum probabilis habetur prævisio. Deficiente ergo certa præscientia, demonstrari id nequit, quod est eventurum. Inde permittendum est, ut quisque suum sequatur judicium, quamvis erraret. Restat tamen casus difficilior expediendus.

§. 545.

De errore dissentientium pro virili tollendo.

Si error dissentientium de rep. ostendi possit, omnino omnis navanda est opera rectiora tenentibus in suis suffragiis, ut ea illis approbent persuadeantque. Sic enim constituenda, sic administranda est democratia, ut abusui libertatis in imperio publico quam optime occurratur (§. 524.). Sed tam ignorantia, quam error vincibilis accensetur actionibus liberis, & abusui libertatis causam præbet (§. 29. & 31. *P. I. Philos. pract. univ.*) & (§. 557. *P. II. Phil. pract. univ.*). Enimvero cum omnis facultatum nostrarum usus sit adhibendus, qui ad perficiendum animum, corpus & statum hominum aliorum, & ad arcenda his contraria requiritur, quatenus id absque neglectu officii erga se ipsum fieri potest (§. 609. *P. I. Jur. nat.*); cum nemo hominum id agere debeat, ut alter in errore persistat, sed potius ut ab eodem, si potest, illum revocet (§. 709. *ibid.*): multo magis in rebus permagni momenti, & ad publicam salutem pertinentibus admodum interest, ut error dissentientium, quam optime fieri possit, eripiatur. Sed hujusmodi est casus, de quo agimus, in quo error dissentientium de republica ostendi potest. Ergo manifestum est, si error dissentientium de summis rebus ostendi ab intelligentioribus possit, omnem utique navandam esse operam, ut is evincatur, quam optime fieri possit, & ut rectiora illis approbari ac persuaderi possint.

Docet Logica modum errores quam optime refutandi, & quæ obstant impedimenta e medio tollendi, quatenus id fieri in tanta

tanta hominum depravatione poteſt. Illis igitur præceptis prudenter & amice utendum, abſtinendumque eſt a cunctis, quæ ſcopo officere poſſunt. Pariter in diſſenſu utriusque partis eſt non ſuas tantum, ſed & adverſæ partis rationes probe excutere, & illas tanquam alienas, has vero ut ſuas ſpectare, ne quid perperam de illis ſtatuatur. Quatenus tantum probabilia ſunt, de quibus agitur, eatenus eorum probabilitas in quanta fieri poteſt luce ponenda, exemplis ſimilibus corroboranda, & argumentis affectum moventibus perſuadenda eſt. Sæpius intimiora noſſe oportet principia, quibus diſſentientes nituntur, quæ ſi privata ſint tantum, caute in lucem protrahenda ſic ſunt, ut eorum pudore ſuffundantur, conſcientiæ religio excitetur ab iis, qui ſuſpecti non habeantur, poſteritatis judicia aut & damna metuenda ob oculos ponantur, & quod non ſanat ratio moræ permittatur curandum.

§. 546.

Quæ malitia majoris partis ſit toleranda, nec ne?

Si quorundam malitia in majori ſuffragantium numero adverſus diſſentientes quosdam appareat, ea toleranda erit inſtar fortunæ adverſæ; niſi in horum vitæ vel bonorum jacturam illi conſpirent. Nam ſtandum eſt in democratia ſententia partis majoris, etiamſi in hac malitia adverſus aliquos appareat (§. 201. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque in hoc hominum ſtatu ulla haberi poteſt resp. in qua nullus malitiæ locus detur. Licet igitur quorundam malitia adverſus quosdam diſſentientes ſe prodat, illa tamen datur inter diſſidentes æquales, qui ſe ſuperiorem in noſtro caſu non habent. Aut igitur evinci malitia illorum poteſt, aut nequit. Si poteſt evinci, utique innocentium injuriis erit occurrendum (§. 545.); ſi vero evinci nequeat, & major ſuffragatorum pars in ſua perſtet ſententia, illi ex pacto erit cedendum, & ferendum erit illud damnum, tanquam caſu fortuito obveniſſet, quia mutari nequit, & in ſtatu naturali graviora eſſent extimeſcenda.

Ex adverso si manifestum sit, id agere partem plebis majorem, ut vel omnes, vel major dissentientium pars, vita aut bonis suis exuenda sit, id parti minori ferendum non est (§. 202. P. VIII. Jur. nat.). Quia igitur pars major non præstat, quæ alteri præstare debet, neque hæc amplius obligatur ad pactum servandum (§. 827. P. III. Jur. nat.). Gaudet igitur jure id nefas universo populo denuntiandi & resistendi parti in se iniquiori, fœdere cum aliis pacto; aut si id consultius deprehendit, alii se adjunget civitati, a qua talia non sint metuenda.

Quia pars major in hoc casu rectorum civitatis loco est, si illa in oppressionem nobilium, honoratiorum & divitum conspiret, democratia degenerat in tyrannidem. Quod annotavit jam *Aristoteles Polit. L. V. c. 5 & 10.*: omnino autem & democratiæ mutantur interdum non in contrarias resp., sed in eas, quæ eodem sunt genere, ut ex democratiis, in quibus leges dominantur (ἐκ τῶν ἐννόμων δημοκρατιῶν) fiant, quæ suo arbitratu omnia agunt, ideoque in tyrannicas & violentas abeant ochlocratias. Cæterum in Helvetia, Belgio & alibi prostant exempla jugo tyrannico fortiter resistentium, seque in libertatem naturalem adserentium minorum civitatum.

§. 547.

Modus tollendi repugnantiam partis minoris. *Parte minore contra pactum renitente parti majori, hæc gaudet jure illius consortes rationibus, tum comminationibus, tandem pœnis & vi adigendi, ut pacto satisfaciant seque submittant.* Si enim pars minor renititur sententiæ partis majoris contra pactum, facit illud contra officium suum, & huic injuriam infert (§. 789. P. III. Jur. nat.). Quæ cum sit avertenda (§. 973. P. I. Jur. nat.) averti debet quam optime fieri potest. Si vero injuriam intentatam arcere licet verbis amicis, non opus est seria dehortatione; si hæc sufficit, non opus est minis; si minæ sufficiunt, non opus est vi propulsante; & si vis minor sufficit ad eam arcen-

arcendam, non adhibenda eſt vis major (§. 984. *ibid.*). Quamobrem etiam in democratia ſi pars minor refragatur ſententiæ majoris partis, hæc jure ſuo illam primum rationibus adhortationibusque, tum comminationibus, denique pœnis, & ſi opus ſit, vi quoque adigere poterit, ad ſe ſubmittendum decretis (§ 203. *P. VIII. Jur. nat.*)

Quæ ex pacto debentur, illa debentur perfecte (§. 363. & 789. *P. III. Jur. nat.*), & quæ perfecte debentur, ad ea cogi poteſt obligatus, niſi ſponte ſua debita præſtare velit (§. 236. *P. I. Phil. pract. univ.*). Licet igitur modus quoque in cogendo ſit adhibendus is, ne duriora adhibeantur, antequam conſtet mitiora non eſſe ſuffectura (§. 982. *ſeq. P. I. Jur. nat.*). Quo major igitur eſt numerus eorum, qui conquerendi de cæteris ſecus ſtatuentibus, vel in ſe iniquioribus, anſam habent, eo majori utendum eſt moderatione in illis ad obſequium reducendis.

§. 548.

Quænam in delectu ad comitia ſint reſpicienda?

Quemadmodum in omni reip. forma ſummo imperio præficiendi ſunt, qui non ſolum norunt, quænam ſalus publica requirat, ſed conſtanti etiam ac perpetua voluntate cupiditateque flagrant nil faciendi, niſi quod expedit communi ſaluti, omittendique quidquid eidem adverſatur (§. 150. *P. VIII. Jur. nat.*): ita inprimis curæ cordique eſſe debet in democratia, *ne ſummum imperium committatur in comitiis, niſi his, qui ſalutis publicæ adjumenta atque impedimenta, cum eorumque cauſis probe habent perſpecta* (§. 171. *ibid.*). Felix enim democratia eſſe nequit, ſi, qui eidem conſulere deberent, ignorant quænam faciant ad finem illius conſequendum, & quæ illi obſint; vel ſi ipſis deſit conſtans ac perpetua voluntas illa faciendi, hæc vero fugiendi (§. 151. *ibid.*).

§. 549.

Rata ſint eo-

Quoniam negotia publica in comitiis ſunt agenda, atque

mitia & convocatio ad illa. que necesse est, ut ibi conveniant de rep. quid fieri debeat, voluntatem suam declaraturi (§. 173. *seq. P. VIII. Jur. nat.*): conveniendum sanciendumque est a populo, quo tempore & quamdiu de ordinariis reip. negotiis sint comitia celebranda, & quomodo extra ordinem de tali negotio sit deliberandum, de quo nisi ex præsenti tempore statui nequit (§. 177. *ibid.*). Casu posteriori & jus convocandi populum jure comitiorum præditum cuipiam conferendum, & casus generatim denominandi sunt, in quibus ejusmodi convocatio sit exercenda (§. 178. *ibid.*), & quidem indicatis breviter causis comitiorum (§. 179. *ibid.*). Ne convocatio negligatur, aliis jure comitiorum gaudentibus concedendum est, jus monendi eum in causa manifesta, ut convocet, ipsoque nihilominus tergiversante, ipsius loco convocandi populum, ut in comitiis ratio negligentiæ reddatur, & quando id meretur, pœnis coërceatur (§. 181. *ibid.*). Liquet igitur, *in democratia & tempus comitiorum, & idoneorum convocationem ad illa legibus rata temperataque esse debere.*

Græcia, inquit *Cicero pro Flacco*, hoc uno malo concidit libertate immodica ac licentia concionum cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique consederant.

§. 550.

Definienda in comitiis de jure comitiorum. Sicut de jure comitiorum in comitiis statuendum (§. 182. *P. VIII. Jur. nat.*): ita illo gaudens in convocatione nequaquam est prætereundus (§. 183. *ibid.*). Quare exclusus conclusum, ad quod unanimia requiruntur, irritum reddere potest; & si plures non vocati fuerint, illi dissensu suo majora efficientes, pariter irritum reddent, quod videbatur ratum fore (§. 184. *ibid.*). Cæteris casibus non vocati ad comitia vocandi, jus habent conquerendi de injuria sibi facta, & poscendi, ut suffragiorum suorum debita ratio habeatur. Vtrum vero vocati & non comparentes, jure suffragii sint multandi vel destituti, an

an legitimi impedimenti causa absentes, suum suffragium aliis committere, vel literis edere possint, de eo leges in comitiis sunt ferendæ (§. 185. *ibid.*). Generatim igitur *de jure comitiorum, ejusque usu & ordine, in comitiis sancienda sunt, quæ rata manere debent.*

Confusionis vitandæ, peregrinorum arcendorum, temporis parcendi, & maturæ deliberationis provehendæ causa, ordo adhibendus est, quem usus, rerum magister, docuit esse convenientissimum. Ambages enim, excursiones ad inutilia & superflua, inprimis rixæ & altercationes, contentiones verborum, comitia, opprobria, contumeliæ, injuriæque reales & verbales quæcunque e comitiis proscribendæ sunt, & in prima herba suffocandæ, aut admissæ puniendæ.

§. 551

Ordinis comitiorum ratio habenda requirit, ut jus deliberanda proponendi, sententias colligendi, numerandi suffragia, urgendi ut illa legibus attemperentur, & per illa legitime concludendi cuipiam conferatur vel lege perpetua, vel electione singulari in comitiis facta. Sive enim universus populus, sive illi tantum, qui jus comitiorum habent, vel ad cômitia a populo delegantur, in comitiis congregentur (§. 521.), oportet tamen ita omnia instituere, ut abusui juris & libertatis quam optime occurratur (§. 524.). Enimvero si quilibet vellet proponere, quæ vult, multi reperirentur, qui prius de aliis deliberandum & suffragandum esse contenderent, quorum dum nemo aliis cedere vellet, ipso dissensu nihil agi in comitiis posset. Lege igitur cavendum est, ut ipsa quoque comitia democratiæ salutaria sint (§. 509.), ideoque statuendus is est deliberandorum definiendorumque ordo, qui sit & rerum indoli, & reipublicæ statui accommodatissimus. A quo ordine statuto ne recedatur, utique obligandus est quispiam comitiorum arbiter, & ordinis custos. Quod cum fieri non posset, nisi is gauderet jure, quæ ordine

De constituendo comitiorum directore.

rato fieri debent, in medio ponendi, sententiarum divortia notandi, suffragia suo loco tribuendi, numerandi, & si legi nondum respondeat numerus, urgendi ut eidem conformentur (§. 187. P. VIII. Jur. nat.): liquet necessitas directoris comitiorum, ejusdemque officium sancte custodiendum, nec ab aliis impediendum, sed potius suffulciendum. Quod jus cum requirat parem ipsi virum prudentia, eloquentia, scientia rerum, experientia comitiorum, & fidei integritate: omnino dispiciendum & lege sanciendum erit, num semper in comitiis is sit eligendus; an illud seniori inter eos, qui comitiorum jure gaudent, vel aliis muneribus antea bene gestis ad hæc probe præparato; aut ob insignia merita cuipiam, & ejusdem posteris, quamdiu hi ipsi pares sunt futuri, recteque munus administraturi, perpetuo proprium esse debeat.

Nihil attinere videtur, ut recenseantur diversa instituta, quibus ora populi in democratiis vel olim placuere, vel etiam nunc gaudent. Peculiares enim ejusmodi discussiones systema nimis redderent diffusum, in quo præcipuorum momentorum capita adduxisse sufficit, unde reliqua tanquam e suis fontibus hauriri possunt. Multo minus igitur soliciti sumus de diversis nominibus, quibus appellari rectores comitiorum consuevere, tametsi illa in promtu sint. Satis enim divulgata, cuilibet per se succurrent.

§. 552.

De tollenda suffragiorum paritate.

Oborta suffragiorum paritate in negotio prudenter ad exitum perducendo, statuendum est legibus, quando vel denuo suffragia ferenda sint, vel a præside comitiorum, aut alio viro prudente aut collegio res sit decidenda. Etenim si suffragiorum paritas adsit, negotium exitum habere nequit, quod tamen in nostro casu omnino est definiendum (§. 81. P. VII. Jur. nat.). Quare paritas suffragiorum est tollenda. Potest vero illa tolli, partim si auditis omnium rationibus, denuo in suffragia eatur, ut constare

re possit, num quis suam sententiam vel mutare, vel si neutri addictus fuit, alterutri accedere velit. Quo pacto si tantus oriatur numerus suffragiorum, quantus per leges requiritur, negotium erit finitum. Sin minus, ut aliter decidi possit, vel directori comitiorum concedi potest decisionis arbitrium, sive is jam stet ab alterutra parte, sive minus; vel alii senio, meritis & prudentia gravi viro, vel sanctiori collegio similibus rebus præfecto, prout aut in genere, aut stato tempore casus emergentis consultius videbitur (§. 198. *P. VIII. Jur. nat.*).

Differt hic casus ab eo, in quo calculo minervæ locus est. ibi enim nihil concludendo, res manet in eo, quo erat statu, itaque causa deciditur, v. c. ut possessor maneat in prædii possessione. Sed in nostro casu paritas effecit, ut nihil concludi, ideoque negotium absolvi nequeat (§. 85. *P. VII. Jur. nat.*). Quoties igitur negotium manere nequit, in eo, quo est statu, toties decisio convenienti ratione erit procuranda. Quia in democratia ejusdem sunt valoris singulorum suffragia (§. 78. *ib.*) & (§. 508.); nec quisquam cogi potest, ut invitus abeat in sententiam alienam: eo modo quærendus erit negotii exitus, quo suffragiorum valori æquali nihil derogetur. Quapropter si majora, (vel quod pluribus placet,) ex collectis jam suffragiis, vel & iterum rogatis, in ea re haberi nequeunt, sequendum aut erit id, quod paucioribus displicet (§. 95. *seq. ibid.*); vel si salvum manere debeat jus æqualitatis, obstans quo minus quadamtenus tantum convenientia vota conjungi, & revera aliter sentientes compelli velut possint ad discedendum in aliam sententiam suæ propiorem, decisio sorti potest committi (§. 98. *ibid.*); vel si ne sorti quidem arbitrium relinquendum videtur, quia res consilio indiget (§. 296. *P. V. Jur. nat.*); secundum receptas probabilitatis leges ea, quæ tutior est aut naturali aut morali æstimatione, sententia vel medium tenet prudenter præferetur (§. 100. *seq. P. VII. Jur. nat.*); vel si de eo, quod tutius

aut medium sit statuendum, consensus desit, arbiter decisionis ponetur is, qui dignissimus videatur, sive sit unus quispiam, in comitiis, aut extra illa autoritate & gratia pollens, sive collegium virorum, de quo optime sperare licet (§. 102. *seqq. ibid.*).

§. 553.

Comitia democratiæ sint pauca & brevia.

Cavendum in primis, ne comitia præter necessitatem multiplicentur prorogenturque. Quomodocunque enim constituta sit democratia, multis tamen erit ad comitia conveniendum & negotia privata ipsis interim erunt seponenda (§. 514. 522. *seq.*). Quo longiori igitur itinere indigent missi ad comitia, quo magis illa ipsis sunt sumtuosa & diuturna; eo erunt illa ipsis molestiora, si vel plane suo sumtu sint obeunda, vel parum eorum indemnitati sit destinatum; eo etiam facilius non nulli declinabunt ab officio. Si vero satis laute consulatur ipsorum sorti, ut quæstuosa ipsis sint comitia, moras nectent ex moris; resque publicas sui compendii causa male curabunt. Ipsi ergo democratiæ comitia frequentia & præter necessitatem protracta non poterunt non fieri onerosa & damnosa. Necesse igitur erit, ut comitiorum & paucitati & brevitati legibus consulatur, quantum fieri potest.

Vbi publici reditus non sunt, sciscit *Aristoteles L. VI. Polit. c. 5.* facere oportet conciones raras, ut causæ sint multæ, (δικαςηρια πολλων) paucis tamen diebus absolvendæ. Ita enim divites non formidabunt impensas in comitia faciendas; sed pauperes tantum quibus sportulæ judiciales concedi poterunt. Nam qui magna patrimonia habent, illi multis diebus abesse nolunt a rebus suis. Modicum vero abesse tempus moleste non ferunt. Si vero sunt reditus publici, distribuent illos inter se pauperes, & mox rursus indigebunt iisdem. Est enim pauperibus ceu vas perforatum hujusmodi emolumentum. (ὁ τετρημενος γαρ εςι πιθος ἡ τοι αυτη βοηθεια τοις αποροις).

§. 554.

§. 554.

Itidem cavendum eſt, ne comitiorum jure præditi inde quæſtum faciant, ſed potius bene de republica meriti aliis præmiis afficiantur. *Nec per ſe lucroſa.*

Nemo enim non advolabit ad comitia, eaque perpetua eſſe volet, e quibus quæſtum facere poteſt, quem ſi aliter nequit, per nefas majorem efficere ſtudebit eo, quem labore privato facere poſſet. Vnde non poterit non ſequi neglectus laborum omnino neceſſariorum ad populi ſalutem, & boni publici converſio in bonum privatum, cum inſigni illius detrimento aut everſione. Quare & hoc legibus ſeveris eſt cavendum, ne comitia convertantur in nundinas, ad quas corvi quæſtui unice inhiantes undique convolent, & rapiant quæcunque rapere poſſunt.

E contrario ut virtutes populi alantur & ad æmulationem incitentur, non niſi his præmia dabuntur publica, qui de publicis rebus & communi ſalute bene meruere. Quare & tanto majora tribuenda erunt a populo præmia, quanto majora ſunt merita, quanto plura, & quanto præſtantiori debentur virtuti. Neque enim mere fortuita, ſed vel temeraria, & exitu potius quam conſilio fortunata, magno in numero vel encomio ſunt ponenda. Ita præmiorum ſtimulus & ſpes provocabit augebitque virtutem non ſine largo civitatis fructu, in poſteros quoque bene meritorum redundaturo (§. 559. *P. VIII. Jur. nat.*).

Ita reprehendit Ariſtoteles ſui temporis recentiores democratias, in quibus redituum publicorum copia omnibus aditum ad remp. & ex ea quæſtum indulſit. Participat ibi & imperat multitudo, quia & pauperes accepta mercede otioſi eſſe poſſunt. Et hujusmodi multitudo maxime appetit otium: nihil enim remoratur ipſum rerum ſuarum cura. Divites autem impedit adeo, ut ſæpe nec comitiis intereſſe poſſint, neque judiciis, quo fit ut pauperum multitudo ſit rerum domina, non

vero leges imperent. *Capite XV.* addit: perit consilii vis in illis democratiis, in quibus ipse populus coactus de omnibus rebus statuit. Quod contingere solet, quando rerum copia & merces constituta allicit ad conciones agendas. Otiosi enim coëunt sæpe, & omnia ipsi disceptant.

§. 555.

Cur paucissima comitiis sint reservanda?

Ob eundem finem causæ, in comitiis agitandæ, sint quam fieri potest paucissimæ, nec aliter melius discutiendæ. Quo plures enim causæ comitiis sunt reservatæ, eo frequentiora & diuturniora requirentur comitia, itaque præter necessitatem comitia multiplicabuntur protrahenturque. Quod cum cavendum sit in democratia (§. 353.), dum tantum res gravissimi momenti, moram patientes, & de quibus ex præsenti rerum facie statuendum est, ad illa pertinent (§. 534.): illico apparet hujus præcepti ratio, non esse in comitiis agitandas nisi causas paucissimas & tanto cœtu populi dignas.

Quoniam Jus naturæ nos obligat ad meliora cæteris præferenda (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*): item quoque tenendum est in publicis democratiæ negotiis. Eapropter quæcunque citra comitia melius peragi possunt, male ad comitia deferuntur, sed rerum illarum maxime peritis sunt demandanda, quemadmodum commercia publica mercatoribus permittuntur (§ 548.). Legibus igitur talia sunt præscribenda & committenda viris peritissimis, ut illa publico nomine quam optime exerceant. Non restant igitur ex causis publicis negotiisque gravissimi momenti, quæ comitiis reservandæ sint, nisi quæ aliter melius deliberari & definiri nequeunt.

Suo jam ævo *Aristoteles* talia democratiæ expedire observavit, quando *L. VI. Pol. c. 5.* scribit: Præterea curandum, ut publica judicia (τας δημοσιας δικας) fiant sintque quam paucissima, magnis pœnis in eos, qui temere (falso) accusarint, constitutis. Reddere etiam licet δικας accusationes, quia accusantes dicuntur

tur γραφόμενοι, ſcribentes. Vnde manavit latinorum dictio: dicam alicui ſcribere. Proinde reſpicit cauſas in comitiis ventilandas, cujusmodi foret v. c. cauſa perduellionis, ſi quis illius in comitiis ſit condemnandus, qui in numero civium vel magiſtratuum continetur.

§. 556.

An & absque comitiis quædam a populo ſtatui poſſint?

Quoniam in comitiis non ſunt tractandæ niſi cauſæ publicæ, quæ aliter melius diſcuti nequeunt, (§. 555.): *relinquitur cauſas, quæ quidem a populo univerſo definiendæ ſunt, ſed non merentur ſumtus in comitia faciendos, citra comitia eſſe pertractandas.* Quia enim perinde eſt, num ore an ſcripto ſuffragia populi dentur (§. 185. *P. VIII. Jur. nat.*): ſuffragia quoque ferri a populo domi, literisque obſignatis perferri eo poſſent, ubi ex illis petendum eſt plebiscitum vel deciſum. Nuntiari nempe literis publicis conſueſcunt, ubi ad comitia mittendi ſunt delegati, capita conſultationum, de quibus ſuffragia ſunt perferenda. Quod ſi pari modo de iis cauſis fieret, quarum cauſa non opus eſt comitiis celebrandis; per ſcriptorum ſuffragiorum ſumma æque iniri poſſet, aut certius, ac in frequentia & ſtrepitu comitiorum, ad petendum inde decretum.

Si ejusmodi cauſarum rationes affirmandi & negandi, vel modorum eas decidendi brevibus adderentur, non parum juvarentur ſuffragaturi in eligenda ſententia ipſis arridente. Immo ſi adderentur ſuffragia, quæ in comitiis præcedere ipſorum ſuffragia ſolent, is ſuffragandi modus vix differret ab eo, qui in comitiis adhibetur, niſi ſcriptura concinna ac manente quando vox audita periit. Ne aliis paterent illa ſuffragia, quam quibus debent, variis obtineri poſſet modis, quibus immorari vel ideo neceſſe non videtur, quod talia in minoribus ſocietatibus & collegiis paſſim uſitantur. Sæpe non opus foret re alia, quam adſcripto ad iſtam ſententiam nomine, quam amplectitur ſeu vir, ſeu tribus, curia & collegium ſuffragans. Quæ ubi adhibenda

benda videntur, ibi pariter legibus aptis sunt circumscribenda, & ad publicam accommodanda salutem.

§. 557.

Quomodo bona damnatorum sint publicanda?

Sicubi damnatorum in comitiis bona sunt publicanda, ea non sunt fisco populi adjudicanda, sed in sacros usus destinanda; nisi quatenus repetundarum agitur, & damna populo data sunt refundenda. Si quis enim meretur, ut bonis exuatur vel omnibus, vel commissis publico quodam crimine, bona ejus erunt utique publicis usibus addicenda. Enimvero si illa fisco populi damnantis adjudicarentur, ut is inde locupletetur, facile inde oriretur invitamentum plebis ad damnandos opulentos, quocunque colore quæsito ab illis, qui per invidiam aut avaritiam eos emungere bonis averent. Quod cum turpe esset, & civitati perniciosum, summo cavendum est opere, & legibus severas pœnas transgressoribus decernentibus. Ne tamen ex locupletato fisco populus spem concipiat, inter se distribuendi adquisita hoc modo: ne quidem permittendum est, ut ærarium populi inde locupletetur, sed potius ad alios usus publicos, cujusmodi sunt sacrorum causa faciendi, publicata damnatorum bona sunt transferenda.

Quatenus tamen repetundarum agitur, & damno populo data sunt; eatenus juris naturalis est, uti omnium damnorum, ita & populo ejusque ærario datorum reparatio. Itaque tunc justum est, ut quantum requiritur ad reparandum damnum, ærario publico, vel populo universo, aut quibusdam ex populo illatum refundatur (§ 580. *P. II. Jur. nat.*).

Vrget hoc institutum, quod forte mireris, ratione tantum duce utens *Aristoteles L. VI. Pol. c. 5.* hunc in modum sciscens: quia ultimæ democratiæ & frequentes sunt, difficile factu est, ut ad conciones ventitent sine mercede, quæ ex collatione, publicatione & improbis judiciis colligitur. Quare antea præcepit, legibus cavendum esse ne quidquam eorum, qui damnantur,

tur, & qui debent reip. in publicum (πϱος το κοινον) ærarium, sed in sacrum (ἱεϱον) referatur. Nam & facinorosi nihilominus a delinquendo cavebunt (ευλαβεις εσονται), æque scilicet multandi, & plebes nihil acceptura minus incitabitur ad condemnationem eorum, qui fuerint in jus vocati. Docuerat illud experientia, fæcem populi sui emolumenti causa perperam damnasse se meliores, & interitum populi accelerasse. Quod his innuit verbis: necesse est, impendia ex collatione, publicatione (απο εισΦοϱας και δημησεως) & ex improbis judiciis (δικαστηϱιων Φαυλων) colligi, quæ multas jam democratias everterunt (ανετϱεψεν).

§. 558.

Nequaquam recte consuletur democratiæ, nisi in comitiis maxima detur opera conservationi ipsius, virtutumque æmulationi honestæ. Si quælibet civitas se ipsam conservare obligatur, uti plane liquet ex (§. 31. *Jur. Gent.*), si ideo ad omnia ipsi jus est, sine quibus se conservare nequit (§. 32. *ibid.*): liquidum est quoque jus democratiæ & officium, quorum hoc eam obligat ad se conservandam, quam optimo fieri potest, modo; illud vero ipsi permittit cuncta, sine quibus hoc suo officio recte defungi nequit. Enimvero in comitiis curanda sunt negotia publica, quæ gravissimi sunt ad salutem publicam momenti (§. 534.). Cujusmodi esse ipsam democratiæ conservationem, controversia caret. Quamobrem in comitiis democratiæ maximam liquet operam esse dandam, ut ejus flos atque integritas quam optime conservetur.

Studendum democratiæ conservationi & æmulationi virtutum.

Quum vero conservatio involvat durationem consociationis in civitatem (§ 28. *Jur. Gent.*); continuatio vero civitatis continuationem perennem salutis publicæ contineat (§. 36.): patet illico, & in democratia primariam salutem sine virtutibus quibuscunque obtineri non posse (§. 40.). Quo plures igitur quoque majores virtutes in democratia vigebunt, eo

melius perennitati salutis ipsius erit consultum. Quapropter cum honesta virtutum æmulatione virtutes omnis generis provocentur, alantur augeanturque (§. 354. *Oecon.*) & (§. 289. *P. II. Phil. pract. univ.*): efficiendum est, ut in democratia honestæ virtutum æmulationi locus detur.

Licet *Aristoteles L. IV. Polit. c. 4. circa finem* primo loco posuisset & principem illam democratiam, quæ maximam habet æqualitatis rationem, ne majori in pretio sint divites quam pauperes, neque quantumvis alterutri sint multi, dominentur, sed utrique sint pares; eam tamen *cap. 6. seq.* omittit, aut quia tanquam genus eam consideravit, aut potius quia facilius aberrat & vitiatur. Monet enim *cap.* 4 si omnes æque participes sint imperii, plebem, cujus major est multitudo & pauperes, prævalere, quando quod pluribus est visum, ratum habetur. Sed ubi plebs imperita prævalet, expers virtutum ad regnandi prudentiam necessariarum, ibi vitiosa est forma, quæ dicitur ochlocratia, in qua meliores quique odio habentur, aut extinguuntur, & summa nascitur rerum perturbatio. De beata vita, etiam in civitate ex virtute petenda, disputat *L. IV. Ethic. c. 11.*

§. 559.

Hinc indiget legibus divinis neutiquam contrariis.

Conservari autem democratia non poterit, nisi regatur legibus ad normam naturalium conformatis. Ad conservationem enim præsertim requiritur continuatio non impedita salutis publicæ (§. 36.). Quæ quia sine legum divinarum custodia adquiri perpetuarique nequit (§. 41.): manifestum est legum naturalium custodiam in democratia esse necessariam. Ruditas vero plebis & corrupta educatio impedit, quo minus leges naturales satis sint perspectæ, & populus de earum obligatione satis sit convictus. Quare ferendæ sunt leges civiles, quibus pro captu suo & doceatur, quæ generatim sint facienda & fugienda, & obligetur pœnis civilibus, ad obsequendum legibus,

gibus, quibus vero quam minimum fieri poteſt, a lege naturali recedatur, ideoque quæ legibus naturalibus, quantum fieri poteſt in generalibus rationibus conveniant (§ 969. & 990. ſeq. P. *VIII. Jur. nat.*). Neque enim lex civilis ex illicito facere poteſt licitum, nec illicitum ex debito per leges naturæ (§. 974. *ſeq. ibid.*). Legibus igitur, ad normam legum naturalium, quantum fieri pro captu vulgi poteſt, conformatis, regendus eſt populus in democratia, ſi conſervari debet, quamdiu poteſt conſervari.

Neceſſitatem legum in democratia conſervanda diutius, inculcavit *Ariſtoteles*, quando de ultimis vel ſuo ævo uſitatis democratiis *L. VI. Polit. c.* 4. docet, neque cujusvis civitatis eſſe eas ferre, neque facile eſſe, eas perdurare (διαμένειν) niſi legibus & moribus bene conſtituantur. Vbi leges normam actionum civilium, mores obſequium legibus præſtandum innuunt. Solæ enim leges ſine obſequio æque parum prodeſſent democratiæ, ac mores nullis legibus conformati. Non abs re igitur celebrantur antiqui rerumpublicarum legislatores, quibus legum ad ſalutem publicam accommodatio pro ſtatu civitatis debebatur, quatenus eas legibus divinis naturalibus conformarunt.

§. 560.

Cujusmodi legislatores in democratia admittendi?

Quia leges democraticæ ad normam legum naturalium ſunt conformandæ (§. 559.) rudis autem plebs leges Dei naturales nec exploratas habet (§. 517.), nec periculo careret, jus leges civiles condendi populi univerſi ſuffragiis viritim dandis concedere (§. 541.); fieri nequit, ut plebeji & rudes ſint legum democratiæ ſalutarium latores. *Adſciſcendi* ergo *ſunt in democratia legislatores, ſolida legum naturalium ſcientia, nec vulgari prudentia politica præditi viri.*

Recenſet *Ariſtoteles Lib. II. Polit. c.* 12. varios Græcorum legislatores Phaleam, Chalcedonium; Hippodamum Mileſium;

Lycurgum Lacedæmonium, Minoen Creticum, Solonem Athenienſem, Zaleucum Locrenſem, Charondam Catanienſem, Onomacritum, Thaletem, Philolaum Corinthium, Thebanorum &c. Ideo de Legumlatoribus *Lib. II. Ethic. c. 1.* ait, eo cives, moribus inſtruendo, bonos efficere. & *Lib. VII. Polit. c. 14.* non ideo, inquit, laudandum eſſe legislatorem, quod vincere docuit & finitimis imperare - - - ſed quod optima quæque & publice & privatim inducit (εμποιει) animis hominum. Præter hoc celebrantur legislatores Moſes, Pittacus Mitylenæus, Periander Corinthius, Draco, Hippias & Pericles, Parmenides, Phoroneus Archivorum, Protagoras Thuriorum, Meliſſus Samiorum, Diocles Syracuſanorum, Zamolxis Getarum, Anacharſis Scytharum, Menas & Trismegiſtus Ægyptiorum, Androdamas Chalcidenſium, Zoroaſter Bactrianorum, Pheido Cumenſium, Pritanides Megalopolitanorum, præter Platonem, Ariſtotelem &c.

§. 561.

De ſelectu legum ex aliis antiquioribus.

Neque ineptum eſt, e proſtantibus jam aliorum populorum legibus optima quæque eligere, quæ civitati congruunt. Si enim leges aliarum civitatum populariium habentur, quæ a ſapientibus viris ſunt profectæ, uſuque diuturno comprobatæ, erunt illæ tales, quales in democratia requiruntur (§. 560.). Si præterea non cœco impetu congregentur, quæcunque occurrunt, ſed ex illis profunda ſapientia ſeligantur, quæ ſtatui civitatis apprime conveniunt; facile erit, ſi quid occurrat vel addendum vel emendandum, id ipſum ſaluti civitatis attemperare, modo adhibeantur huic judicio & delectui pares. Re ſatis penſitata nemo dubitare poterit, quin hoc idem ſit, ac ſi leges a tam multis diverſisque ſapientibus, ad leges condendas congregatis, fuiſſent ſummo conſenſu ſtabilitæ.

Primi legum conditores omnia ſatis diſpicere & complecti in ſæculis non adeo excultis haud potuere, quod & noſtris diebus non omnino inuſitatum eſt. Hinc mirandum non eſt, quod

Minos

Minos Cretensium leges per novem annos subinde emendasse legatur. Recte igitur sequentes priorum instituta jam idemtidem emendata scrutati iisque usi sunt. Prouti Lycurgus legitur Cretensium leges probe didicisse, & reversus in patriam eas cives suos docuisse. *Diodoro Bibl. hist. L. XII. c. 11.* autore, Thurii ex civibus eruditæ scientiæ cultu spectatissimis optimum, Charondam, delegerunt sibi legislatorem. Qui inspectis diligenter & probe consideratis omnium aliorum sanctionibus, optima quæque inde excerpta in legum suarum corpus redegit. Plurima tamen a se inventa & excogitata adjecit, quæ sequenti *capite 12-18.* commemorantur. Memorabili hoc exemplo approbant illud, ne sutor ultra crepidam, & de artifice non nisi artificem recte statui posse. Similiter Romani decemviros Athenas miserunt; qui e Solonis statutis leges 12 tabulis in æs incisas formarant. Si quis antiquas leges nosse gestiat, is eas haurire poterit, partim ex *Aristotelis L. II. Polit.* partim ex *Ciceronis L. II. de Legibus*, partim ex *Diodori Siculi Lib. XII.* partim ex *Plutarcho* aliisque haurire potest.

§. 562.

Communio bonorum frustra tentata est in democratiis.

Varie quidem sed frustra in illis legibus tentata fuit communio bonorum. Videntur enim considerasse, quod reliqua animalia (sed ob alias rationes) plerumque rerum externarum nihil proprii habeant, sed illis promiscue utantur, quibus indigent, tanquam rebus communibus (§. 4. *P. II. Jur. nat.*), sive sponte natis, sive a se factis in communes usus, ut nidis &c. Quod cum a Deo ita institutum esse non ignorarent, natura quoque hominibus res corporales omnes esse communes, & quamlibet in se nullius judicarunt (§. 7. *ibid.*). Inde communionem rerum naturalem primævam (§. 11. *ibid.*) restituendam putarunt in democratiis, ad statum hominum naturalem componendis. Quia in ista communione rerum præter usum illarum necessarium, nihil juris in eas datur: in democratiis quoque tantum usum rerum necessarium esse retinendum duxerunt,

runt. Quam communionem nonnulli ad omnia quæ recipere communionem possunt, inde ad liberos quoque & mulieres extendendam esse, plures vero tantum ad rerum cæterarum communem usum referendam esse crediderunt. Alii tantum quædam bona in civitate populari communia esse voluerunt, de quibus paulo post hæc.

Sed Platonica Resp. in qua Socrati affingitur sententia, in perfecta republ. communionem mulierum, liberorumque locum habere posse, *ubi plena ratio cupiditati imperat*, nusquam exstitit, nec in imperfectis rebusp., quales esse usitatas ipse Plato statuit, ipsomet autore locum habere potest. Quid quod communio uxorum naturaliter est illicita (§. 286. *P. VII. Jur. nat.*) & mera licentia (§. 288. *ibid.*). Quod de nonnullis superioris Libyæ populis relatum legit *Aristoteles Lib. II. Polit. c. 3.* eos communibus uti uxoribus, filios tamen partiri inter se secundum similitudinem eorum cum genitoribus; hoc vix ipse fide dignum censet, utens phrasi ὅπερ φασι, quod ferunt, vel dicunt, qua uti in his non solet, quibus assensum præbet. Additur digna instituto ratio: sunt enim feminæ quædam & inter cætera animalia, ceu equæ & vaccæ, ea natura, ut simillimos genitoribus edant fœtus, veluti equa apud pharsaliam justa nuncupata. Posita vero hujusmodi mulierum communione, plurima inde mala, interitum civitati allatura, subinde oritura esse ipse Plato concedit. Quod etiam liquet ex argumentis polygyniæ repugnantibus (§. 302. *P. VII. Jur. nat.*). Addere licet, vel in vita perfecta arctissimam, quæ inter conjuges & liberos dari debet, amicitiam, posita communione mulierum liberorumque, valde diminutum sublatumque iri. Quæ ratio sapientiam bonitatemque numinis in creato unico homini pari ob oculos ponit.

Rerum

Rerum vero cæterarum ſive naturaliter oriundarum, ſive induſtria & arte humana paratarum, communionem inter paucos paſſim tentatam eſſe & ſubſiſtere non diffitemur, modo cuilibet ſuppeditetur id, quo indiget ad ſatisfaciendum obligationi naturali (§. 33. *P. II. Jur. nat.*). In ſumma vero ſimplicitate vitæ imperfectæ eandem etiam utcunque inter multos dari poſſe largimur (§. 68. *ſeqq. ibid.*). Sed perfectior communio ſalvis omnibus officiis dari non poſſet, niſi inter homines nullo infectos peccato (§. 75. *ibid.*). Cum vero homines peccati expertes non dentur, cum rudis illa ſimplicitas & barbaries officiis naturalibus adverſetur (§. 79. 84. & 91. *ibid.*): omnium bonorum communionem in democratiis integris ſubſiſtere non poſſe, ideoque fruſtra haberi pro modo ſalutem illius perficiendi innoteſcit.

De hac re *Ariſtoteles L. II. Polit. c. 1.* ſcribit: neceſſarium eſt, aut omnia eſſe communia inter cives, aut nulla aut quædam. Nulla eſſe communia, fieri nequit, cum civitas ſit communitas quædam (κοινωνια). Ac primo neceſſe eſt, locum eſſe communem - - - - ſed quærendum, utrum melius ſit in bene inſtituenda Rep. quæcunque recipere communionem poſſunt, ea omnia eſſe communia; an quædam communia eſſe, quædam non eſſe? Nam fieri poſſet, ut communes ſint filii, uxores, & res, quæ poſſidentur (κτήματα), ut in republica Platonis Socrates ait, oportere communes eſſe liberos, mulieres & bona. Deinde *cap. 2.* refellit rationem petitam a civitatis unitate & unione, ab æqualitate omnium civium, viciſſitudine quadam & imperantium & parentium; ab ipſa communione, quia ſua quisque maxime curat; plurimis autem communia minus, aut quantum cujusque interſit, ita ut illa magis negligantur; deinde urget officiorum confuſionem, & neglectum inter parentes & liberos, fratres & ſorores, quorum & nomina ceſſant & ſcelera oriri invita & ſponte facta, ut cædes, vulnera, maledicta, libidinem vel inceſtum parentum & liberorum &c.

Lib. V. Platonis de Rep. legi poteſt, quomodo ille in recta & conſummata civitate concordiam omnium & communionem liberorum, mulierum & bonorum commendet, premens forte veſtigia Lycurgi, de quo vid. *Plutarchus in ipſius vita* communes civitatis cuſtodes vult eſſe non viros tantum ſed & feminas, artibus virilibus imbuendas, quarum multæ ſunt viris meliores. Easdem meliores & civitati & educationi præficiendas eſſe, ut optimi ſint viri & optimæ feminæ, belli quoque ſociæ. Philoſophis in ea eſſe imperandum, & imperantibus recte philoſophandum. Electos viros & electas feminas, nihil privatim poſſidentes, & domos & comeſſationes communes jubet habere: ne tamen confuſe inter ſe miſceantur, nuptias ſacras eſſe faciendas & utiliſſimas, ut ex optimis ſoboles ſuſcipiat, dum optimi viri cum optimis feminis coëunt, quorum liberi etiam ſeorſum ſub cuſtodibus ſui ſexus educandi. Deinde agit de nuptiis plebis, unde milites, opifices & ſimiles habeantur, itidem ſeparatim in alia civitatis parte educandi. Deinde putat forte & Pythiæ oraculo definiendum eſſe, quinam ex his, qui fratres ſororesque eſſe poſſent, cohabitare debeant. Hos omnes ſe ita reapſe amaturos credit, veluti ætatis cauſa patres & liberi, fratres & ſorores ſe amant, nec quemquam velut alienum ſpectaturos, ſive ſocios ſe appellent ſive cognatos, modo reverentia, obedientia, cura & omni opere animum comprobent, omnesque unumquemque ſuum exiſtiment. Quia nemo quidquam proprii habet, omnes eorundem bonorum & malorum fore participes; accuſationes & judicia de rebus privatis nulla fore, a ſeditionibus quæ ob pecuniarum, liberorum, cognatorum adquiſitionem oriuntur, civitatem fore immunem; nec violentiæ aut injuriis privatis, penuriæ, ſolicitudini, adulationi locum eſſe inter eos, quorum bona omnia ſunt communia. Ita civitatem multo fore liberiorem a malis civilibus, & beatiorem, pace, juſtitia, & potentia florentem. In hac communi ſocietate ſimul cum feminis viros ad bellum profecturos adverſus diſſidii autores, ut illi puniantur, omnia quantum fieri poteſt communia habituros, & cum iſta faciunt, optima facturos, ut ſimilis inter

inter eos, ac cætera animalia communio intercedat. Conferri meretur de hac mulierum communione *Marsilii Ficini* argumentum in hunc *librum. V. de Rep.* & *Bruckerus in Hist. crit. Philosoph. Tom. I. p. 727. n. V. VI.* Innuit Ficinus, a Critia & Timæo disci, similem disciplinam extitisse quondam apud græcas ægyptiasque Athenas. Apud Boëmos Placam, urbem, aliquando similiter esse gubernatam. *Diodorum* describere insulam in Oceano versus meridiem, in qua præter cætera communes etiam sint feminæ. (Quæ *Lib. II. Bibl. Hist. c. 58.* ita referuntur ex Iambuli rebus indicis, mulieres nuptum haud ducunt, sed promiscue communes habent (Taprobranenses) & natos inde filios, ut omnium communes, pari complectuntur amore nutriuntque. Cum nulla inter eos sit ambitio, citra seditionem summa concordiæ observantia vitam decurrunt; (addere his potuisset ex ejusdem *L. III. c. 15.* Aethiopes Ichthyophagos, Troglodytarum vicinos; et Hylophagos *c. 24. ibid.* et Troglodytas S. Nomades *c. 34. ibid. c. 24. ibid. c. 34. ibid.*). *Pomponius* quoque *Melæ L. I. c. 8.* testatur, Garamantes in extremis Africæ partibus omnia habere in rep. communia. Similem bonorum communionem fuisse inter Philosophos Brachmanes, Gymnosophistas, Essæos, Pythagoricos, & denique inter sanctos quondam christianæ reip. fundatores. Hæc ille, præter inserta (). Sed de promiscuo feminarum usu non dissimulandum est *Diodori Siculi* judicium *cit. cap. 15.* occurrens, his barbaris nullam turpis & honesti esse notionem. Quæ ad cæteros his similes v. c. Agathyrsos *Herodoti in Melpomen.* Incolas Thulæ *Solini c. 35.* & antiquos Britanos *Cæsaris de Bell. Gall. V. c. 14.* Arabes *Strabonis Lib. 16.* Massagetas & Tapyrienses *ejusdem*, aliosque apud Io. *Bohemum de Moribus Gent. L. III. c. 7.* saltem eatenus transferri possunt, quatenus in his rebus honesta a turpibus discernere nesciunt. Communio bonorum primis christianis non nisi Hierosolymis recepta fuit, attamen subsistere sine aliorum ope haud potuit *Act.* II, 44. XI, 29. *seq.* & 1 *Corinth.* XVI, 1-4.

§. 563.

Ne quidem communio alimentorum, æqualitas bonorum, & ju- *Item communio alimen-*

torum & æqualitas bonorum &c. *rium quorumque in democratia locum habet.* Civitas eum in finem quoque constituitur, ut conjunctis finibus parentur, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem faciunt (§. 4. *P. VIII. Jur. nat.*). Ad necessitates vitæ procul dubio referenda sunt alimenta (§. 381. *seq. P. I. Jur. nat.*). Ea propter & in democratia parandis alimentis opera conjunctis viribus est navanda. Æqualitatis autem ratio in ea habenda (§. 508.) requirere videtur, ut omnes ex communi proventu alantur æqualiter. Hinc in nonnullis democratiis communis convictus fuit institutus & receptus. Enimvero sic ipse commoditatis amor bene multos, nisi plurimos, efficiet socordes & otiosos, qui ab aliis ali malent, quam alios alere, aut suis tantum alimentis adquirendis studere, teste illa multorum pigritia in civitatibus ab ejusmodi instituto prorsus alienis. Quapropter ejusmodi institutum in civitate populari eo minus subsistere poterit, quo magis omnes sibi itidem otiari licere ac illis opinabuntur; quanquam fieri id posset, si omnes ex æquo victui parando operam darent, vel is aliunde largiter suppeditaretur.

Bonorum æqualitas vel perfecta, vel parum inæqualitatis habens, ex natura democratiæ, ad æqualitatem naturalem componendæ (§. 508), consequi videtur. Deus enim eodem affectu paterno omnium inopiæ consultum cupiens, cuilibet dare intelligitur pro summa bonitate, quantum salva sapientia ipsi dari potest (§. 698. *P. I. Theol. nat.*). Quapropter & in democratia post admissa rerum dominia tamen providendum videtur, ut si non perfecta bonorum æqualitas haberi possit, tamen nec insignis inæqualitas oboriatur, utpote quæ jam periculo democratiæ conjuncta facile fiat. Ast partim ob rerum humanarum vicissitudines, quibus familiæ modo valde augentur attenuanturque, modo mortalitatis sorte ad paucos rediguntur & locupletantur, salvo dominio & successione in

illo,

illo, æqualitas iſta perdurare nequit, etiamſi ab initio conſtituatur. Accedit etiam ingens diverſitas in adquirendo patrimonio, ubi vel virtus & vitium, vel fortuna valde diverſa, itidem admodum variat facultatum modum. Vix igitur ac ne vix quidem, æqualitas bonorum in democratia obtinere diu, multo minus conſtanter poteſt.

Quod de æqualitate juris unius, nempe dominii, evicimus, idem pari modo de reliquis juribus civilibus oſtendi poteſt, quocunque nomine diſcernantur. Quod eo magis manifeſtum eſt, quo plura dantur jura, quæ tam vulgaria eſſe nequeunt, ac dominium: eo quod peculiari nitantur ſeu dote naturali, ſeu habitu comparato, quibus plerique carent. Cujusmodi ſunt verbi gratia jura docendi aut exercendi artes & ſcientias, aut corporis vel ingenii eximii facultates, aliæ aliis divinitus tributæ.

Spartæ receptæ erant comeſſationes (συσσίτια), quæ phiditia dicebantur, in quibus id reprehendit *Ariſtoteles L. II. Polit. c. 7.* quod quemlibet oportuit ad obſonandum ſymbolum conferre, cui multi pauperes impares fuerint, ut contra inſtitutum legislatoris populares illos eſſe cupientis, ab illis arcerentur plerique plebeji, hoc convictu cæteris æquandi deliniendique. *Capite 8.* laudat Cretes, quorum inſtitutis tertia redituum publicorum pars cœnis communibus, (andriis dictis) fuit deſtinata, ut inde alerentur omnes & mulieres & viri & eorum liberi. Has ſodalitates legibus ad frugalitatem revocatas eſſe ſubjungit. Ab iisdem altera proventuum publicorum pars aſſignata fuit deorum cultui & cærimoniis, tertia vero ad publica munera defungenda. In cœnobiis quidem, quibus ſuppetunt, unde ali poſſint; & in familiis, patrimonio majorum abunde inſtructis, ſimilibusque ſocietatibus minoribus, dari & durare alimentorum communio poteſt, ſi legibus obtemperetur, quibus nocitura ſodalitati proſcribuntur. His, veluti in domo a patrefamilias ex reditibus propriis, alimenta præbentur ex communibus,

nibus, quorum nemo, ut suis, sed tantum ut communibus uti potest.

De patrimoniis recte constituendum esse omnes fatentur, quia inde seditiones sæpius oriuntur. Inde *Phaleas* Chalcedonius patrimonia civium (in democratia) æqualia esse debere statuit; idque perfacile factu esse, si statim ab ipsa civitate condenda recte provideatur. Postquam vero condita est, difficilius quidem, attamen sic satis exæquari (ὁμαλισθῆναι) facultates posse, si divites dotes dent, non accipiant, pauperes vero accipiant dotes, non erogent. *Plato* in legibus quadamtenus inæquale censet esse permittendum. Sed supra quintuplum ejus, quod foret minimum, nemini esse possidendum. Addit autem *Aristoteles*, hæc narrans, *L. II. Polit. c. 7.* qui patrimonio modum velit, eundem & filiorum numero modum imponere debere, ne irrita sanciat. Nam si excedat multitudo liberorum patrimonii facultatem, necessarium esse, legem abrogari, quæ nisi abrogaretur improba foret, & ex divitibus pauperes faceret. Solon inde constituit, ut non quantum quisque velit, sed quantum lex permittit, agri possideatur. Eadem ratione patrimonia sua alienare leges vetuere, ut apud Locros lege cautum fuit, ne quis patrimonium alienare possit, nisi evidentem calamitatem ostendat supervenisse; item ut antiquæ hæreditates conserventur. (Similia prostant Israelitarum statuta *Numeror.* XXVI. 52-55. *Levitic.* XXV. 10. 15. *sqq.* & *Deuteron.* XV. 2. 12. *seq.*). Quod sublatum apud Leucadem valde popularem efficit eorum civitatem, & æqualitatem quidem patrimoniorum constituit, verum aut tam largam, ut luxuria existat (ὥστε τρυφᾶν), aut ita exiguam, ut sordide vivatur. Perspicuum igitur est, non satis esse, patrimonia exæquari a legislatore, sed medium esse spectandum. Præterea si quis mediocria statuat omnibus patrimonia, nihil tamen proficiet: quia cupiditates magis sunt temperandæ vel exæquandæ (ὁμαλίζειν δεῖ) quam patrimonia (τὰς οὐσίας). Hoc autem fieri nequit nisi apud eos, qui legibus bene sunt instituti. Verum regerat fortasse Phaleas, hanc suam esse sententiam. Putat enim bonorum & di-

scipli-

ſciplinæ æqualitatem in civitatibus eſſe oportere. Sed unam eandemque omnibus eſſe diſciplinam nihil juvat. Nam poteſt una eademque & tamen hujusmodi eſſe, e qua proclives ſint futuri ad magis appetendum (πλεονεκτεῖν) vel divitias, vel honorem, vel utrumque. Nec tantum ſeditiones movent pauperes propter bonorum inæqualitatem, ſed propter honorem quoque præſtantiores, ſi ſint pares ipſis honores. Homines vero non tantum propter neceſſaria, ne algeant & eſuriant, injurias inferunt, ſed etiam, ut gaudeant voluptatibus vel moleſtiis careant, & avaritiam expleant. Quod igitur horum trium remedium? His quidem (pauperibus) exiguum patrimonium & opificium (ἐργασία); illis autem temperantia, tertium vero, ſi qui velint delectari cupiditatibus, illi non aliunde remedium (ἄκος) quærent, quam a philoſophia (morali).

§. 564.

Maxima ergo cura impendenda eſt in provehendam legibus æqualitatem virtutum, vitiorumque fugam. Salva enim diverſitate bonorum, honorum cæterorumque externorum ſtatuum felix eſſe resp. poteſt, quamvis forma ejus non ſit popularis (§. 150. P. VIII. *Jur. nat.*). Quapropter & popularis forma ſua potietur ſalute, etiamſi quantacunque in illa detur fortunarum dignitatumque differentia, modo animi pari gaudeant virtute, pari a vitiis abſtinentia, quoad ejus fieri poteſt. Ad hoc enim æqualiter omnes obligari homines, controverſia caret (§. 189. 328. *ſeqq.* P. I. *Phil. pract. univ.*) & (§. 278. P. I. *Jur. nat.*). Unde ſi homines æque ſtudeant virtutibus exæquandis, ac vulgus opibus, ſi in illis de principatu contendere & æmulari pulchrum exiſtiment, erunt omnes, ut debent, ſua ſorte contenti (§. 198. P. I. *Jur. nat.*); nemo aliis ſua invidebit, quæ divino munere & jure habet, ſed potius omnes ſe invicem juvare & perficere omni virium contentione connitentur, quatenus ſalvis officiis erga ſe ipſos fieri poteſt (§. 609. *ibid.*). Re-

Æqualitas potiſſimum in virtutibus quærenda.

ctc ergo se habebit democratia, si virtutum æmulationi æqualitatique adipiscendæ, quanta potest, opera ab omnibus navetur; quæ contentio vitiorum similem includet fugam detestationemque.

Nulli præclusa est virtus, inquit *Seneca L. III. de Benef. c.* 18. omnibus patet, omnes admittit. Non eligit domum, nec censum. Nec est, secundum *Ciceronem L. I. de Legg.* quisquam gentis illius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non possit. Hoc illud est remedium, quod a philosophia petendum dixit *Aristoteles*, qui recte ait, habere quidem aliquam utilitatem posse exæquationem patrimoniorum, sed non adeo magnam, quia præstantiores (χαρίεντες) conqueri possent, quod ipsi plus habere debeant, ut inde quoque seditiones excitari possint. Sed improbitatem hominum esse insatiabilem, qua semper plura in infinitum appetant. Infinitam esse cupiditatis naturam, cui explendæ multi vacent. Talium igitur animum potius, quam bona æquari debere, ut æqui reddantur nec velint injusta vel plus æquo appetere, improbos vero ita compescendos esse, ut non possint, etiamsi vellent. Quod fiet, si pauciores imbecillioresque sint, nec injuriam patiantur, vel pro meritis coërceantur pœnis *Lib. II. Polit. c.* 7. Postea *L. V. c.* 1. *Polit.* Populus, inquit, constat ex iis, qui cum sint quodammodo (ὁπωσοῦν) liberi, putant se simpliciter pares esse debere. Deinde quasi pares essent in cunctis, digni sibi videntur, qui omnium parem habeant portionem. Eamque ob rationem, quando non sortiuntur, de rep. pro sua opinione, quantum velint, seditiones movent. Omnium justissime insurgerent, qui virtute præcellunt, qui tamen minime omnium id faciunt, quanquam soli digni sint, qui præferantur.

§. 565.

Exæquanda utcunque meritis fortuna.

Non tamen abs re foret, si ratio virtutum & meritorum ita adæquaretur, ut quantum datur, in omni vitæ genere meritis eminentes, fortunis quoque eminere possent, & quamdiu id merentur, eminerent.

rent. Finis enim civitatis ut cujuscunque ita & popularis est salus publica (§. 36.), quæ vel primaria est, vel secundaria (§. 37.). Primaria absolvitur felicitate omnium atque singulorum, quanta haberi potest (§. 39.). Sed illa haberi nequit, nisi virtutum quarumque cultura, quanta in viribus humanis posita est (§. 40.). Et actiones virtutibus perfectæ sunt ea, quæ maxime attendi merentur, merita, & ob quas alii aliis obligantur (§. 785. *P. I. Philos. pract. univ.*). Secundaria autem salus involvit bonorum externorum fructum non impeditum (§. 42.), ideoque bona fortunæ publica, quæ homines reddunt, quantumpote fortunatos (§. 47.). Rectus vero fortunæ usus haud quaquam repugnat felicitati, sed eidem potius debetur (§. 48.), unde & in civitate conjunctis viribus opera navanda, ut, quoad integrum est, fortuna meritis respondere iisque adæquari possit.

Si meritis respondere debet fortuna, tanquam eorum præmium (§. 295. *P. I. Phil. pract. univ.*): majora merita, quamdiu revera sunt & manent, majori & lautiori digna erunt fortuna civili; eaque tamdiu eminentes virtute recte fruentur, quamdiu non degenerant, seque iisdem turpiter indignos reddunt. Iam necessum est, ut in qualibet etiam populari civitate varia admodum dentur vitæ genera, quibus homines honeste victum quærant & amictum (§ 515. *seqq.*). Quodsi igitur paritati civili litandum est in democratia, quoad licet (§. 508.), ideoque quoad salva omnium salute fieri potest (§. 509.): recte opera dabitur in democratia, ut in omni vitæ genere virtute & meritis suis excellere, quantum valent & volunt, omnes possint; & qui tales sunt, fortunis quoque potiri præ cæteris & possint & debeant, quantum merentur, & quamdiu merebuntur.

Occur-

Occurret hic facile dubium, virtutem non indigere fortuna, ſed, ut olim a Zenone velut ex oraculo editum eſt, ad beate vivendum ſe ipſa contentam eſſe. vid. *Cicero Lib. V. de Fin. c.* 26. *ſeq.* item omnia, quæ ad beatam vitam pertinent, in una poſita eſſe virtute *L. I. c.* 10. *Acad. Quæſt.*; vel ut *in Piſonem. c.* 18. diſſerit, tantam vim virtutis Stoici eſſe voluerunt, ut non poſſet unquam vir bonus eſſe non beatus, etiamſi in Phalaridis tauro incluſus ſuccenſis ignibus torreatur. Hinc *Lib. V. Tuſc. Quæſt.* ait: illa omnia ſubter ſe habet, quæ cadere in hominem poſſunt, eaque deſpiciens caſus contemnit humanos, culpaque omni carens, præter ſe ipſum nihil cenſet ad ſe pertinere. Non eſt hic locus diſcutiendi cuncta, quæ in dictis continentur. Quæ vera inſunt, ea concedentes, nihilominus affirmamus, & in fortunæ uſu virtutem fieri conſpicuam, non tantum, quando adverſa eſt, verum etiam, quando ſecunda. Sicuti Dei arbitrio diſpenſatur utraque ſapientiſſime, ut obtingat quæcunque ſalubrior eſt futura: ita bene merentibus ſecundam ab ipſo Deo tribui deſtinarique, præ cæteris caſibus veluti exceptis, aliunde ſatis habetur compertum. Idcirco ſi civitas in eundem finem, quam in ſuis habet manibus, fortunam regere ſtudeat, nihil faciet, niſi quod voluntati numinis officioque ſuo eſt perquam conſentaneum.

§. 566.

Quæ hic procurari poſſit analogia fortunæ?

Curandum, ut quilibet recte agens, pro ſorte ſua æque fortunas meritis augere in ſuo vitæ genere poſſit, ac alius quisque in alio quovis genere vitæ. Convenit enim, rationem meritorum ſecundarumque rerum ita in civitate adæquari, ut in omni genere vitæ meritorum habeatur ratio, ac meritis eminentes, emineant quoque proſperitate, quamdiu ſe illa non reddunt indignos (§. 565.). Sed iſta exæquatio virtutis proſperitatisque, quatenus conjunctis viribus in civitate fieri poteſt, vix aliter, certe non melius obtineri poteſt, quam ſi in conſtitutione & legibus civitatis curetur prudenter, ut quilibet recte

ſe

se gerens in suo vitæ genere, pro sua sorte natalium, ingenii, industriæ & facultatum reliquarum, fortunas cujuscunque conditionis nominisque æque possit amplificare, ac alius quicunque in alio quopiam genere vitæ. Quare hoc ipsum quoque in democratia speculandum, certisque rationibus æquitati apprime conformatis statuendum esse conficitur.

Vtor data opera rationibus, quas natura rei ministrat, non uni democratiæ propriis, sed omnibus civitatum genuinis formis, ex æquo applicandis. Fortassis autem difficile explicatu videatur, quomodo, quod præcipitur, effici atque obtineri possit, idque eo quidem magis, quo minus illud vel in populari, vel alia reip. forma usitatum dicatur. Quare non incongruum erit, paucis delibare, quod hic fusius pertractandum non censemus. Ponamus mercatorem illum gloriantem, se multas naves in oram maritimam dimisisse, cui Laco respondisse fertur, non sane optabilem esse istam rudentibus aptam fortunam, *in Ciceronis L. V. Tuscul. Quæst. c.14.* Seposita vana gloriatione & temeritate insolenti, sit ille mercaturæ nauticæ peritus, prudens & probus. Sit pretium emtarum mercium $=m$, navis$=n$, operarum$=o$, periculorum & damnorum$=d$, vectigalium & sumtuum cæterorum ac usurarum$=v$.; & lucrum, vectigalibus, sumtibusque solitis & modicis deductis$=l$, impendia honesta in habitationem, victum cultumque reliquum decentem, quæ ex commercio petendæ sunt$=i$. Computemus expensa æque ac accepta in decennium, quia variare solent, ut numerum quendam medium & constantem interea æqualemque obtineamus pro singulis enarratis momentis. Æquat igitur lucrum quotannis a hoc est accepto, demtis e vel expensis vel $l=a-e$. Accepta constabunt ex pretio mercium vendendarum & venditarum$=p$, & ex impendiis. Literis illud exprimetur sic: $a=p+i$. Expensa autem quotannis conficientur parte decima pretii emtarum per decem annos mercium, parte decima pretii navis, damnorum, operarum, vectigalium & sumtuum factorum, ut sit $e=m+n+o+d+v$, eaque in toto

decennio decupla, singulis annis subdecupla. Conferamus summam ab initio in discendam mercaturam, adquirendum jus civitatis & mercatoris, in navem construendam, merces coëmendas, cæterasque expensas faciendas, antequam ulla pars lucri percipi potuit $= s$ cum lucro integri decennii, & dabitur ratio illius summæ ad hoc lucrum $= s : l$, quam exempli causa fingamus esse ut 1 : 5 hoc est quintuplam. Esto jam opifex non minus peritus diligens & probus, omissisque cæteris in ipsius emenda instrumenta, officinam boëthos &c. insumendis, ponamus ipsius quoque annuum lucrum $= a \cdot e$, derivatum ex eodem decennio, & in eodem loco perceptum. Si intra decennium pari virtute ac mercator ipsius $s : l$ est æquale ipsius mercatoris $s : l$, erit ratio etiam quintupla. Si eodem modo eruditi $s : l$, aut rustici $s : l$: cæteris paribus itidem quintupla gaudent ratione; nemo diffitebitur, parem in illa civitate dari analogiam in his vitæ generibus. Quod facile nunc ad cætera vitæ genera transferetur, & si reliquis paribus eadem ratio $s : l$ reperiatur, omnium vitæ generum par erit ratio, quam a repugnantia liberam esse, itaque sapienter constitui posse, per se patet. Utimur hic fictione, acsi nihil inter diversa vitæ genera interesset, uti vulgus plerumque opinatur, cui vix approbetur libra Critonis, qui in alteram lancem bona animi imponens, in alteram bona corporis & externa, tantum propendere illam boni lancem ponit, ut terram & maria deprimat, autore *Cicerone L. V. Tusc. Quæst. c. 17.* Si vero plebi hæc libra non arrideat, cætera tamen æqualitati populari respondere videbuntur.

§. 567.

Item proportio onerum & emolumentorum publicorum. *Neque negligenda est in civitate populari ratio eorum, quæ in ærarium publicum & ad salutem omnium conferuntur, ut onerum meritorumque mensuræ respondeant jura & emolumenta.* Est quippe in populari civitate habenda ratio æqualitatis naturalis (§. 508.). Cum omnis civitas vera sit societas (§. 31.), & naturali æquitate lucra in societate percipiantur pro rata collatarum symbolarum operarumque (§. 432. *P. VII. Jur. nat.*): etiam in civitate

te commoda diſtribuenda ſunt in eadem ratione, qua incommoda ſunt diſtributa. Vti ergo ſimplum tribuens, ſeu quod in collatis minimum eſt, non niſi ſimplo vult affici damno, quando duplum conferens duplum ſentit damnum, ita nec niſi ſimplici commodo gaudere debet, quando alter duplici gaudet. Quæ proportio lucri & damni in cæteris collatorum diverſitatibus itidem in ſocietatibus mercatoris recepta eſt, ut v. c. qui ad finem ſocietatis conſequendum plus confert, ejus quoque ſuffragium valeat pro rata collati ſui ad collatum minimum (§. 120. *P. VII. Jur. nat.*). Quapropter patet, in populari civitate hujusmodi habendam eſſe rationem eorum, quæ in ærarium & ad ſalutem populi conferuntur, ut incommodis & oneribus publicis ſuſtinendis ac meritis reſpondeant quoque commoda, jura & emolumenta percipienda.

Agimus de eo, quod generatim æquitatis & æqualitatis eſt naturalis in democratia obſervandæ, non negantes, poſſe quemlibet juri ſuo renuntiare, idque in alium transferre, idque pacto intercedente firmare. Quod & in minoribus ſocietatibus liquido patet, ut ſi quis liberalis eſſe velit, lucrum ſuum ſaltem ex parte in alium vel alios donando transferre poſſit. Confeſtim patet, pertinere hoc ſtudium æqualitatis ad juſtitiam, ſuum cuique tribuentem, & in lucris damnisque meritorum rationem habentem. De qua *Ariſtoteles Nicomach. L. V. c. 5.* juſtitiæ, inquit, una ſpecies eſt, quæ in diſtributione honoris, pecuniarum cæterarumque rerum, quæ dividi inter eos posſunt, qui participes ſunt ejusdem civitatis. In his enim uſu venire ſolet, ut alii æquum alii iniquum conſequantur. Et *cap. 6.* pergit: In quacunque actione eſt plus & minus, in eadem eſſe & æquum (ισον) neceſſe eſt - - - Inde lites & criminationes (εγκληματα) oriri ſolent, cum aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia conſequuntur. Hoc autem ex eo, quod pro dignitate ſeu merito (κατ' αξιαν) jus diſtribuendum eſſe omnes fatentur. Dignitatem autem democratia ponit in

libertate, oligarchia in divitiis & nobilitate, ariſtocratia in virtute. Iuſtum igitur in proportione conſiſtit, & quia proportio eſt æqualitas rationum, juſtum eſt, ut quemadmodum a ad b ſic ſe habeat c ad d. Hinc *cap. 7.* docet, & lucrum, quo quis plus nanciſcitur, quam ante habebat, & damnum, quo minus habet, quam a principio habuerat, in partes æquas eſſe diſtribuendum, idque ſecundum meritorum proportionem in diſtributione bonorum publicorum, ut plus accipiat, qui plus contulit vel meruit (κατα τον λογον τον αυτον, όνπερ εχουσι προς αλληλα τα εις ενεχθεντα). Ita Dercillidas murum ducendum in milites partitus eſt, præmia promittens non iis ſolum, qui primam ſui muri partem abſolviſſent, ſed etiam aliis, prout quisque mereretur, teſtimonio *Xenophontis græcar. Hiſt. Lib. III.*

§. 568.

Ne facile oboriatur ochlocratia.

Si meritorum ratio debite habeatur, egeni & rudes, quorum in democratia plerique ſunt, non poterunt eam facile corrumpere in ochlocratiam Si enim meritorum ratio habetur in civitate populi, habenda eſt ratio eorum, quæ ad ſalutem omnium conferuntur, eaque hujusmodi, ut meritorum menſuræ reſpondeant quoque jura & emolumenta (§. 567.). Sed ad ſalutem publicam faciunt tum onera communis boni cauſa ſubeunda, ſive conſiſtant in operis, quæ ſua æſtimantur mercede, ſive in tributis & vectigalibus ærario populi inferendis, unde ſumtus publici & ſalaria petantur, ſive in artibus & ſcientiis, indeque profectis in publicum meritis, prout æquiſſime fieri poteſt, adæquandis (§. 565. *ſeq*). Indubium vero eſt, unum divitem plus conferre in ærarium publicum, quam multos pauperes; unumque verum politicum plus conferre ad ſalutem civitatis, quam admodum multos aut omnes rudes. Eapropter ſi meritorum, uti par eſt ratio habeatur, facile obtinebitur in democratia, ne pauperes rudesque prævaleant & ochlocratiam inducant.

Ideo

Ideo in prima democratiæ ſpecie quam maxime æquitati conformatam ait, *Ariſtoteles L. IV. Polit. c. 4.* legem requirere, ut nihilo plus valeant pauperes quam divites, nec divites plus quam pauperes, ſed ut utrique ſint æquales. *Cap. XI.* valde, inquit, optandum eſſet, ut qui in rep. verſantur facultates habeant mediocres ſufficientesque. Vbi permultum eſt mediocre, ibi ſeditiones & diſcordias non naſci. Ideo tutiores diuturnioresque eſſe democratias, in quibus multi ſint mediocres. Quando inops multitudo plus poteſt, male ſe res habent, ac cito pereunt. Plura de meritis æſtimandis derivari ex ſuis fontibus poterunt ſuo loco.

§. 569.

Et ſuperiori & inferiori magiſtratu opus eſt in democratia.

Quia populus in democratia nequit negotia publica per ſe agere niſi in comitiis (§. 174. *P. VIII. Jur. nat.*), & cavendum eſt, ne comitia præter neceſſitatem multiplicentur prorogenturve (§. 553.): opus eſt, ut omnia quæ quotidiana ſunt, aut moram non ferunt, aliis committantur expedienda. Quo gravioris momenti ea ſunt, quæ his ſunt committenda, eo melius his ſtatus reip. debet eſſe perſpectus, ut, quid e re ciuitatis ſit, rectius aliis indicare queant, eoque magis ſunt obligandi, ne quid ipſorum culpa detrimenti capiat reſp. Ex adverſo ad res minoris momenti adminiſtrandas, easque peculiares, ſuis locis adhibendi ſunt, qui illis pares ſunt, & ad eas quam optime curandas obſtricti. Cum qui a populo conſtituuntur, ad partes populi ſibi demandatas ſecundum leges adminiſtrandum, magiſtratus ſint (§. 535.): perſpicitur, *duplici opus eſſe in democratia magiſtratu, altero ſuperiori, qui res gravioris momenti, altero inferiori, qui minoris momenti res publicas expediat.* Quia ſuperior magiſtratus ordinarius dici ſolet ſenatus (§. 188. *P. VIII. Jur. nat.*), ſenatus in democratia eſt neceſſarius, eique tanto plus autoritatis poteſtatisque conferri debet, quo rarius comitia ſunt habenda (§. 189.

ſeq. ibid.). Extra ordinem conſtitutus ſuperior magiſtratus, dictator apud Romanos fuit.

De Laconum Rep. exponens *Ariſtoteles L. II. Polit. c. 9.* reprehendit eos his verbis: At quæ circa ephoros conſtituta ſunt, prave ſe habent. Hic enim magiſtratus maximarum apud illos rerum poteſtatem habet. Sumuntur autem ex plebe omnes, ut multoties contingat, homines valde pauperes in hac poteſtate conſtitui, qui propter egeſtatem venales ſunt - - - - De ſenatu (γερϛσιας) eorum docet, illum fuiſſe virtutis præmium, nec niſi præſtantiſſimis hanc dignitatem obveniſſe. Ephoriam quidem ipſam ſuo relinquit loco, ſed modum ex omnibus ephoros legendi ſine ſuffragiis, & adminiſtrandi ephoriam ſine legibus nec non victum Ephororum luxurioſum & diſſolutum improbat. In Cretenſi rep. eadem poteſtate gaudebant Coſmi, qua Ephori Spartæ, quorum fuere decem, Ephororum tantum quinque *cap. 10. ibid.* Præter quos itidem ibi ſenatus fuit, electus ex iis, qui Coſmi fuerant. Sed in hoc & in Coſmis reprehendit, quod tantum e certis familiis adſciſcantur, nec rationes reddere obligentur, & pro libitu ſuo, non ſecundum leges imperium exerceant. Poſtea *cap. XI.* Carthaginienſium laudat magiſtratum centum & quatuor virorum, Ephoris ſimilem, niſi quod ex melioribus eligitur, & ſenatum, cujus ſelectum dein appellare videtur quinqueviratum (την πενταρχιαν) ex centumviratu eligendum. Centumviratus cauſas civiles, ſenatus capitales in hiſce Rebusp. decidit. Plura de his dabit Ubbo Emmius *T. III. veteris Græciæ.* Quem hic dictatorem diximus, is aliis rex, dux, & imperator vocatur (§. 538.). Recentiorum magiſtratus ſuperiores & inferiores diverſis nominibus appellari obiter ſubmonemus, quæ in Helvetiorum aliisque democratiis & mixtis quoque formis rerump. reperiuntur, nec hic ſunt commemoranda.

§. 570.

Quænam ſuperiori quo- *Niſi lege præfinitum ſit tempus ordinariorum comitiorum, ſuperiori magiſtratui recte committetur Jus populum convocandi ad comitia,* tum

tum ſolita tum inſolita, cum jure proponendi, ſaltem ſuppeditandi proponenda illi, cui directio comitiorum datur. Poteſt enim tempus ordinariorum comitiorum legibus ita præfigi, ut ſtatum ſit & maneat (§. 549.). Quod ſi ſatis ſuperque omnibus conſtat, vix opus erit convocatione, niſi eorum cauſa, qui obliviosi ſunt, & admoneri cupiunt. Si qua autem extra ordinem incidunt negotia maximi momenti, quæ niſi in comitiis examinari & definiri nequeunt (§. 534.) & (§. 556.) jus convocandi ab omnibus exerceri commode nequit, itaque ordinis ergo illud æque ac jus proponendi &c. uni conferendum eſt, qui illud legitime exerceat (§. 551.). Enimvero quia ſenatus vel magiſtratus ſuperior, quænam ejusmodi res ſint, & quando contingant, eas melius novit ac quisquam, aliisque rebus ſimilibus præfectus eſt: eo minus ille erit hac in re prætereundus, quo rectius in aliis vicibus populi fungitur Convenit igitur illi, aut ejus præſidi præſertim, tale jus præ cæteris, tum ob peritiam rerum publicarum recte tractandarum, tum ob integritatem in procuratione magiſtratus exploratam. Ea de re ſenatui democratico recte committetur jus convocandi ad comitia jure ipſorum frequentandorum gaudentes, ſive comitia ſint ordinaria ſive inſolita, una cum jure proponendi deliberanda & concluſa formandi, ſaltem directori comitiorum ſubminiſtrandi proponenda atque definienda in comitiis.

ad comitia recte committantur.

Quoniam a voluntate populi pendet, cui & quatenus credere jura dicta velit, apud alios aliis illa fuere demandata. Videntur illi, qui primi in ordine & populo gratiſſimi erant, verbi cauſa Prytanes Athenienſium, Eponymi Laconum, & Conſules Romanorum, quorum nominibus annus ſignabatur, iſto jure gaviſi eſſe. De Prytanibus *Emmius Lib. cit. p. 27.* refert. Prytanes ex officio ſuo non ſolum ſenatum convocabant & regebant, ſed etiam conciones totius populi. Diſtinctius vero p. 32. docet: **Convocandi conciones ordinarias jus habebant prytanes**

tanes illi, qui proxime poſt epiſtatam & proedros prima ſubſellia in iis tenebant. Verum proëdri hi, cum epiſtata ſuo, alii fuere ab illis, qui in ſenatu 500 virorum ita dicebantur, pares quidem cum iſtis numero, ſed ſingulis in concionibus ex ſingulis tribubus (9) quæ tum prytaneatum non habebant (& decima erat) ſorte ducti, epiſtata ſimiliter lecto ex ea, penes quam prytaneatus tum erat, horumque munus, ut cum concionis principio ſurgebat, ita cum ejusdem fine exſpirabat. Idem p. 40. pergit: Conciones ordinarias, quæ ternæ ſingulis prytaneis (h. e. 35 diebus ſive decima parte anni lunaris) habebantur, ex lege & voluntate ſenatus prytanes indicebant, & cum proëdris ac epiſtata in iisdem præſidebant. Extraordinarias, quæ numero & tempore incerto pro rebus natis cogebantur, interdum quoque Prytanes iidem volente ſenatu, ſæpius vero Strategi, ſi de bello agendum eſſet, neſcio an etiam rarius Archontes 9 convocabant, & qui convocabant, ut plurimum cum proëdris prima in iis ſubſellia tenebant, de negotiis referebant, actionemque dirigebant &c. De Spartanis idem p. 132. ſcribit: Concio ampliſſimum fuit totius populi concilium, a magiſtratu convocatum, penes quod ſumma erat rerum laconicarum poteſtas. Populo cenſebantur cives liberi, legitimo matrimonio e liberis laconicisque parentibus nati, rite educati & jam ætate tricenarii; & ſi qui præter hos erant civitate donati. Per magiſtratum vero vix alium intelligere licet, quam Ephoros, eorumque caput, ἐπώνυμον. De his enim p. 126. legitur: adminiſtrabant domi pæne omnia, quæ aliquod momentum in rep. habebant, concionem populi regebant, bellum pacemque concionis ſuffragiis ſciſcebant &c. Sed abrumpendum hic eſt brevitatis cauſa, & optandum, ut, cui vacat, par his excutiendis vir, omnem democratiarum antiquiorum recentiorumque inſtitutionem rerum publice gerendarum, una cum modo eas gerendi, & eventu ejusque cauſis in ſua capita digereret, & ſic politicam democraticam pleniorem, hiſtoriæ monumentis ſatis confirmatam, concinnaret.

§. 571.

§. 571.

Qui in senatum cooptandi sunt, merito vel omnes vel saltem Senatores majori ex parte tales esse debent, qui suam in rebus publicis gerendis cujusmodi scientiam, sapientiam, prudentiam, fidemque & integritatem satis requirantur. fecere testatam. Senatus enim & generatim magistratus superioris est cura rerum publicarum, legibus recte adstrictarum, gravioris momenti (§. 569.). Interest igitur civitatis popularis, ut res insignis momenti ad legum normam recte peragantur. Sed hoc fieri nequit, nisi a viris peritissimis rerum legumque & integerrimis. Quinam vero tales sint, intelligi melius nequit, quam ex eorum muneribus publicis antea rite gestis. Eapropter liquet, in senatum non cooptandum, nec magistratui alii superiori præficiendum esse, nisi qui suam in publicis rebus gerendis scientiam, sapientiam, prudentiam, fidem quoque & integritatem satis luculenter omnibus approbavit. Quod eo magis necessarium esse intelligitur, si vel unus tantum requiritur, aut pauci, & quo pauciores eidem præesse debent. Quando vero magnus placuit senatorum numerus, saltem plerique aut quotquot tales haberi possunt, adhibendi; reliquis ad meliora, quæ audiunt præferenda adstrictis; omnibus vero ad reddendas populo rationes obnoxiis (§. 535).

Hujusmodi Athenis erat senatus areopagiticus, de quo *Cicero L. I. officiorum c. 22.* scribit: Quamvis laudetur jure Themistocles & sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius, citeturque Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit (melius) Areopagitas: non minus tamen præclarum hoc, quam illud judicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati; hoc consilio leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur &c. Seminarium hujus senatus erant novem viri. Solon enim allegit in eum novemvirum munere sine vitio defunctos, voluitque

idem deinceps fieri quotannis. Erant autem novem viri archontes annui, ex genere, opibus, gratia prævalentibus electi, vitæ & famæ integræ viri, solenniter jurantes, se leges esse servaturos, nec dona accepturos, aut si de acceptis convincerentur, statuam auream ejus magnitudinis, cujus erant ipsi, Delphis se repensuros. Lex ipsa jubebat, ut novemviri, annuo munere exacto, examini se sisterent apud ratiocinatores & correctores (εὐθυνὰς), rationes actorum suorum reddituri. Quod examen tam severum fuit, ut publica præconis voce excitarentur ad eorum accusationem æmuli & causam querendi habentes. Tum demum honos ille iis tribuebatur, cum sine labe reperti erant. Venerandum scilicet hunc senatum Solon labis omnis expertem voluit, qui summam autoritatem in tota civitate esset habiturus. Quamobrem non alios, quam in maximis reip. negotiis jam ante versatos, & culpæ exsortes senatores esse voluit, cui excubias in omnes reip. partes legum ac institutorum bonorum conservationem tribuit, & vitiorum avertendorum curam demandavit, nec minus cognitionem criminum gravissimorum & capitis pœna dignorum, ac censuram morum ac vitæ civium quorumque. Quo munere suo is senatus quid quisque civium ageret, quo quæstu se suosque sustentaret, inquisivit, ignaviæ, inertis otii, petulantiæ & nequitiæ compertos pœna affecit; prout damnavit puerum, quod coturnicibus oculos eruere consueverat indicio pravæ indolis. Vnde quidquid bonorum morum fuerat ante sua tempora, quidquid studii virtutis, cum res atticæ florerent, id *Isocrates*, vir summi judicii, senatui areopagitarum adscripsit. Qui etiam memorat, tantæ gravitatis hunc fuisse senatum, ut si quis minus probatus in eum obrepsisset, is compressa pravitate ex concilii institutis deinceps rectius vivere compelleretur. Athenæus enim ex Hyperide Oratore, Demosthenis æquali prodit, ad excludendum quenquam hoc gravissimo consessu satis criminis fuisse, in caupona sedisse & cibum ibi cepisse. Quæ *Emmio* debemus *loc. cit. pag.* 17. 20. *seqq.*

§. 572.

§. 572.

Magistratum superiorem aliter quam suffragiis legere non licet, nisi ex pluribus æque dignis electio sorti committenda videatur. Magistratus enim superior vel in democratia non est constituendus, nisi qui in rebus publicis a se gerendis suam scientiam, sapientiam & prudentiam, æque ac fidem dexteritatemque, luculentis speciminibus, idoneis quibusque rerum illiusmodi arbitris, dedit probatam (§. 571.). Ecquis vero sit hujusmodi virtutibus meritisque insignis, id nisi intelligentes incorruptique censores judicare, & rerum gestarum indubitata fide convicti exploratum habere nequeunt. Quare hi sunt electionis istius arbitri constituendi, & horum suffragiis ejusmodi munus conferendum erit in dignissimum. Siquo casu plures occurrant æque digni æmuli, & dubium videatur vel inconsultum, suffragiis definire, quis reliquis mereatur anteponi: prudenter sorti committi poterit electio, declinandæ invidiæ, & testandæ parium virtutum ac meritorum paris æstimationis causa. *Quomodo superior magistratus sit eligendus.*

Quia æqualitati populi arridet creatio magistratus per sortem, sorte vero & urna mores non discernuntur; suffragia vero ad ambitum patent; miscendi hi modi absque vitio erunt, secundum *Arist. L. IV. Polit. c. 15. & 16.* prout Tarentini *ibid. L. V. c. 5.* præcipuos suffragiis, reliquos sorte legerunt. Areopagitas Athenis æque ac Novemviros non nisi deliberato liberisque suffragiis ex optimis honestissimisque civibus lege Solonis eligi oportuit. Ita enim *Aristoteles L. II. Polit. c. 12.* Videtur Solon, senatum (βȣλην) Areopagi & magistratuum delectum (τας αρχας αἱρεσιας), cum essent antea, non sustulisse, judicia tantum de illis ad populum transtulisse. Quapropter quidam illi succensent, quod nimium populo indulserit & priora dissolverit, autoritatem omnem ad judicium sortito constituendum traduxerit. Sed defendit Solonem, quod recte eam, quæ necessaria fuit, populo potestatem tradiderit, creandi magistratus & malefacta ejus corrigendi (το αἱρεσθαι και ευθυνειν). Nisi enim

populus hanc poteſtatem habeat, & ſervum eum fore, & inimicum (πολέμιον). E quibus apparet, penes concionem fuiſſe rerum ſummam, & poteſtatem magiſtratuum ſuffragiis ſecundum leges eligendorum, & rationum ab iis repoſcendarum. Quo ipſo factiones civitatem ſcindentes feliciter extinxit. Quoniam tamen *Demoſthenes in Leptinea* diſertis verbis aſſerit, non cenſuiſſe Solonem, cum certum modum ferendarum legum novarum præſcriberet, (thesmothetas) legum curatores ſorte conſtitutos (κληρεμένες) bis oportere examini ſubjici antequam ad magiſtratum ineundum admitterentur (δὶς δοκιμαϑέντας ἄρχειν); & Plutarchus in Pericle hanc cauſam, cur in Areopagi ſenatu non fuerit, oſtendit, quia Archon, rex, polemarchus & thesmothetæ antiquitus ſorte creari ſolebant, & ſors ei non favit: concilianda hæc mihi ſic videntur, populum ſuffragiis novem viros plures elegiſſe, e quibus deinde quotannis ſorte illi novem electi ſint, qui muneri præeſſe debebant. Sic enim fieri potuit, ut vel ſæpius electus Pericles, tamen ſorte factus non ſit novem vir, nec ideo areopagita.

§. 573.

Suffragia legibus attemperanda ſunt.

Vt electio magiſtratuum ſuperiorum ſuffragiis populi recte fiat, legibus occurendum eſt & inſcitiæ eligentium & affectibus perverſis. Nihil enim convenientius eſt ſaluti publicæ, quam ut rempublicam adminiſtrent, qui id optime facere & poſſint & velint, nec ſecus acturi ſint, hoc eſt optimates (§. 567 & 571.). Quare quando jus eligendi magiſtratum ſuperiorem populo eſt reſervatum, quia major populi pars eſt rudis & imperita, omnis vero populus affectibus facile in pernicioſa abripi poteſt, & teſte hiſtoria ſæpius ſolet: legibus, ad normam legum naturalium conditis, docendus firmiſſimeque obligandus eſt, ad ea in ſuffragiis ſpectanda, quæ ſalutis publicæ ratio poſtulat. Hinc ut inſcitiæ populi occurratur, docendus eſt eas virtutes, quæ requirantur ad magiſtratum, & obligandus, ne quem eligat niſi illis præditum. Vt vero affectibus perverſis obex pona-

ponatur, obligandus eſt, ut nec donis, nec prenſationi, nec nexui ſanguinis & ſimili locus relinquatur.

Quæ leges a Solone in areopagitis eligendis fuerint præſcriptæ, notavimus ad §. 571. *ſeq.* De archontum electione præſcribebat lex, ne quis, niſi vitæ eſſet caſtæ & famæ integræ, & utroque parente, avo & proavo, item avia & proavia, civibus atticis ingenuis & honeſtis e legitimo matrimonio ortus, in eosque officioſus in hoc collegium reciperetur. Idcirco excluſi ab hac dignitate fuere peregrini, etiamſi civitate donati, quamvis ex his poſt acceptam civitatem geniti in id recepti. Præterea muneris partes ſingulis in collegio attributæ, quia aliæ erant archonti, aliæ regi, aliæ polemarcho, aliæ thesmothetis, ſimul monebant, quibus rebus diſcutiendis pares eſſe deberent eligendi. Nec deſignati ante ad ineundum munus admittebantur, quam ſenatui de natalibus, tribu, ante acta vita, officiis in parentes interrogati ita, ut leges poſcebant, reſpondiſſent, probatique in judicio eſſent. Vid. *Emmius L. cit. p. 17. ſeq.*

§. 574.

A peritioribus digni ſiſtantur candidati.

Imperitiæ plebis conſuli poteſt ſi aliis peritioribus concedatur jus dignos, e quibus electio fiat, item leges ſalutares populo offerendi. Hoc enim modo & ignorantiæ plebis medela affertur, & cavetur, ne indignos eligere poſſit, quando ex oblatis electio facienda (§. 573.). Si igitur peritiores illi adſtricti ſint, ad eos tantum exhibendos, qui digni ſint futuri, & pœnas dare cogantur, ſi indignos exhibuiſſe & pro dignis venditaſſe intelligantur: eo minus aberrabit electio, quo magis populo conſtat, eſſe commendatos tales, quales eſſe per leges debent. Hinc plurium candidatorum copia a peritis commendata obſtat, ne imperitia populi in electione a ſcopo aberret. Legum ferendarum par eſt ratio.

Notum eſt, cœcos recte obambulare poſſe, ſi duce utantur oculato, recte eos ducente. Sit igitur plebs cœca & neſcia, quid ſit in electione ſectandum, fungetur ſuo officio, modo

ſequatur duces peritos, recte eam inſtruentes & fraudis expertes pariter ac culpæ exſortes. Quis neſcit, recte eligi liberorum præceptores, qui a peritis fidisque amicis ſunt commendati, quibus tuto fides habetur? Pari modo ſi in plebe dentur, ut fieri aſſolet, alii aliis inſtitutione, educatione, ætate, experientia & prudentia præſtantiores, his injungi poterit, ut commendent ex iis, quos penitius norunt, tales, qui præeſſe muneri obeundo recte poſſint. Hinc ſi minimum duo, loco iſthoc digni commendentur, eligi alteruter a populo recte poterit. Qui a populo factas electiones ſacerdotum perſpectas habent, paſſim his conſentanea uſitari deprehendent. Neque ignotæ ſunt in democratiis civiles electiones tam conformes, ut ovum non ſit ſimilius ovo. Athenis ſenatus formabat ſuffragiis occultis Senatus conſulta (προβελευματα), quæ non niſi annua erant, ſed ſi a populo in concione chirotonia approbabatur, legis perpetuæ vim nanciſcebantur. Qua re Solon caverat, ne quid improvide a populo ſciſceretur. Vid. *Emmius p. 28.*

§. 575.

Remedium contra affectus eligentium.

Prævio delectu plurium loco magiſtratus dignorum, vel ſorte ſic abſolvi electio poteſt, ne eligentium affectus quidquam temerare poſſint. Nempe in electione ſuperiorum magiſtratuum a populo peragenda occurrendum eſt perverſis affectibus, qui vitiare electionem ſolent (§. 573.): Enimvero ſi eligendi ab aliis commendentur ea lege, ne dubium eſſe poſſit, eos eſſe ſparta iſta dignos, ſubvenitur primum imperitiæ populi præſertim plebeji (§. 574.). Deinde vero perinde eſt, utrum populus ſuffragando unum ex candidatis ob rationes externas ad rem parum vel nihil facientes eligat, an alio quocunque modo electio finiatur. Jam fieri electio ob rationes licitas decentesque etiam ſorte poteſt, cujusmodi exemplum adfuit (§. 572.). Sed licita atque decens eligentes ratio etiam hæc eſt, ſi oſtendere in electione ſua & convincere alios velint, quod nihil affectui forſitan pravo dare velint, ideoque ſortem, quæ id clariſſime comprobat, adhibeant, quod per ſe planum eſt. Ergo non eſt, cur ambi-

ambigamus, ſi præceſſerit delectus plurium æque dignorum ad ornandum iſtum locum, ad omnem vel ſpeciem affectuum pravorum removendam electionem ſorte abſolvi rite poſſe.

Hæccine ratio Solonem moviſſe dicatur, ut in electione magiſtratuum populo athenienſi danda ſorti locum reliquerit? Dedimus jam locum Demoſthenis & Plutarchi, id docentium ad §. 572. Addemus vero hic & alterum ſenatus Athenienſem quadringentorum virorum etiam moderandæ concioni populi a Solone deſtinatum. De quo hæc Xenophon memorat: Huic ſenatui (βȣλὴν vocat) deliberandum de bello, de pecuniæ copia paranda, de legum latione, de iis, quæ quotidie in rebus urbanis accidunt, de ſociis quoque; illi accipienda tributa, item cura navalium (νεωρίων) & rerum ſacrarum ſuſtinenda„. Horum ſenatorum munus ex lege duntaxat annuum fuit, deſignatio vero quotannis ita fiebat. Curatores aut præfecti tribuum ſingulorum ſtato anni die nomina omnium tribulium ſuorum, *qui vel per ætatem, vel per claſſem honoris hujus capaces erant*, honoremque petebant, in vas unum, huic rei idoneum conjiciebant; in vas alterum vero totidem fabas, quarum centum erant albæ, reliquæ omnes nigræ, inferebant. Tum ordine nomina ſingulorum, cum ſingulis fabis ex utraque urna extrahebantur, & quorum nomina cum fabis albis exierant, illi ſenatores erant deſignati. Sic ex quatuor tribubus numerus ſenatorum 400 complebatur, totaque hæc res incertæ ſortis erat. Deinde ex omni ſenatorum novorum numero Prytanes etiam ſortito deſignabantur, qui quaſi compendium hujus ſenatus conficiebant, totumque ſenatum velut ejus principes regebant, ſive 40 ſive 50. Hoc enim parum ex veterum monumentis quoad Solonis inſtitutum liquet. Vid. *Emmius Lib. cit. p.* 24.

§. 576.

Suffragia autem vel ſunt aperta, vel occulta. Aut enim auctores ſuffragiorum volunt aliis noti eſſe, aut nolunt. Si velint ab aliis ſuffragatoribus agnoſci cujusmodi tulerint ſuffragia, eorum ſuffragia erunt aperta. Sin declinandi mali cauſa malint igno-

Quæ ſuffragia ſint aperta, quæ occulta?

ignorari ab aliis ſuffragatoribus ſua ſuffragia, eorum ſuffragia erunt occulta & ἀδέσποτα. Quare aperta ſuffragia erunt, quorum autores nolunt ignorari; occulta autem quorum autores volunt ignorari tum, quum ſuffragia feruntur. Quia nolens non vult, volens autem vult, quale ſit ſuum ſuffragium, aliis ſaltem ſuffragatoribus compertum eſſe: liquet, ſuffragia, quæ feruntur, vel aperta eſſe vel occulta.

Occulta honorum ſuffragia *Cicero* uſurpat, & *de Legibus Lib. III. c. 15.* verſabor, inquit, in re difficili, ac multum & ſæpe quæſita, ſuffragia in magiſtratu mandando - - clam an palam ferre, melius eſſet? in ſequentibus innuit, clam illa ferri, cum ignorant alii, quid quisque ſentiat. Vnde aperta erunt, cum non ignoſcatur, quid quisque ſuffragantium ſentiat. Aperte ſuffragatur v. c. qui nomini ejus, quem eligit, ſuum nomen ſubſcribit.

§. 577.

Diviſio apertorum ſuffragiorum.

Aperta ſuffragia verbis declarata, dicuntur *expreſſa*; factis autem deſignata, *tacita* dici poſſunt. Expreſſa vel viva voce, vel ſcripto declarantur. Tacita vel nudo actu manuum, pedumve indicantur, vel aliis ſymbolis ſignisque receptis. Manuum ſublatio (χειροτονία) in Græcia uſitatum fuit populi ſuffragium. Romani porrecta manu oſtendere, item ire in ſententiam pedibus ſolebant, aggregando ſe illi in diſceſſione, cujus ſententiam amplectebantur. Signa autem ſententiarum communi conſenſu pro arbitrio ſtatuuntur, cujusmodi erant vultus, applauſus & Germanorum veterum fremitus aſpernantium, & approbantium concuſſio framearum. Vid. *Tacit. c. 11. de Germ.*

Plinius quidem *L. III. Ep. 20.* tacita ſuffragia vocat ea, quæ modo occulta diximus, & manifeſtis opponuntur; forte quia a tacitis feruntur. Sed quia aſſenſus tacitus factis ſolet indicari non dubiis, aperta & hæc erunt ſuffragia, quæ factis ita oſtendun-

duntur, ut quid sentiat suffragator, reliquis probe innotescat: placuit tacitum referre potius ad apertum quidem sed non ex verbis, verum ex factis. Athenis solenne erat in concione suffragium ipsa chirotonia. Vid. *Emmius de republ. Atheniensium p. 33.* Qui *p. 37.* addit: utebatur populus ut plurimum chirotonia, sive leges ferret in concione, sive magistratus omnis generis crearet, aut imperia daret. Discessionem dissidentium in partes seu loca diversa in regum Poloniæ electione hodieque obtinere, vix monendum est.

§. 578.

Occulta suffragia nomen suffragantis non produnt, ideoque vel *sigla quadam* aut nomine candidati qui eligitur, *insigniuntur*; vel *solo colore signi sententia declaratur*. Hæc colorata dici possunt, uti Græcorum (ψῆφοι) calculi albi & nigri, item fabæ albæ & nigræ. Illa autem literata seu literis inscripta, v. c. A tabellæ inscripta notabat absolvo; C vero condamno; & N. L. non liquet. In Electione magistratuum nominum initia tabellæ inscribebantur, ut ex tabella quidem pateret, istum candidatum placere, non vero cui civi istud suffragium debeatur. *Occultorum suffragiorum divisio.*

Dicebantur Romæ leges tabellariæ, quibus tabellæ populo suffragaturo conceduntur. Quarum quatuor *Cicero* recenset *L. III. de Legibus cap. 16.* Prima de magistratibus mandandis lata fuit a Gabinio, homine ignoto & sordido. Cæteras loco citato enarratas reperiet pluribus, quas non attinet, cur hic adducamus. Cujusmodi tabellam ceratam fuisse cera legitima, alibi docet.

§. 579.

Si res, de qua agitur, invidia & periculo caret, suffragia manifesta præferri merentur, modo caveatur eorum abusus. Si enim res caret invidia & periculo, non opus est, cur probus suffragator ad sententiæ suæ odium & discrimen declinandum, mentem *Quando apertis utendum suffragiis?*

suam tegat, nomenque occultet (§. 576.). Si non opus est ut suffragator nomen suum celet, nulla ratio est, cur ignorari velit suum suffragium, & cur occulto utatur suffragio. Quare cum suffragium, quod occultum non est, sit apertum (§. *eod.*): perspicuum est, si res, de qua agitur, invidia atque periculi metu careat, suffragia manifesta recte adhiberi ab his qui in suffragio ferendo a salute publica & officio, non recedunt.

Enimvero quia abusus omnis mala producit & officio est contrarius (§. 646. *P. I. Theol. nat.*): is solicite est cavendus tum a suffragatoribus, tum ab iis, quorum causa suffragandum est. Aderit autem abusus, si affectibus potius debeantur suffragia, quam meritis, verbi causa, si pecunia se corrumpi patiantur suffragantes, si suffragia eblandiantur, abjectoque animo emendicentur, si invidiæ & odii causa aliis denegentur, amoris, metus, odii vel gloriæ causa aliis tribuantur, & quæ sunt reliqua generis ejusdem.

Aperta suffragia occultis præfert *Cicero cit. cap. 15. L. III. de Legg.* Ego, inquit, in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius; sed an obtineri possit (quod in sequentibus explicat, an populo obsisti possit) videndum est - - - - Quis autem non sentit, autoritatem omnem optimatium tabellariam legem abstulisse? Quam populus liber nunquam desideravit, idem oppressus dominatu ac potentia principum flagitavit. Atqui graviora judicia de potentissimis hominibus extant voces quam tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, neque autor bonus. Abusum, quem *Cicero* subinnuit, fusius explicat *Plinius Ep. 20. Lib. III.* Excesseramus sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum. Non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni undi-

undique dissonique clamores, procurrebant omnes cum suis candidatis, multa agmina in medio, multique circuli & indecora confusio. Adeo desciveramus a consuetudine parentum, apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla, majestatem loci pudoremque retinebant. Supersunt senes, ex quibus audire soleo hunc ordinem comitiorum. Citato nomine candidati silentium summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes & laudatores dabat vel eum, sub quo militaverat, vel eum, cui quæstor fuerat, vel utrumque si poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus. Illi graviter & paucis loquebantur. Plus hoc, quam preces, proderat. Nonnunquam candidatus aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat senatus gravitate censoria. Ita sæpius digni, quam gratiosi prævalebant. Quæ nunc immodico favore corrupta ad tacita suffragia quasi ad remedium decurrerunt. Quod interim plane remedium fuit, erat enim novum & subitum.

§. 580.

Quando occultis uti liceat suffragiis.

Si legum, meritorum in medio positorum, & officii sui probe memores observantesque suffragatores, immeriti odii aut periculi declinandi causa, suffragia occulta recte adhibentur. Sumimus enim leges eligendi esse legibus naturalibus conformatas, & candidatorum ingenium, vitam, mores, merita electuris satis esse perspecta & ad leges referri. Quibus positis si rationibus recte expensis suffragia non dentur nisi iis, qui cæteris digniores deprehenduntur, quin eligentes officium suum recte observent, sive manifesto, sive occulte suffragentur, dubitari nequit. Si vero ab illis, qui postponendi sunt in suffragiis, eorumque affectis, mali quidpiam immeriti metuendum sit, vel eligentibus vel eorum cognatis posterisve; abusui libertatis ejusmodi hominum utique est occurrendum, si id commode fieri potest (§. 614. P. I. Jur. nat.), & suffragaturo opera danda, ut sibi caveat a malis animi, corporis & fortunæ, quantum in potestate sua est (§. 183. ibid.). Occulta vero suffragia esse subsidium utrum-

que obtinendi, ipſa eorum natura docet (§. 570.). Idcirco occulta ſuffragia immeriti odii ac periculi declinandi cauſa recte adhiberi liquet.

Athenis cum imperia abrogarent, quia id omnino erat odioſum, loco χειροτονιας occultius per calculos ſuffragia ferebant. Romæ propter abuſum, qui irrepſerat in manifeſtis ſuffragiis, legem tabellariam eſſe latam, antea oſtendimus, ne qua invidia oriretur, ſed animo liberiori ſenſa intima declararentur. Hinc fatetur *Plinius loc. cit.* profuiſſe legem tabellariam, ut verum remedium adverſus illos abuſus. Inde licet lex tabellaria multas contentiones pepererit, multumque latori vel gloriæ vel reprehenſionis attulerit; hoc tamen remedium ſine ulla diſſenſione, ut optimum, placuiſſe, omnesque comitiorum die tabellas popoſciſſe. Veretur quidem, ne procedente tempore ex ipſo remedio vitia naſcantur: quia periculum ſit, ne tacitis ſuffragiis impudentia irrepat. Nam, inquit, quotocuique eadem honeſtatis cura ſecreto, quæ palam? Multi famam, conſcientiam pauci verentur. Sed nimis cito de futuris. Interim tabellarum beneficio habebimus magiſtratus, qui maxime fieri debuerunt. Nam nos in his judiciis ſinceri judices fuimus. Agnovit ergo Plinius recte adhiberi in magiſtratuum electione calculos & occulta ſuffragia, modo iis utentes, conſcientiam vereantur ſincerique ſint judices: id quod in hoc ſcito diſtinctius docuimus, ut ſimul abuſui obices poneremus. Qui conſcientiam lædere non verentur in ſuffragiis occultis, illi in apertis facile colores reperiunt, quibus idem obtineant, eademque impudentia ibidem utentur.

§. 581.

Cavendum ne democratia abeat in oligarchiam. Quia facile fieri poteſt ſoletque, ut, ſi pauci conſtituant ſenatum, hi ſummam ſibi ſenſim arrogent poteſtatem, atque oligarchiam inſtituant; *præcavendum eſt, ne facile democratia degenerare poſſit in oligarchiam, ſeu paucorum dominatum.* Conſervanda enim eſt democratia bene inſtituta, & occurrendum abuſui

sui imperii popularis (§. 524). Sed periret democratia, si administratores imperium summum incipiant proprio nomine exercere (§. 539.). Quo pauciores igitur sunt administratores, sive magistratus superiores dicantur, sive senatores; eo citius eorum partim avaritia, partim ambitio conspirare potest in usurpandam miris artibus supremam potestatem. Quare præcavendum esse intelligitur, ne facile democratia degenerare possit in oligarchiam (§ 194. *P. VIII. Jur. nat.*).

Aristoteles jam agnovit difficultatem conservandi statum popularem, *L. VI. Polit. c. 5.* docens, non facile posse manere hujusmodi statum, nisi moribus & legibus recte fuerit informatus. Antea de optimo populo, agros colente, dixerat, eum suo ævo paucorum potentatum ferre, modo rem suam agere illis permittatur, neque eripiantur, quæ habent.

§. 582.

Primum contra oligarchiam remedium est in multitudine Senatorum. Quo plures enim sunt ejusdem dignitatis participes, eo minus pauci inter eos prævalebunt, reliquis suorum jurium & paritatis rationem debite habituris, teste natura humana. Neque enim plerisque inter se paribus ferendum videbitur, si pauci eos supplantare conentur; hinc si ipsi impares sibi videantur, aut nolint cum ipsis decertare, rem populo disquirendam tradent, conjunctisque viribus reprimere eorum conatus studebunt. Quo plures sunt personæ imperantes, eo pauciora erunt ipsorum munera, eoque potentia minor. Quare cum præcavendum sit, ne democratia in oligarchiam facile degenerare possit (§. 581.): in ipso senatu remedium contra eam degenerationem habebitur in multitudine senatorum. 1) *Multitudine Senatorum.*

Hæc ratio olim fecit, ut in democratiis multi in senatum cooptarentur, & cooptentur in democratiis hodiernis. Sic Solon Athenis ex 4 tribubus decem fecit, ejusque senatum centum viris auxit, ut essent in eo senatores quingenti. Lycurgus Spar-

tanum ſenatum conſtituens 28 viros virtute præſtantiſſimos elegit, omnes non minores annis ſexaginta. Cum ſenatu Spartano ait convenire *Ariſtoteles* ſenatum Carthaginienſem *L. II. Polit. c. 11.*; niſi quod major numero eſſe debuit, quoniam *Juſtinus Hiſt. XIX. 2.* refert e numero ſenatorum judices centum delectos fuiſſe, qui ab imperatoribus domum e bello redeuntibus rerum geſtarum rationes exigerent. Syracuſani utebantur ſenatu ſexcentorum virorum, teſte *Diodoro Siculo XIX. c. 5.* Maſſilienſibus ſenatus fuit 600 virorum, qui τιμȣχοι dicebantur & iſto honore gaudebant, donec oppeterent mortem. Conf. *Ariſtoteles L. V. Polit. c. 9.*

§. 583.

2) Si plerorumque munus non ſit niſi annuum.

Secundum datur in plurimorum annuo tantum aut breviori munere. Si enim poteſtas magiſtratus annuo tempore vel breviori circumſcribitur, plures multo eodem gaudere poſſunt, ac ſi ea aliis non impertiatur, niſi quando alii in locum mortuorum ſunt ſurrogandi. Quo plures autem ſunt & fiunt conſortes ſenatoriæ dignitatis, eo difficilius eſt oligarchiam moliri (§. 581.) eoque id minus fieri poterit, quo breviori tempore a magiſtratu eſt abeundum. Quare brevitas temporis & viciſſitudo munerum quoddam erit remedium adverſus paucorum dominatum.

Quoniam vero ſi omnibus magiſtratus quotannis abrogaretur, novis eorum loco ſubſtitutis, multum ſalus publica impediretur, partim ob imperitiam novorum ſenatorum in rebus publicis rite gerendis, partim ob diſſenſum frequentem ſucceſſorum ab antecedentibus, in reſciſſionem ante actorum ſæpe abiturum; plurimi quidem ex plebe anno exacto abdicari & novi in eorum locum creari poſſunt, manentibus aliis quorum dexteritas fideſque probata eſt. Ita enim diſcere poſſunt ſenſim a veteranis potius ſenatoribus, quam a lictoribus & accenſis, qui regendó regentes ipſi incipiunt imperi-

re,

re, modum res publicas recte tractandi, in ipſo actu ex ſuffragiis peritiorum, ne opus ſit adeundis illis, qui in magiſtratu ante ipſos fuerunt, & plena rei cognitione deſtituti, etiamſi vellent, ne dicere quidem poſſunt quid e re publica ſit futurum. Idem fere eſt, ſi ex annuis magiſtratibus prudenter eligantur perpetui deinde, præmii loco.

Conferantur notata ad §. 571. & 575. *ſeq.* Cretenſes atque Lacones ſenatum quemdam habebant perpetuum, cujus conſilio in rebus maximi momenti utebantur. In eo non erant niſi ſeniores, qui reip. bene adminiſtratæ laude florebant. In quibus hoc reprehendit *Ariſtoteles L. II. Polit. c. 9.* quod de magnis rebus judicarint non ex præſcriptis legibus, ſed ex arbitratu ſuo nec ad rationes reddendas fuerint obſtricti. Quod virtutis præmium ipſorum dignitate majus ſtatuit, & periculi plenum. Enimvero quia fatetur Ariſtoteles, eos fuiſſe viros bonos, ſatisque virtute inſtructos (προς ανδραγαθιαν ἱκανως πεπαιδευομενȣς) dignosque iſto virtutis præmio, illa ratio, quod uti corporis ita etiam intellectus ſenium (γηρας της διανοιας) detur, parum ad rem facit, cum is caſus ſit perrarus, ut uſus intellectus ſenectute ſola tollatur, & tales vel per ſe abſtinere a ſenatu compulſi ſunt, ut excluſione non fuerit opus. De magnis rebus judicaturi, non poterant aliam ſequi legem, quam naturalem, quæ ſola omnibus caſibus ſufficit. Si legibus civilibus iſta fuisſent definita, non opus fuiſſet ut ad eos recurreretur, quia ſic reliqui magiſtratus legibus adſtricti illis pares fuiſſent. Neque dicit Stagirita, de quibus magnis judiciis illi ſtatuerint, ſed dubie ait: videntur (φαινονται) largiendi gratificandique multa communia poteſtatem habuiſſe. Si non fuere ipſis multa dona conceſſa, per ſe non potuerunt plura donare, quam accepere, quæ procul dubio modica fuere. Rectius alios ibi reprehendit magiſtratus, e plebe lectos promiſcue, nec niſi arbitratu ſuo judicantes.

Peculiare fuit Athenienſium inſtitutum, magiſtratuum imperium in menſes vel dies variandi, quo Prytanes ſenatus Præſides

des per sortem sic designabantur e decem tribubus, ut quæ primo cum faba exiisset, ea prima prytanea (sive 35 diebus tanquam parte decima anni lunaris) senatui præesset. Quanquam Scaliger contendit, prytanes singularum tribuum diurnum tantum imperium habuisse, idque toties per annum in orbem rediisse, ut tribus singulæ per 35 dies quotannis imperii compotes essent; residuos dies quatuor anni lunaris fuisse *ἀρχαιρεσίας*, quibus novi magistratus designabantur. *Emmius p. 26. seq.*

§. 584.

3) Si penes ipsos non sit nervus rerum gerendarum.

Tertium est, si magistratus careat nervo rerum gerendarum, populi potestati reservato. Notissimum est, sine nervo rerum gerendarum res magnas geri non posse, quæ plurimorum egent auxilio. Proinde & jurium populi non omnino stupidi & inertis, ereptio violenta sine nervo rerum gerendarum fieri non poterit (§. 99.). Enimvero constat inter omnes, etiamsi pauci dentur in oppressionem democratiæ intenti iique prædivites, eos tamen contra integrum populum strenuum peritumque, suis tantum opibus, facile sibi eripiendis, prævalere non posse, nisi publico abuti possint rerum gerendarum nervo. Quem si populus sibi reservavit, ut magistratus eo potiri & abuti nequeat, fieri non poterit, ut pauci in democratiæ perniciem publico rerum gerendarum nervo destituti grassentur (§. 524. *seq.*). Restringi etiam usus patrimonii ita potest, ne contra remp. adhiberi possit, sed si quid tale emergat, inhibitus illico sit & negatus.

Nervus rerum gerendarum redit ad milites fortissimos & magnam pecuniæ vim. Cavendum igitur, ne vel ærarium publicum vel miles sit in manibus magistratus, ut ab eo pro lubitu in privata commoda verti possit. Non solet quidem ærarium populi in democratia thesauris abundare, ob rationes satis luculentas. Neque populus in democratia potestatem sibi tributa imponendi ulli concedet alii sua sponte. Quare hinc non facile quidquam metuendum videtur democratiæ, nisi dentur tam locu-

locupletes, potentesque cives, qui ſuo marte ſubigere vi aut fraudibus reliquos poſſint. Magis vero cavendum erit, ne milites ſint in potentiorum civium manu, qui iis uti poſſint ad populum ſupprimendum. Hinc milites nec tam multi eſſe debent, ut viribus populo ſint ſuperiores, nec niſi a populo ſtipendia accipere, eique ſacramento ad obſequendum obſtricti eſſe debent. Præterea & belli duces imperio populi ita ſubeſſe debent, ut ſi quid ab eo mandetur, vel imperium ipſis adimatur, illico parere obligentur & rationes reddere rerum non ita geſtarum, uti ipſis erat injunctum. Ne facile aliter agere posſint, aut plures ſunt conſtituendi & ad optima ſponte ſequenda obligandi, aut adjungendum uni eſt concilium fidorum ducum & prætorum, ſine quo ipſi nulla res magni momenti aggredienda. Quod eo facilius obtinebitur, ſi e populo ducibus additi ſint quæſtores, conſiliis omnibus adhibendi, ſtipendia & commeatum exercitui procurantes, intenti ſimul in ea, quæ geruntur, ut ad populum referant, ſi quid ſuſpectum occurrat. Exempla paſſim obvia habentur.

§. 585.

Quartum habetur in magiſtratu pro jure populi excubante, & 4) quid illi adverſum fiat ab ullo magiſtratu, tum diligenter circumſpiciente, tum populi ope prohibente. Eſt enim in democratia ſollicite præcavendum, ne ſenatus aut quisquam alius, cui pars quædam imperii exercenda commiſſa eſt, ſummam poteſtatem injuſſu ejus uſurpet (§. 192. *P. VIII. Jur. nat.*). Ideoque conſtituendi ſunt in democratia magiſtratus, quibus ea ſolicitudo committitur, & qui leges fundamentales libertatemque populi cuſtodiant (§. 193. *ibid.*). Patet igitur opus eſſe in democratia magiſtratu, jura populi diligenter ob oculos habente, & providente ac valide occurrente, ne quid iis adverſum ab ullo alio audeatur & quomodocunque uſurpetur.

Si populi jura tueantur ephori ſeu tribuni plebis.

Polit. cap. 5. præcipit: cauſæ publicæ ſint pauciſſimæ, & magnis pœnis abſterreantur illi, qui temere aliis periculum ſunt

creaturi. Ejusmodi cautio quidem omni populo incumbere intelligitur in democratia, ut supervacuum videri possit, aliis, quam quorum maxime interest, jura sua integra servari, hanc curam injungi. Enimvero quemadmodum populus aliis distinetur officiis curisque domesticis, quibus quisque paterfamilias saluti domus suæ perficiendæ operam dare tenetur, & quotidie subtiliori huic disquisitioni vacare nequit: omnino opus est, ut nonnullis e populo demandentur hæ partes populi, accurate summaque fide semper peragendæ (§. 525.) & (§. 535.). Ejusmodi magistratus erant Atheniensium legum custodes (νομοφύλακες), qui honoris ergo strophio candido insigniti in sellis e regione 9 archontum considebant, in concione vero cum proëdris sedentes prohibebant, ne quid adversus leges, vel contra reip. commoda suffragiis populi scisceretur, magistratus autem secundum leges agere cogerent, nec solum literas sed & facta hominum ad leges revocarent. *Emmius p. 51. seq.* Vnde *Columella* de ipsis *L. 12. de re rust. c. 3.* scribit eorum officium erat, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi; eos autem, qui non parerent, pœna mulctare. Ibidem strategis adjectus erat ex archontibus polemarchus. Lacedæmone illi dicebantur ephori, quorum quinque quotannis in comitiis e populo suffragiis legebantur. Horum munus prorsus erat populare, ad tuendam populi libertatem comparatum, & regum senatus aliorumque in civitate eminentium potentiæ suspectæ oppositum. Idem munus in Creta X Cosmi, & Carthagine CIV. viri sustinent, vid. *Aristoteles II. Polit. c. 11.* Ad horum exemplar Romæ tribunitia potestas tribunorum plebis est instituta. *Emmius p. 125. l. cit.* Alibi assessores populi in functione reip. eundem in finem adhibentur, ut obnuntient, si quid contra populi jura tentetur.

§. 586.

Suspectorum libera in jus vocatio, sed non injusta. *Libera esse debet eorum vocatio in jus, qui suspectos se fecere, modo provideatur, ne impunis sit libido alios vexandi nec innocentes plectantur.* Præcavendum enim est, ne facile democratia degene-

generare poſſit in oligarchiam (§. 581.) eaque propter opus eſt magiſtratu, juribus populi conſervandis intento, ne quid detrimenti capiant (§. 584.). Quapropter cuilibet ex populo jus eſt denuntiandi magiſtratui ephororum, ſi quid accepit, quod juribus populi fraudi eſſe poſſet. Qui Ephori pro re nata eos in jus vocabunt, quorum actiones ſuſpicione laborant, & ſi res poſtulat populi judicio ſubmittent.

Quando tamen odium & invidia erga meliores in populo per ſe ſuſpicaci mobilique regnare ſolet: facile innocentes immerito ſuſpecti redduntur & a malevolis laceſſuntur; niſi gravi pœna ab ejusmodi vexa avocentur. Neceſſe igitur eſt, ut pruritus & libido pravorum ſe meliores carpendi, vel ſi fieri poſſit bonis & honoribus exuendi, valide compeſcatur. Quod quia validius fieri nequit, quam pœnis ſat acerbis: patet, providendum eſſe, ne impunis ſit libido innocentes ægritudine afficiendi.

Quoniam nocentes tantum nec graviori meritis pœna ſunt afficiendi (§. 1065. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*), ut & mitigationi & remiſſioni locus ſit (§. 1092. *ſeqq. ibid.*): multo minus innocentes ſunt plectendi.

Memorat *Xenophon Hiſtor. Græc. L. I. ſub finem.* Athenienſem concionem a malevolis incitatam nullis argumentis a damnandis ducibus 8 avocari potuiſſe, poſtquam Prytanes quoque ad id permittendum coacti fuerant, uno Socrate excepto, qui negavit, ſe quidquam facturum, niſi quod legibus eſſet conſentaneum. Poſtquam 6 ex iis, qui aderant, interemti ſunt, non multo poſt populum facti pœnituit, & decretum promulgatum, ut eos de calumnia liceret accuſare, qui populum decepiſſent, & ut iidem in jus vocati, dum cognitio facta eſſet, vadimonium præſtarent. Quorum tamen 4 prius aufugere, quam de ipſis judicium fieri potuit. Non indigna quidem in calumniatores pœna eſt decreta, ſed indignior populi præcipitantia &

rejectio defenſionis ab innocentibus aliisque propoſitæ. *Stagirita Lib. VI.* Idcirco *Stagirita L. VI. Polit. c.5.* ait, publicas accuſationes (δίκας) faciendas eſſe rariſſimas (ὡς ὀλιγίςας) magna pœna conſtituta adverſus eos, qui falſo accuſarint. Neque enim plebejos ſolere in judicium vocari, ſed nobiles. Quo malo laboravit resp. romana, in qua Cato quadragies & amplius accuſatus, ſemper tamen abſolutus eſt. Sic *Cicero* in *Bruto* appellat Brutum dedecus familiæ Juniæ, ob crebras accuſationes. Athenis cuilibet volenti actio publica dabatur hac lege, ut niſi quintam ſuffragiorum partem ferret, mille drachmis mulctaretur, nec liceret ei in poſterum actori eſſe in publicis cauſis. *Emmius p. 41.* Nihilominus invidia & pravitas ſæpe ſuas egerunt partes. Pravum hunc morem Athenienſium *Nepos in Alcibiade* notat. Ejus enim inimici aſpergebant ipſum infamia, quod in domo ſua face myſteria dicebatur, id quod ipſi non ad religionem ſed ad conjurationem pertinere exiſtimabant. Hoc crimine ab inimicis in contentionem compulſus, inſtante tempore ad bellum proficiſcendi, poſtulavit, ut ſi quid de ſe agi vellent, potius de præſenti quæſtio haberetur, quam abſens invidiæ crimine accuſaretur. Sed inimici ejus quieſcendum in præſenti, quia nocere ſe ei non poſſe intelligebant, & illud tempus exſpectandum decreverunt, quo exiiſſet, ut ſic abſentem aggrederentur. Poſtquam vero in Siciliam eum perveniſſe crediderunt, abſentem, quod ſacra violaſſet, reum fecerant. Qua de re cum ei nuntius a magiſtratu in Siciliam miſſus eſſet, ut domum ad cauſam dicendam veniret, non parere noluit, & in triremem adſcendit. Multa autem ſecum reputans de immoderata civium ſuorum licentia & crudelitate erga nobiles, utiliſſimum ratus, impendentem evitare tempeſtatem, clam ſe a cuſtodibus ſubduxit - - - & Thebas venit. Poſtquam autem ſe capitis damnatum, bonis publicatis, audivit - - - Lacedæmonem demigravit, ibique adverſus inimicos ſuos bellum geſſit, qui intelligentes, ſe plurimum prodeſſe reip. ex ea ipſum ejecerant, & plus paruerant iræ ſuæ, quam communi utilitati. Sed quum feliciter res gereret, Lacones acerrimi viri

viri præſtantem prudentiam in omnibus rebus cognoſcentes pertimuerunt, ne caritate patriæ ductus ab ipſis deſciſceret & cum ſuis in gratiam rediret. Itaque tempus ejus interficiendi quærere inſtituerunt &c. Quo explorato abiit & plebiſcito Athenienſi reſtitutus Prætor imperio abſens præficitur.

§. 587.

Imprudentiæ vero eſt ex inani ſuſpicione & invidia optime merentibus exilium irrogare, & injuſtitiæ ac crudelitatis eos interimere. Sæpe enim unius præſtantia prudentiæ plus prodeſſe poteſt patriæ, quam omnes reliqui, & profuit teſte hiſtoriarum fide. Quid? quod ulciſcendi injurias ardor plurima mala ſaluti publicæ creare valet. Et ſi vel horum neutrum fieret, cuilibet tamen bono & præſtanti civi tutela adverſus hoſtes ejus præſtanda eſt (§. 45.), tantum abeſt, ut ab ipſa civitate inſons pœnis ſit afficiendus ob inanem timorem invidiamve turpem. Minime igitur prudenter agit populus, innocentem virtutem optime merentium proſcribens, nullius criminis cauſa, ſed aut vana tantum ſuſpicione, aut turpiori invidia.

An nude ſuſpecti exilio vel morte plectendi ſint?

Sed ineſt & exilio inſontis iniquitas & injuſtitia: quia æquum juſtumque eſt, bono civi cuique præſtare ſecuritatem jurium ſuorum, quam valet civitas & vi pacti obligatur ipſi æque præſtare, ac ipſa ſecura eſſe ab illo cupit (§. 250. *ſeqq.*). Vano autem metui indulgendum eo minus eſt, quo magis ſic proditur inopia & inertia populi ad reſiſtendum civi unico, ſaltem paucis civibus, & quo plures dantur modi illi honeſte reſiſtendi, illumve puniendi, ubi pœnam mereri intelligitur. Multo id magis evidens eſt, ſi ſolius ſuſpicionis cauſa ipſum optime meritum interimendi conſilium capiat aut exſequatur.

Alcibiadem ſine cauſa malevolorum artibus capitis damnatum & reſtitutum vidimus in nota §i præcedentis, a ſuismet civibus. Deinde a Spartanis neci deſtinabatur, a quibus optimam inire propter merita gratiam debuiſſet; a quibus inſtinctu

tyrannorum Athenienſium poſtremo tandem Pharnabazi juſſu crudeliter interfectus eſt. De *Cimone* idem refert *Cornelius*, quod unus omnium maxime florens inciderit in eandem invidiam, quam pater ſuus cæterique Athenienſium principes. Inde teſtarum ſuffragiis, quod illi ὀςρακισμὸν vocant, decem annorum exilio multatus, forti animo ingratorum civium invidiæ ceſſit, poſt quintum annum, quo expulſus erat, in patriam revocatus. Idem *Nepos* refert, veram cauſam damnationis Miltiadis fuiſſe, quod ejus potentiam extimeſcebant, malebantque eum innoxium plecti, quam ſe diutius eſſe in timore. Pari invidia Epaminondæ & collegis imperium exercitus eſt abrogatum plebis Thebanæ ſcito, cui ille non paruit, ne propter novorum prætorum imprudentiam inſcitiamque belli totus periret exercitus, & re feliciter geſta abſolutus eſt. Oſtracismum poſt Solonem adhibuere Athenienſes eo quidem conſilio, ut civibus potentioribus decennalis irrogaretur abſentia ab urbe citra ignominiam. Duo ad moderandum hoc inſtitutum requirebant 1) ut in concione non adeſſent pauciores, quam ſexies mille, & 2) ut ſuffragium ferentes ætate minores non eſſent, quam 60 annis. Præterea male his judicibus merces ſtatuta eſt, oboli tres, id eſt, media drachma. Quare facile fuit, ut Ariſtides ob inſignem juſtitiam, cujus cauſa juſtus dicebatur, & Themiſtocles ob eximiam gloriam urbe ejicerentur. Syracuſanis ſimile ejectionis genus fuit petalismus a foliis oleæ, ut vult *Diodorus*, dictum, quo cives, a quibus periculum metuebatur in exilium quinquenne mittebantur, citra læſionem honoris & fortunarum. Sed neutrum horum inſtitutorum ætatem ferre potuit. Syracuſis enim primarii viri reip. gerendæ ante alios idonei, petalismi metu curis publicis ſe ſenſim ſubduxere, ſibique vixerunt. Poſteaquam ita reſp. in audacium & imperitorum peſſimorumque manus inciderat, maximaque inde pericula & incommoda erant ſecuta; populus commotus eſt ad petalismum abrogandum, ut optimates ad capeſſendam remp. redirent. *Emmius p. 37. ſeq. & p. 221. ſeq.* Oſtenderunt hi optimates

tes suis civibus, quanto rectius retineri in civitate optimates possent, imperio tantum abstinentes.

§. 588.

Probe in democratiis refrænanda est imperitæ plebis arrogantia invidiaque, ne optimates cum insigni damno reip. ab imperio arceantur. Nihil enim usitatius est, quam ut imperitiores quique, ne videantur cæteris esse inferiores, sibi arrogent tamen, quæ ipsis desint, & facile eo usque sibi sint suffeni, ut plus sibi tribuant, quam cæteris, eosque præ sese contemnant, tristi experientia teste. Præterea ardent quoque invidia optimatum, divitum, potentiorum, & dum alia re nequeunt, numero & lacertis suis se eos superare & honoribus opibusque evolvere posse, nulli dubitant. Vnde cum plurima mala in Democratiis oborta sint, manifestum est, refrænandam esse imperitæ plebis arrogantiam invidiamque, ne optimates, scientia, prudentia & opibus præpollentes ab imperio reip. per ipsam removeantur, saltem ab eo reddantur alieni. *Refrænanda est plebis arrogantia invidiaque.*

Quæ de Syracusanis modo annotavimus, ea satis corroborant, quæ hic statuuntur. Si quid sani syncipitis superest in plebe, si salutis publicæ ullus restat amor, nec amentia & affectus animum occoecarunt, ea moderatio animi æquissima esse videbitur, ut a petendis recipiendisque iis magistratibus sponte sua abstineat, in quorum administratione aut salus aut periculum totius populi vertitur, eosque illis, qui illis pares sunt & plurimum possunt, relinquant, contenta vero illis sit, qui abusum illorum avertunt, & quæstui rei familiaris non obsunt. Qualia *Xenophon de rep. attica* sui sæculi prædicat, haud procul ab initio. Vbi improbos Athenis esse meliori conditione, quam bonos reprehendit. Sed id adprobat, quod plebs rem navalem expediens potentiam civitati majorem conciliat, quam nobiles & homines frugi. Inde æquum statuit, ut magistratuum dignitatumque particeps fiat sive per sortem, sive per suffragium: magistratusque superiores dignis relinquendo, eos tantum ambiat, qui

qui ſtipendia habent, reique familiari conducunt. Quatenus ſorte eligebatur magiſtratus 500 virorum, ut is integrior eſſet, ad corrigendam ſortis temeritatem a legislatore olim ſcitum fuit, ut ſi quos forte ſors evexiſſet, qui honore indigni viderentur, jus eſſet ipſi ſenatui patefacto crimine, accuſantibus æmulis aut inimicis, ex collegio ſuo eos ejicere & judicio tradere cenſendos. In qua actione, quia pro ſuffragiis frondes in uſu erant, dicebatur ſenatus eos, quos reprobabat, ἐκφυλλοφορῆσαι. Quæ in *Emmio* habentur *p. 31.* Romæ accuſabantur qui male electi dicebantur, ut patet ex *Ciceronis Oratione pro Plancio.*

§. 589.

Magiſtratus ne ſit quæſtuoſus.

Licet magiſtratus indemnis ſit præſtandus propter operam ſaluti publicæ navandam; ſimul tamen cavendum eſt, ne imperantes ex rep. quæſtum facere poſſint, & munera publica venalia fiant. In democratia enim magiſtratui a populo partes quædam imperii gerendæ committuntur, uti mandatario populi (§. 162. *P. VIII. Jur. nat.*). Sed mandatarius & commiſſarius indemnis eſt præſtandus (§. 682. *P. IV. Jur. nat.*). Juſtum ergo eſt, ut qui rei publicæ adminiſtrandæ operam dare debet, cum neglectu rei familiaris ſibi curandæ, indemnis præſtetur, & magiſtratui eo magis indemnitas eſt præſtanda, quo melius ſaluti totius civitatis operam dedit, præmio adjecto cæteroquin modico honorario vel ſalario (§. 905. *P. VIII. Jur. nat.*). Verumtamen ſi munia magiſtratus ſatis quæſtuoſa fiant, non amplius ſaluti publicæ, uti par eſt, ſed quæſtui opera dabitur cum detrimento publicæ ſalutis, ex pravitate indolis humanæ. Inde ambitus eo major, quæſtus avidorum, cæterorum odium & invidia eo magis invaleſcet, quo major ſaltem creditur aut videtur eſſe opulentia magiſtratuum, licet aliunde orta. Accedit, quod quæſtus ſtudioſi ad munera magiſtratus evecti, ſplendidamque ſentientes miſeriam, ad omnis generis nefas proni ſint

ſint futuri, ut corradere utcunque vel cum detrimento ſalutis communis nonnihil poſſint. Præſtat igitur, omnibus conſtare modicam tantum compenſationem curarum & operarum, ſaluti publicæ inſumendarum, magiſtratui indemnitatis ergo eſſe conceſſam, ſi recte munus ſuum adminiſtrat, ideoque onus magis, periculoſum ſæpe, quam quæſtuoſum honorem ipſi imponi.

Vix ſatis cavetur in ea, quam innuimus, æquitate naturali, ut ambitus (§. 894. *P. VIII. Jur. nat.*) ambitioſorum compeſcatur, niſi legibus illi obex objiciatur; tantum abeſt, ut quæſtuoſa munera publica æquo animo vel quærantur, vel tractentur. Quod quidem eo magis uſu veniet, ſi quæſtus ſit magnus, vel diuturnus aut perpetuus. Hinc non deerunt, qui ut cæteris præferantur, a ſuffragatoribus, pecunia eos corrumpere ſtudeant, neque amplius digni, ſed plus quam cæteri largientes, iisdem non ſine magno ſalutis publicæ damno præficiantur, ipſaque munera magiſtratus evadant venalia (§. 891. *ſeqq. ibid.*).

Vulgus propter inæqualitatem bonorum, elegantiores vero de honoribus, ſi non ſunt pares, certant, obſervante id jam *Ariſtotele II. Polit. c.* 7. Quæ aviditas hominum honoribus inhiantium incenditur eo magis, quo majorem quæſtum e republica ſe facturos eſſe ſperant. Inde Pericles reprehenditur *Ariſtoteli L. II. Polit. c.* 12. quod judicibus ſalaria conſtituit (τα δικαςηρια μισθοφορα καἶεςησε περικλης). Quibus verbis reſpicit publicationes bonorum in gratiam populi factas, de quibus diſertius egit *Lib. VI. Polit. c.* 5. Romæ ambitum invaluiſſe Cicero ſæpe dolet, & apud *Salluſtium* Jugurtha *cap.* 35. Roma egreſſus, omnia ibi venalia expertus, fertur dixiſſe, urbem venalem fore & mature perituram, ſi emtorem invenerit. Inde *Nepos in vita Attici cap.* 6. refert: Atticus neque peti honores, neque capi poſſe exiſtimabat in tam effuſis ambitus largitionibus. (*Wolfii Politicæ P. I. C. VII.*).

Athenis unicum ſenatui quingentorum præmium, præter mercedulæ aliquid pecuniariæ, quæ ſingulis ſenatoribus a quæſtore reipublicæ penſitabatur propoſitum fuit, ſi rem bene gereret, ut honoris ergo munere decedens decreto populi corona donaretur. Vid. *Emmius p. 31.*

§. 590.

Quomodo cavenda moleſtia munerum gratuitorum?

Neque tamen onerosa facienda ſunt munera magiſtratus, ſi ſolius honoris vel boni publici cauſa ſint obeunda. Si ſcilicet permulti admittendi ſunt ad magiſtratum, vix fieri aliter poteſt, quam ut honoris cauſa tantum admittantur, ne majori ſibi invicem ſint oneri, quam commodo. Hinc brevitate temporis & paucitate negotiorum ſubeundorum atque ſpe præmiorum in poſterum cavendum eſt, ne nimium graventur (§. 932. *P. VIII. Jur. nat.*) nec a rebus privatis curandis præter neceſſitatem avocentur; & quantum fieri poteſt æqualitatis cauſa & ſubeſſe & præeſſe viciſſim cives poſſint (§. 510.).

Erunt fortaſſis, qui exiſtiment, ſatius fore in democratia ſi gratis plane, vel unius honoris cauſa ſubeunda ſint munera publica, ut eo minus invidiæ & ambitus crimini locus detur. Sed ita ſoli divites, ambitioſi ſimul præeſſe volent, oligarchiam forte molientes, & qui avari ſunt, ne quidem illam appetent, atque moleſta erit omnibus adminiſtratio reip. nec idonei ſæpe erunt honorem affectantes tantum & remp. negligentes. Quod ne fiat, curandum eſt, ne oneroſa ſit publicæ rei cura. Non erit autem moleſta, ſi brevi tempore finiatur. Hinc *Ariſtoteles L. V. Polit. c. 8.* Aequalitas, inquit, illa, quæ in populari ſtatu quæritur, non ſolum in ſimilibus juſta eſt, ſed & utilis. Quamobrem ſi plures ſint in adminiſtratione reip. occupati, eis multa popularium inſtitutorum utilia ſunt, ut ſemeſtres eſſe magiſtratus, ut omnes, qui ſimiles ſunt, eorum participes fieri poſſint. - - ita minus incidere in obligarchiam poſſunt.

§. 591.

Etsi recta suggerentes populo audiendi sint; prava tamen persuadentes adulatores, qui demagogi salutantur, angue pejus sunt fugiendi. *De fugiendis demagogis.* Inscitia enim atque imperitia plebis non permittit, ut de rebus difficilioribus & majoris momenti, cujusmodi sunt res civitatis, accurate judicare possit. Hinc necesse est, ut frequenter plebs hallucinetur, & alii alia erronea pro veris arripiant. Quare male consulet suæ saluti, neque abusui suæ potestatis occurret, nisi perspicaciores rerumque præsentium peritissimos, quos habet, incorruptosque duces, recta & factu optima suggerentes sequatur (§. 571.). Quoniam vero in democratia abusui imperii popularis quam optime medendum est (§. 524.): populo utique legibus inculcandum est, ut audiat & sequatur consilia & suffragia peritissimorum rei gerendæ, & quorum fides intemerata explorata habetur.

Ex adverso quia facile reperiuntur assentatores, qui jura rudis populi ad ea inepte extendere nituntur, ad quæ extendi nisi cum detrimento salutis publicæ nequeunt; hi facile plebi prava suggerunt & persuadent, quæ ipsa duce arrogantia & meliorum invidia lubenter admittit, testibus historiarum documentis. Quibus a vero discernendis cum plebs impar sit, temere demagogos hujusmodi duces sequitur, cum insigni salutis publicæ diminutione, periculo aut exitio. Cum vero probe refrænanda sit plebis arrogantia & invidia (§. 587.): innotescit omnino, prava plebi persuadentes demagogos angue pejus esse fugiendos.

Animum vere popularem *Cicero in Catil. IV. c. 5.* dicit saluti populi consulentem. In oratione vero *pro Sextio cap. 45.* duo, inquit, genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in Rep. & in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi & esse voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, mul-

titudini jucunda esse volebant, populares; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur - - - Pergit *cap. 49.* Qui populares erant, populi judiciis atque omni significatione florebant; his in theatro plaudebatur, hi suffragiis, quod contenderunt, consequebantur, quorum homines nomen, orationem, vultum, incessum amabant - - - Attamen si qua res erat major, idem ille populus horum (optimatum) auctoritate maxime commovebatur. *Aristoteles L. IV. Polit. c. 4.* talis, inquit, populus, qui absolutam habet potestatem, dominari solus, nec ulli legi subesse cupit, efficiturque (δεσποτικος) dominator. Itaque ejus assentatores in pretio habentur, & ductores populi (δημαγωγοι) ejus voluntatem ducunt, quoniam ipsis a populo mos geritur. *Lib. V. Polit. c. 5.* ait: popularis status maxime recipit mutationem propter improbitatem eorum hominum, qui sunt quasi duces populi. Hi enim privatim quemque egregium & opulentum calumniando, conspirare eos simul cogunt, publice vero multitudinem irritant. Et hoc fere ubique ita fieri videmus. Sic in Coa insula democratia interiit pravitate demagogorum; & similia acciderunt Rhodiis, Heracleensibus, Megarensibus, Cumanis. Quæ fusius ibi enarrantur, & postea subjungitur, antiquos demagogos factos sæpe esse belli duces & tyrannos. Suo ævo demagogos non tam esse statuit belli duces, quam rhetores, arte dicendi florentes: qui dum imperiti sunt rerum bellicarum tyrannidem invadere non audent, nisi perraro. Demagogos illos vivis coloribus describunt passim Lysias, Demosthenes & Isocrates, velut concionatores auræ populari velificantes, & flabella plebis. In quorum locum successerunt suis affectibus indulgentes declamatores, rabulæ, aliique vel sacri interdum concitatores multitudinis, societatem disturbantes.

§. 592.

Indicia demagogorum. *Produnt se demagogi libidine rixandi, calumniandi, alios inter se committendi, inter ipsos eminendi præsidendique, privatique commodi studio licet publici obtentu utantur.* Neque enim nisi prava multitudi-

tudini perſuadere nituntur hæc populi ora & oracula (§. 390.). Sed pravitas ſe exſerit in ſtudio diſſidia & lites ſerendi inter cives, plebejos & patritios, quibus ſæpenumero variis de cauſis alienatæ a ſe invicem eſſe ſolent voluntates. Exſerit ſe animo vehementius inter ſe committendi parum per ſe concordes. Exſerit ſe calumniis hinc inde diffuſis ad animos acrius incendendos, variisque effictis rumoribus, criminationibus vanis, ſuſpicionibusque ſpecioſis modo clam diſſeminatis, modo publice divulgatis. Vbique tamen pravitas perverſitasque animi tum in rationibus confictis commentitiisque; tum in ſcopo, ad quem velut ad metam collineat, apparebit, ſi penitius inſpiciantur. Aut enim, vana ambitio ſubeſſe intelligetur, eminere oraculi inſtar inter ſuos cupiens & principatum, quantum fieri poteſt, affectans; aut aviditas privatæ rei incrementorum, ſoricis more ſe ipſam prodet, modo diligenter ad ea, quæ publice privatimque moliuntur, attendatur.

Concionem, in quam coit populus, ſuprema gaudens poteſtate, comparare licet cum mari vel lacu, ſatis per ſe pacato, niſi ventorum impetu fluctus ingentes in eo concitentur. In tanto civium numero, inquit *Tullius pro Sextio c. 46.* magna multitudo eſt eorum, qui aut propter metum pœnæ, peccatorum ſuorum conſcii, novos motus converſionesque reip. quærant; aut qui propter inſitum quendam animi furorem diſcordiis civium ac ſeditione paſcantur; aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint quam ſuo deflagrare. Qui cum autores ſunt & duces ſuorum ſtudiorum vitiorumque nacti, in rep. fluctus excitantur, ut vigilandum ſit iis, qui ſibi gubernacula depopoſcerunt, ut conſervatis rebus tenere curſum poſſint, & capere otii illum portum dignitatisque. „ Quemadmodum procella ſtatum maris & aëris ſuper terra pacatum tollit, fluctuoſum & impetuoſum illius loco inducens: ita turbulenta demagogorum ingenia quieti publicæ intercedunt ventoſoque ingenio ſpem inflant inanem, diſcordias, turbas & fa-

ctiones, saltem lites alias ex aliis agitantes, ut in turbido piscari, & quæstum facere, aut se ostentare formidabiles & explere affectus suos aliorum periculo possint.

§. 593.

Remedia demagogis opponenda.

Obstabit demagogorum noxæ tum lex demagogos turbulentos & calumniatores convictos proscribens, tum æquissimus senatus concordiæ civium stabiliendæ, & discordiæ cavendæ tollendæque intentus. Quia enim leges feruntur recipiunturque animo salutis publicæ cupido & vacuo ab affectibus turbulentis; vel plebs animadvertere potest, emergente casu, quem leges vetant, eum reip. esse nociturum. Hinc ne aperte leges ratihabitas & se obligantes violare intelligatur, reprimetur in prima herba affectus, ne radices agat amaras. Consultum igitur erit, ipsa lege notare demagogos factiososque homines, populum decepturos, per instigatores publicos eos in jus vocare, ut vel corrigantur, vel si corrigi nolint convicti per judices, aut in re dubia suffragante populo proscribantur. Idem ille senatus, qui a populo electus est, ut salutis publicæ curam agat, simul discordiæ civium cavendæ tollendæque operam navare poterit, seu per delectos in hunc finem censores & judices, seu per se ipsum in pleno consessu, si res tanti sit momenti.

Sic Solon in rep. Atheniensi distincta concilia esse voluit, præcipua & maxima ejus membra, ex quorum apta compagine forma ejus durare posset. Idcirco, ut *Plutarchus* loquitur, concioni tanquam grandi navi, fluctuationi & tempestatibus obnoxiæ, alia duo adjunxit concilia, veluti anchoras, quæ senatuum titulo afficiebantur. Horum alter erat areopagiticus, alter 500 virorum amplissimi muneris & summæ dignitatis, ad quem negotia omnia remp. afficientia referebantur, ab eoque examinabantur, & decreto definiebantur, aut si ponderis essent majoris, populi judicio subjiciebantur. Vterque senatus moderandæ, instruendæ rectius & formandæ concioni inservire debe-

debebat, ne facile navis reip. naufragium incurreret. Cæterum & nonnulla hic valent, quæ §. 586. cavenda ostenduntur. *Aristoteles L. IV. Polit. c. 4.* bene monet, quando lex non dominatur, sed multitudo, tum facile nasci & fieri demagogos. Ergo innuit, leges obstare demagogis, ne facile oriri possint.

§. 594.

Vitiis populi uti medendum.

Invidia, temeritas, licentia, cæteraque populi vitia, reip. detrimentosa, moralibus rationibus sunt corrigenda. Plurima enim mala in democratiis omni tempore coorta sunt ex invidentia, qua virtute, generis antiquitate, opibus & gratia aliorum florentes odio habentur ab his, qui illis destituuntur, saltem parum valent (§. 705. *Psychol. emp.*). Temeritas præcipiti impetu insipienter inconsiderateque effundit animum affectumque, cum maximo sæpe periculo privatæ aut publicæ civium salutis (§. 278. *P. III. Jur. nat.*). Licentia vero sibi arrogat facultatem faciendi quidquid lubet, ideoque summum infert libertatis abusum (§. 150. *P. I. Jur. nat.*), qua effræni libidine non potest non plurimum noceri & publicæ rei & privatæ. Iam iniquitas, injustitia, perfidia, avaritia, superbia, luxus, pertinacia pluraque hujus generis vitia eodem loco sunt habenda. Quanquam nonnullis horum vitiorum effectibus pœnæ dictari legibus possunt & solent: ipsum tamen vitium animi his non eradicatur, sed ad hoc requiruntur rationes morales, & animus felicitatis veræ cupidus & anhelus. Constat igitur, ad invidiam, temeritatem, licentiam & similia hisce vitia compescenda corrigendaque potissimum moralibus utendum esse rationibus, quas Ethica tradit.

Est enim, si quid *Nepoti in Chabriæ cap. 3.* tribuimus, hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, & libenter de his detrahant, quos eminere vident altius; neque animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam. Cui suffragatur *Cicero pro domo sua* dicens:

cens: Hoc in imperita multitudine eſt vitioſiſſimum, varietas & inconſtantia, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. Item *Livius Hiſt. L. 24.* nihil facilius eſt, quam in quemlibet affectum mutare populum. Diſſolvi remp. obſervat *Ariſtoteles L. V. Polit. cap. 7.*, cum ditiores & nobiles poſſeſſionum copia & vetuſtate generis, plebs numero & libertate nitantur, utrique plus æquo cupientes. Sequenti vero *cap. 9.* addit: Male definiunt libertatem. Duo ſunt enim, quibus videtur popularis ſtatus definiri. Vnum eorum eſt, ut plures in ſua manu remp. habeant, alterum eſt libertas. Juſtum enim (plebi) æquum (ἴσον) eſſe videtur; æquum autem, quodcunque viſum fuerit multitudini, hoc ratum eſſe. Liberum autem & æquum vel æquale, ut quidquid aliquis velit, id faciat. Itaque vivit unusquisque, ut vult, in tali democratia, vel ex ſua libidine. At hoc pravum eſt & vitioſum. Oportet enim omnibus perſuaſum eſſe, non ſervitutem eſſe, reip. convenienter vivere, vel legibus obtemperare, ſed hanc omnium & ſingulorum eſſe ſalutem veramque libertatem. Reliqua popularis formæ vitia & incommoda corrigenda enarrat *Demoſthenes de Coron.* tarditatem, timorem, inſcitiam, contentionem.

§. 595.

Modis egeſtati plebis occurrendi.

Vitiis populi debite occurrendo ſimul profliganda eſt egeſtas, & procuranda, quanta poteſt ubertas, annonæ penuriam levatura. Etenim partim ex luxu & profuſione patrimonii a majoribus parati, partim ex pigritia, inertia & incuria aliisque hujusmodi vitiis preſſo pede ſequitur inopia & egeſtas, occaſionem ſuppeditans variarum pravitatum, ſcelerumque. Quare ſi præcavenda modo, modo profliganda eſt egeſtas populi, debite occurrendum medendumque eſt ope moralis doctrinæ vitiis quibuscunque, unde illa ortum trahit (§. 594.). Quo facto virtutibus chrematiſticis procurari poterit civitati, quanta poteſt, ubertas annonæ cæterorumque proventuum fructuum, redi-

redituumque. Vlteriori providentia abundantia annonæ, quæ potest, reservabitur in annos steriliores, ut aliis æquo pretio venalis prostet, aliis summa inopia pressis gratis donetur ex liberalitate publica, aut privata. Sic egestatem aut tolli, aut diminui, & remp. ab iis, quæ inde nasci solent, malis liberari posse liquet.

Egestas, ut olim edixit *Aristoteles L. VI. Polit. c.5.* causa persæpe est, ut populus sit pravus. Et *Lib. II. Polit. cap.7.* valde pauperes propter egestatem facile emuntur & pecunia corrumpuntur. Eadem de causa usurariam pravitatem, ludos emungendis aliis inhiantes, & quæ his sunt similia artificia prava tolerari in democratia non deberi prono alveo fluit. Vel his causis turpibus egestatis proscriptis, aliæ supererunt, ut egenorum civium numerus haud exiguus sit mansurus. De copia annonæ servanda hæc habentur *L. VI. Pol. cap.5. Aristotelis*: danda est opera, ut diuturna sit ubertas (scilicet superfluum frumentum in horreis publicis recondendo, nec dardanariis concedendo, ut egenos fame perire patiantur). Sic *Strabo L.14. Geogr.* de Rhodiis refert, quorum popularis erat respublica: e publico populus frumentum capit, & locupletes egenos suscipiunt more quodam patrio. Sunt munera quædam & ministeria publica præbendis publice obsoniis, ut hac ratione tum pauperes alimenta habeant, tum civitas in tempore rebus necessariis non destituatur, maxime in expeditiones navales. Romani pariter interdum largitione frumentaria usi sunt, teste *Floro L. III. c.13.* magna quidem specie æquitatis popularis, quæ tamen revera in perniciem reip. vergebat.

§. 596.

Boni civis est, recte subesse & præesse.

Si usquam, in democratia boni civis est, modo recte subesse aliis, modo præesse. Quoniam in democratia æqualitas civium viget, idemque populus & præest & subest, ita quidem, ut universus semper præsit, singuli semper subsint (§ 510.): fieri aliter nequit, quin magistratus instituantur, demandatas

ſibi a populo partes ipſius nomine exercentes, qui tamen rationibus populo reddendis ſint obnoxii (§. 535.). Præterea ſingulis prius eſt parendum, quam præeſſe aliis diſcant, & quando præſunt, plerumque brevi tempore tantum præeſſe posſunt (§. 583.). Eapropter nihil eſt bono cive democratiæ dignius, nihilque ipſi honorificentius, quam ſi ita ſubeſſe & toti populo, & ipſius magiſtratibus, ita quoque ſuo tempore præeſſe aliis iterumque ſubeſſe & præeſſe poſſit & ſtudeat, ut nulli de ſe conquerendi, omnibus vero ſe amandi & laudandi materiam ſubminiſtret.

Equidem & in aliis civitatum formis recte dicitur, neminem bene imperare poſſe, qui non prius ſub imperio fuerit. In primis tamen in democratia frequentiſſimi uſus maximeque laudis eſt, poſſe & imperare & parere, ac præclari cujusque civis propria virtus eſt poſſe præeſſe & ſubeſſe laudabiliter. Oportet ergo bonum civem diſcere, ſcire, & hoc ſemper agere, ut bene ſubſit, bene præſit aliis, prout res poſtulat, & bene obſequendo gradum ſibi muniat ad bene imperandum, quando cenſebitur imperium meruiſſe. Quorum pleraque totidem verbis inculcavit jam *Ariſtoteles L. III. Polit. c. 4.*

§. 597.

Optima a populo ſemper ſunt ſectanda.

Neceſſe quoque eſt, ut in democratia præſertim, ſepoſitis ſtudiis odiisque privatis, optima ad ſalutem publicam populus conſtanter ſequatur. Fieri enim nequit, quin maxima populi pars ſit imperita regendarum publicarum rerum (§. 515. & 517.). Sed democratia ſic conſtituenda eſt, ut abuſui imperii civilis, quam optime occurratur (§. 524.). Quia populus non quærens niſi privata, cum detrimento ſalutis publicæ, facit ut libertas degeneret in licentiam, & democratia in ochlocratiam (§. 512.): neceſſum eſt, ut populus ſeponat omne ſtudium rei privatæ, quod ſaluti publicæ eſt adverſum. Quia imperitia impar eſt perſpiciendis ſummis rebus, quæ populo ſunt definien-

niendæ, ne in periculum aut exitium adducatur resp. promiscue omnibus concedi nequit jus, de his pro arbitrio statuendi (§. 541.); nisi imperitiæ succurratur partim per peritiores, senioresque, docentes suis suffragiis, quid sit optimum factu (§. 548.) & (§. 574); partim legibus ad normam legum naturalium conformatis (§. 559.) & a præstantissimis legislatoribus selectis ac statui populari accommodatis (§. 560. *seq.*). His ergo ducibus utendum est populo perpetim, cui salus publica curæ est cordique.

Externo quidem jure, in re præsertim dubia, suffragia non ponderantur, sed numerantur, ut res exitum habere possint (§. 77. *P. VII. Jur. nat.*). Interna tamen obligatio divina adest, unumquemque tenens, ut in rebus privatis pariter ac publicis meliora ipsi sint præferenda (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*). Esto igitur difficile vota ponderari (§. 72. *P. VII. Jur. nat.*), dum unusquisque in iis ponderandis suo abundare solet sensu (§. 73. *ibid.*). Quia tamen meliora sunt præferenda, quilibet bonus civis, contendentibus inter se sententiis, probe expendere debet earum rationes, & quas conscientia meliores esse dictat, eas cæteris præferre, omni partium, & privatæ causæ studio remoto. Neque enim in suffragiis agitur de jure suffragandi, quod, quibus debetur, per se salvum manet, sed de communi salute tuenda, quæ optima requirit consilia, usu satis comprobata & prudenter exsequenda.

§. 598.

Quænam democratiæ sint fœderandæ?

Quo debiliores sunt democratiæ, eo magis consultum est, ut vicinæ fœdere in unum veluti corpus coalescant. Vt enim civitates debiliores magis sibi sufficere possint, adjungere sibi debent alias, unde, quæ ipsis desunt, adquirant (§. 138. *seq.*). Cum vero quo magis civitates saluti suæ prospicere cupiunt, eo magis invicem consociandæ sint (§. 141); dispiciendum erit, num plena unione, an fœdere arctiori (§. 143. & 147.) rectius sibi

consultum foret. Quare cum vicinæ democratiæ debiliores sibi invicem multum prodesse queant, recte illæ fœdere inito operam dant, ut salutis publicæ firmandæ junctisque viribus & consiliis procurandæ causa in unum veluti corpus coalescant.

Achæi perhibentur Iones coëgisse, ut solum verterent, rege Tisameno. Cujus filii cum insolentius se gererent, a populo potestate exuti sunt, regno in democratiam converso. Inde urbes primum 13 in unam civitatem coivere, & concordia rupta rursus coaluere 9; paulatim vero accessere ipsis pæne omnes in Peloponeso civitates & nonnullæ extra Peloponesum, ob insignem qua gaudebant, justitiæ æquitatisque laudem, ut teste *Polybio* litis de Leuitrica pugna cognitio ipsis propter fidem probitatemque permitteretur. Quibus rebus factum est, ut res suas sensim ad invidiam usque promoverent, cum ipsa re ostenderent, non commodis se suis, sed bono publico esse amiciores, nec in armis subactos ullum sibi sumerent imperium, sed in reip. communionem, paremque potestatem eos adsciscerent, nec id verbis solum profiterentur, sed ipsa re sine vitio præstarent. Vid. *Emmius p. 274. seqq.* Recentius exemplum simile præbent helvetici pagi, & belgium fœderatum.

§. 599.

Cur communi opus sit fœderatorum senatu! *Si plures democratiæ in unum corpus coaluere, communi opus est fœderatorum senatu, de summis rebus per delectos prudentissimos statuente.* Etenim si plures democratiæ in unum corpus fœderatum coaluere, opus est, ut de summis rebus communi consilio statuatur, quam fieri potest prudentissime (§. 598.). Enimvero hoc fieri nequit, nisi eligantur ad hunc finem viri prudentissimi, quot videntur rebus suffecturi, iisque ea in mandatis dentur, quæ fœderatarum civitatum popularium rationes requirunt. Reliqua de senatu fœderato notanda peti possunt ex iis, quæ de Senatu democratico supra sunt enarrata §. 569. seqq.

Vnico Achajæ exemplo sufficerit hæc illustrare. Fuit nempe Achaicæ reip. status vere popularis seu salutarium legum repagulis firmatus, ut ab optimatum forma non longe discederet. Aderat consociatio civitatum arctissimo nexu inter se devinctarum, quarum tamen singulæ proprios habuere senatus, magistratus reliquos, judices suos, civilem ordinem & instituta sua, ab aliis separata. Attamen iisdem utebantur legibus, mensuris, ponderibus, numis. Habebant magistratus superiores eosdem, communem remp. curantes, eosdemque senatores & judices summos, Polybio, domestico autore *Hist. II. c. 37. seqq.* Agebant civitates majores & minores pari inter se jure, ut minimæ suffragium valeret tantundem ac maximæ, nisi quod autoritatis plus aliæ quam aliæ ad deliberationes afferrent. Consentiunt Polybius, Livius, Plutarchus & Pausanias, concilium omnibus commune unicum fuisse, unum illius principem, eundemque belli ducem & prætorem, cujus vero potestas legibus adstricta, in bello tamen liberior. Annuum ejus erat imperium, sed sæpius illi redditum, si virtute polleret, plerumque per intervalla, interdum & continuo prorogatum, uti Aratus Sicyonius decies septies id munus gessit. Ad concilium coibant delecti omnium civitatum, quæ societatis erant participes. Post prætorem inter hos erant decemviri, electi ex concilio prudentia præcipui, quorum consilio potissimum prætori ex lege utendum erat. Dicebantur illi ab Achæis δημιουργοι, a Polybio συναρχοντες, eorumque consessus συναρχια, quam Livius summum nuncupat magistratum. Coibant ad hoc concilium quoties res poscebat, vocante Prætore, aut adjuncto magistratu. Legitime quidem bis quolibet anno concilium erat, (αρχαιρεσιαι) magistratuum creandorum causa, statis diebus. Conveniebant Aegii, in oppido fere medio, rarius alibi, postea vero propter urbis amplitudinem, splendorem & opes illustres, Corinthi. Penes hoc concilium summum erat rerum arbitrium, ex ejus decreto bella suscipiebantur, fœdera feriebantur & solvebantur, pax conveniebat, leges condebantur & abrogabantur, legationes &

legati defignabantur mandatisque inftruebantur, regum & populorum aliorum legati audiebantur, deque illorum poftulatis & conditionibus propofitis ftatuebatur. Prætor cum decem viris præconfultabat de iis, quæ confenfu majoris partis ad concilium referenda erant. Sententiæ in concilio facunde dicebantur, fed juffu legis breviter in fcriptum relatæ poftridie exhibebantur concilio examinandæ, & poftea demum res fuffragiis permittebatur, ut tertio die vel decretum fieret, vel fi de illo non convenisset, concilium dimitteretur. Si legati concilium expetebant, non licebat illud prætori & demiurgis indicere, nifi mandata fuorum fcripta afferrent. Alia lege non licebat quidquam ad concilium referre præter ea, ob quæ concilium erat convocatum. Licebat quoque lege his absque offenfa reliquorum e concilio difcedere, priusquam in fuffragia iretur, fi quid decernendum erat, quod animis ipforum adverfaretur, aut contra regem & populum vergeret, cujus ipfi effent amici. Lege quoque interdictum erat, ne cui civitati achaicæ liceret feorfum ad exteros ullos mittere legatos; inprimis vero, ne quis omnino five privatæ conditionis, five magiftratum gerens, ullam ob caufam dona a rege aliquo caperet. Quam legem recitat *Polybius Ecloga legationum* 41. additque exempla & rationes, quia dona accipientes, velut efca devorata capiuntur, & mercede auctorati vel coguntur ad regis commoda civitatum liberarum faluti præferenda, vel ad crimen ingrati animi fubeundum, fi mercenarii velut tamen defideriis regiis refragentur. Facile dona occæcant mentem, ut verum videre, integritatemque præftare nequeant. Inde *Ifocrates* dixit, qui beneficium accipit, libertatem perdit. Conf. *Emmius p. 301. feqq.*

POLI-

POLITICAE P. I.
CAPVT VIII.
DE ARISTOCRATIAE CONSTITVTIONE.

§. 600.

A *democratia recte instituta haud longe recedit Ariſtocratia.* Etenim in democratia recte inſtituta requiritur ſenatus, demandatas ſibi partes nomine populi exercens (§. 535.) & in eum cooptandi ſunt peritia rerum publicarum, integritate: fide ſingulari conſpicui (§. 571.). Qui ſi virtutibus cæteris præſtant, revera ſunt optimi viri. Quales cum etiam ſint optimates, reapſe conveniunt optimates cum ſenatu democratiæ ſuperiori, differuntque tantum eo, quod populus ſenatui imperium non niſi nomine populi gerendum committit una cum obligatione ad reddendas populo rationes (§. 535.), aut & tantum ad tempus illi exercitium imperii permittit; optimatibus vero imperium ita defertur, ne opus ſit reddendis populo rationibus, ut ipſorum imperium ſit perpetuum, nec alieno, ſed ſuo nomine exercentur (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*). Quare ſi omittas magiſtratus ſuperioris rationes populo reddendas, adeſt convenientia democratiæ recte inſtitutæ cum Ariſtocratia, quæ ideo a priori parum differt. *Democratiæ affinis eſt Ariſtocratia.*

Ciceroni optimates eſſe eos, qui ſua conſilia optimo cuique probent, annotavimus ad (§. 591.). Ariſtoteli eſt Ariſtocratia illa reſp. cui præſunt optimi propter optimum ſcopum, (πϱος το αϱιϛον τη πολει) vel quod optimum eſt civitati. *L. III. Polit. cap.* 7. Vt vero optimi & optimatis differentia melius pateat, notavi, optimates in civitate illos eſſe viros optimos, quibus ſimul

ſimul ſumtis ſummum in civitate imperium eſt (§. 295.). Aliam reſpexit convenientiam cum Democratia *Jac. Martini Politicæ L. II. cap. XI.* ubi polycratia dividitur in democratiam & oligarchiam (latius acceptam pro ea rep. in qua ſumma poteſtas tantum eſt penes pauciores tota multitudine, ideoque non penes omnes, ſed tantum penes aliquos cæteris digniores). Præſtat igitur loco oligarchiæ adhibere uſitatius nomen Ariſtocratiæ, licet non ignoremus *Ariſtotelem L. IV. Polit. c. 3. & 4.* item *Thucydidem*, *Aeſchinem* & *Plutarchum* latiorem illum uſum adhibuiſſe. Neque opus eſt, ut optimates ſint perpauci, multo minus, ut ſint plerique ex populo. Sufficit non eſſe univerſos, uti in democratia, numerus enim optimatium admodum variare poteſt. Vnde degeneratio dici non poſſet, ſi propter iſtam convenientiam ſtatus popularis abiret in ſtatum optimatum, ſed eſſet nuda mutatio democratiæ in Ariſtocratiam: quem ad modum quoque Ariſtocratia viciſſim mutari poſſet in democratiam, conſenſu omnium interveniente. Tranſitus vero iſte ex una forma in ſimilem aliam vix fiet, niſi incommoda prioris anſam dent.

§. 601.

Præcipuus Ariſtocratiæ ſcopus. *Ariſtocratiæ ſcopus præcipuus eſt optima adminiſtratio reip. vix melius perficienda quam per plures uno, virtutibus inſignes.* Quoniam fieri nequit, ut univerſus populus virtutibus mentalibus moralibusque excellat, teſte experientia vulgari; facilius autem reperiri poſſunt nonnulli, virtutibus eminentes, quibus ornari populi ſenatus ſolet (§. 571.): naturalis invitatio ad Ariſtocratiam inde naſci poſſet, quando populus recte æſtimans ea, quæ ab optimis ſenatoribus fiunt ſalutis publicæ cauſa, animadvertit, hæc ſola junctim ſumta ſufficere poſſe, neque ſibi meliora eſſe conſilia, ideoque illis ſummam rerum demandat, jus ſuum in illos transferendo (§. 296.). Tum enim principis ratio ea eſt, quæ eſſe debet, & ſcopus præcipuus transferendi imperium publicum in optimates eſt plane legitimus, optima vide-

videlicet administratio reip. per plures, qui ipsi junctim pares sunt, sua virtutum excellentia (§. 599.). Hinc liquet, præcipuum Aristocratiæ finem esse optimum regimen reip. ab optimis, qui haberi possunt, hoc est virtute præstantissimis obtinendum præstandumque. Quem finem legibus naturalibus convenire, expeditum est (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*).

Vnum excellere virtutibus, aut paucos, usu venit. Vt vero multitudo excellat ad omnem virtutem, difficile est, nisi ad bellicam, quæ & in multitudine esse potest. Ita statuit *Aristoteles L. III. Polit. cap. 7.* & *cap. X.* addit: bonos & æquos dominari oportet, autoritatemque habere sive dominos esse omnium. Alii omnes cum non capiant magistratus, ab honoribus excludentur. Nam honores magistratus potestatesque appellamus. Quos si boni semper habent, necessarium est, alios illis carere (ἀτίμους εἶναι). Sed num unus, qui sit optimus (σπουδαιότατος), imperare debet? At hoc gravius (ὀλιγαρχικώτερον) est, quoniam plures erunt ab honoribus exclusi. Subdit tamen non tam homines, quam legem dominari debere, & sic fere idem esse eventurum in democratia & aristocratia. Postea *cap. 16.* scribit: melius est, ut lex dominetur, quam quisquam civium. - - Qui legem præesse jubent illi videntur Deum jubere præesse, qui autem hominem volunt præesse, adjungunt animal cupiditate plenum, pervertente etiam optimos viros; Lex autem mens est absque cupiditate. - - Sed non facile est, unum discernere omnia posse. Opus igitur erit, ut plures sint sub eo constituti magistratus. At quid interest, hoc ab initio statim fiat, an unus hoc modo dein constituat? Præterea si vir bonus, quia melior, imperio est dignus, uno sane plures sunt meliores, ut Agamemnon tales decem sibi optat consiliarios (συμφράδμονες) - - - Si reges sibi multos faciunt oculos, multas aures, manus & pedes multos, & imperio & sibi amicos, socios imperii faciendo; quia amicus par est & similis, pares & similes præesse debent.

§. 602.

Ariſtocratia conveniit legi naturali.

Quia æquum & ſalutare eſt reipublicæ, ut ſummo imperio non alii præſint, quam qui illi optime præ eſſe & poſſint & velint (§. 241. & 571.): oportet ut optimates non alii ſint in Ariſtocratia, quam qui & poſſint reip. optime præeſſe, & id ipſum conſtanter velint. Sed quia aliena perraro æque curantur ac propria, experientia teſte: naturalis ratio adeſt, optimis imperium non tantum ut alienum adminiſtrandum, tradendi, verum etiam, ut eo diligentius meliusque id faciant, id ipſis ut proprium credendi. Conformis igitur eſt legi naturali translatio ſummi imperii a populo in optimos (§. 296.), ideoque *Ariſtocratiam legi naturali convenire, extra controverſiæ aleam eſt poſitum.*

Quia bene vivendi gratia requiritur civilis ſocietas, quicunque ad hoc plus conferunt, his plus juris eſſe debet in Rep. quam his, qui libertate ac genere pares ſunt, vel majores, ſed civili virtute ſunt inferiores, aut qui divitiis ſuperant quidem, ſed virtute ſuperantur, ſecundum *Ariſtotelis L. III. Polit. c. 9.* Qui *cap. 13.* pergit: ſi unus usque adeo excellat virtute, vel plures quam unus, ut neque comparanda ſit aliorum omnium virtus neque facultas gerendi remp. ad hanc plurium, vel unius, vix amplius hos ponendos eſſe partem civitatis. Fieret quippe illis injuria, ſi pares aliis cenſerentur, cum ſint ſuperiores ſecundum virtutem. Putandum enim eſſe talem quemque virum eſſe tanquam deum in hominibus. In hos non eſſe legem, ſed ipſos eſſe legem, & ridiculum fore, ſi quis illos legi vellet ſubjicere. In hos oſtracismum inique eſſe repertum. - - - Si quis excellat virtute, tantum abeſſe, ut ille ejiciendus ſit e civitate, ut ne quidem aliorum gubernationi ſit ſubjiciendus. Hoc perinde fore, ac ſiqui cum Jove gubernandi poteſtatem dividere conarentur. Proinde talem eſſe hujus aut horum naturam, ut omnes ſponte ſua illi vel illis parere debeant, itaque hujusmodi homines in civitatibus reges perpetuos eſſe debere.

§. 603.

Requirit Aristocratia plures in civitate, qui revera cæteros virtutibus civilibus antecellant, & quorum virtus quoque cæteris sit perspecta & explorata. Optima enim quæritur in Aristocratia reip. administratio, vix melius perficienda, quam per plurium virtutes in eundem finem intentas conspirantesque (§. 601.). Qui cum non tantum membra civitatis esse, sed & præesse eidem debeant in Aristocratia (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*): omnino plures in civitate dari debent virtute cæteros anteeuntes, nec haberi Aristocratia poterit, nisi plures hujusmodi illi insint. Quia vero nomen optimatum non sufficit, sed virtutum præstantia nomine isto digna (§. 600. *not.*): evidens est, revera plures in civitate cæteros virtutibus civilibus antecellere debere. Sed si ignota sit illa virtus, nemo illius rationem habere, multo minus illam optimatum numero accensere poterit, nec in illum cooptare, quod per se liquet. Proinde qui virtutum insigni præstantia gaudent, illi operam dare debent, ut illi, quorum interest hoc scire, eam habeant perspectam indubiisque documentis exploratam, ne sua culpa inutilis maneat reip. ipsorum virtus.

Postulat plures virtute politica insignes.

Si ponis unicum tantum esse, virtute salutem publicam procurandi præditum, uti in casu, ab Aristotele jam posito, quem notavimus ad §. 602.; Monarchia jure esse poterit, non Aristocratia. Hinc idem existimat *cap. 15.* optabilius esse civitati, ut regatur a plurimis iisque optimis, quam a rege, modo reperiri plures queant similiter. Ob hoc forsan reges ab initio fuisse, quod difficile tum erat reperire plures virtute eximios, præsertim, quia civitates tum parvæ erant - - - sed cum postea contingeret, ut plures exsisterent virtute pares, civitates non tolerasse amplius reges, sed creasse optimates &c. Conferri optimates in civitate possunt cum patre & matrefamilias, in domo unitis viribus gubernantes, etsi alterutri præstantiori

 primæ

primæ partes ſponte relinquantur, niſi amentia aut inſipientia obſtet. Quoniam oſtentare virtutem ineptum eſt, niſi occaſione ad eam exſerendam invitante: ſubminiſtrandæ ſunt his, qui virtute excellunt, occaſiones, ubi illam exſerere, aliosque de illa ejusque genuino uſu convincere queant. Inde ſpecimina & documenta virtutis attente obſervare & examinare reliquos, ipſa autem virtute præditos non abhorrere ab edendis, ubi opus eſt, virtutis ſuæ ſpeciminibus decet. Secus ſi fiat, reprehendi meretur, is cujus culpa ignoratur, quis inter optimos ſit referendus. Sic *Salomo Eccleſiaſt. Cap. IX. v. 15. ſeqq.* ait: Etiam hanc animadverti ſapientiam ſub ſole, quæ magna mihi eſt viſa. Civitatem pavam, paucorum civium obſidebat rex magnus, exſtructis contra eam operibus. Erat in iſta vir ſapiens pauperculus, qui liberare urbem ſapientia ſua potuiſſet, nec tamen quisquam rationem habuit viri illius. Dico ergo, meliorem eſſe ſapientiam robore, quanquam ſapientia illius deſpiciatur, nec verba ejus audiantur.

§. 604.

Et habitum virtutibus publicis optime utendi.

Eadem quoque requirit optimatum conſtantem perpetuamque voluntatem publica quæque negotia ad ſalutem publicam quam optime expediendi. Præcipuus enim Ariſtocratiæ ſcopus eſt optima reip. adminiſtratio, plurium præſtantiſſimorum conjuncta virtute conſequenda (§. 601.). Optimus vero reip. rector non eſt, niſi qui & valet & vult eidem optime præeſſe (§. 331.). Sed optime præeſſe illi non valent, niſi qui cæteros virtutibus politicis ita antecellunt, ut eorum virtus explorata habeatur (§. 603.). Nec volent, niſi qui conſtanti gaudent perpetuaque voluntate, publica quævis negotia ad ſalutem civitatis quam optime expediendi, quæ voluntas pariter comperta habeatur (§. 571.). Ea propter omni dubio majus eſt, Ariſtocratiam requirere conſtantem perpetuamque voluntatem optimatium, eamque ſatis compertam, publica quævis negotia ad ſalutem publicam quam optime expediendi.

Habitus

Habitus mentem perficientes vel sunt theoretici, vel practici. Illi sunt virtutes, quæ vocantur intellectuales; hi vero virtutes morales. Illæ scientiam sapientiam & prudentiam imperandi complectuntur; hæ quoque praxin expeditam illarum virtutum, nec dubiam in illis perseverantiam involvunt. Ideo constantem perpetuamque requirunt voluntatem agendi secundum illas, & fugiendi quæcunque illi sunt contraria, quæ se exserit ardore flagrante ita agendi, nec aliter unquam agendi (§. 232. *seq. P. II. Philos. pract. univ.*), nec non perspecta animi convictione de virtutum cultura & vita anteacta irreprehensibili.

§. 605.

Virtutum civilium præstantia nititur tum præstantia ingenii, tum illius cultura haud vulgari. Tot enim teste experientia, dantur diversa ingenia, quot dantur homines, nec fieri potest, ut aliter differant a se invicem. Necesse igitur est, ut ingenia humana gradibus facultatum a se invicem mirifice differant, & ut alia aliis rebus sint aptiora. Hinc alia quoque aliis sunt excellentiora in capiendis exercendisque virtutibus cum intellectus, tum voluntatis. Quamobrem optimi futuri carere non possunt præstantia ingenii naturali, gradibus facultatum suarum alios plurimos superante. *Virtutum civilium bases.*

Enimvero si vel præstantissima hominum ingenia inculta relinquantur, aut inter feras adolescant, vix quidquam præstant se dignum, sed velut ager incultus lolio luxuriant infelici vitiorum. Si ergo quemadmodum possunt, in virtutibus excellere debent, hæ quia in arduo sunt positæ, nec genere & natura propagantur induntur que, sed plurimæ indigent commentationis, doctrinæ & exercitationis, addiscendæ, limandæ subinde ac perficiendæ sunt. Perspicuumne ex his habetur, virtutes civiles haud vulgari mentis cultura esse adquirendas? (§. 262. & 792. *Oecon.*).

Primordia quidem virtutum a natura eſſe, *Plato* agnoſcit *in Epinom.* ſed media & fines a diligentia (μεσα δε και περαλα εξ επιμελιας). Fieri viros bonos valde eſt difficile (παγχαλεπον). Prima pars bonitatis eſt, velle fieri bonum, & magna pars profectus, velle proficere, *Seneca* ſcribit *Epiſt.* 71. inſignis poſtea pars virtutis diſciplina conſtat, pars exercitatione, & diſcas oportet, & quod didiciſti, agendo confirmes. *Epiſt.* 94. & *Epiſt.* 95. non poteſt quisquam niſi ab initio formatus & tota ratione compoſitus omnes exſequi numeros, ut ſciat, quomodo oporteat, & in quantum, & cum quo, & quemadmodum. Nam virtus non contingit animo, niſi inſtituto & edocto, & ad ſummum aſſidua exercitatione perducto. *Epiſt.* 90.

§. 606.

Ariſtocratia virtutum ſublimium altrix.

Ariſtocratia recte inſtituta egregia offert ad virtutis culturam eximiam incitamenta. Ariſtocratiæ enim propoſita eſt optima reip. adminiſtratio, non rectius perficienda, quam perplurium inſigni virtute (§. 601.). Proinde requiruntur in ea plures revera cæteros virtutibus civilibus omnis generis antecellentes (§. 603.); conſtantique & perpetua voluntate præditi, negotia publica ad ſalutem omnium expediendi (§. 604.). Enimvero ejusmodi virtutum publicarum præſtantia locum habere nequit, niſi ubi propitia minerva culturam nacta eſt haud vulgarem (§. 605.). Invitat idcirco recte inſtituta, nec degenerans ab indole ſua, Ariſtocratia homines, quibus divina largitas præclaras conceſſit ingenii dotes, ad illa ita excolenda, ut quantum fieri poteſt de obtinendo in virtutibus civilibus principatu contendant. Habet igitur Ariſtocratia hanc quoque non poſtremam commendationem, quod genuina ac recte comparata per ſe egregia offerat ad virtutis culturam incitamenta, nec minora ſummi imperii majeſtate paucis communi.

Si cui mirum videtur, ariſtocratiam hic virtutum ſublimium

matrem

matrem & nutricem, vel sublimes virtutes civiles aristocratiæ alumnas vocari; ei tantum brevi utendum erit comparatione aristocratiæ & democratiæ. Monarchiam enim hic seponendam esse, nullo negotio patescit, in qua non nisi uni imperii brabeum, idque sæpe hæreditarium propositum dici potest. Sic planum fiet, in democratia quidem omnes aut plerosque imperii publici participes, sed nequaquam eidem pares esse posse, cum insignis virtutum gradus tantum in paucos cadere possit, *quos æquus amavit Juppiter & ardens evexit ad æthera virtus.* Prætérea non nisi exigua imperii publici particula fereque evanescens minutia, eaque plerumque ad breve duntaxat tempus unicuique obtingere potest & solet, ut vix operæ pretium esse videatur, illius causa desudare. Accedit in populi opinata æqualitate, ut vilipendat culturam ingenii velut nugas inutiles, nec rei faciendæ aptas. Attamen quatenus æstimanda etiam in democratia est virtus civilis, in administratione reip.; non nisi a peritis integerrimisque viris recte præstanda (§. 571.); eatenus & democratia accedit propius ad indolem Aristocratiæ, nec melius florere, visa est, quam inter cultiores gentes, quarum bene multi virtutibus fuere insigniti. Neque tamen negari potest, inde quoque haud raro ansam esse datam, ut democratiæ abirent in Aristocratias vel ut inde mixta forma coalesceret. Quamdiu tamen popularis resp. salva est, illa quantumcunque offerat virtutibus excolendis præmium, illud tamen semper minus est eo, quod Aristocratia habet. Hæc enim optimatibus summam rerum committit, itaque majestatem non obnoxiam populo, veluti coronam vincentibus reliquos offert. Quo argumento invitamentoque quid majus potentiusque esse possit inter ea, quæ a societate civili pendent, non apparet, nec facile a quoquam ostendetur. Oppido igitur patet, Aristocratiam insignem esse virtutum sublimium & æmulationis illarum patronam dicam ac genitricem.

§. 607.

In constitutione imperii optimatum abusui quoque illius quam optime dum est de- ***Occurren-***

pravationi aristocratiæ. *optime occurrendum est.* Conficitur illud similibus argumentis, quibus supra (§ 524.) ostensum est, abusum imperii popularis esse solicite præcavendum evitandumque.

§. 608.

In Aristocratia summa jura non sunt divellenda. Siquidem in Aristocratia imperium est penes optimates simul sumtos (§. 295. *seq.*), optimates in Aristocratia conjunctim tantum valent, quantum in democratia universus populus (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*). Ideoque omnes simul gaudent imperio pleno, absoluto, summoque (§. 136. *ibid.*). Quia summum imperium in Aristocratia est penes universitatem optimatum, seu penes eorum collegium, fieri nequit, ut optimatibus alia atque alia jura summa tribuantur v. c. ut aliis sit supremum jus tributorum & fisci, aliis jus sacrorum, aliis jus belli & pacis &c. Vnde patet, *dividendo summa jura inter optimates aristocratiam constitui, & abusui ejus obviam iri non posse.*

Non foret enim Aristocratia, in qua alius esset belli dux summus, alius quæstor seu Thesaurarius absolutus, alius summus judex civilis, alius criminalis, &c. Sed illi forent nudi magistratus a populo hujusmodi negotiis in democratia præfecti, si obligarentur ad reddendas rationes. Aut foret quædam συναρχία, quam condominatum dicunt. Vid. notata ad §. 599. *Puffendorfii Jus Nat. & Gent. L. VII. c. 5. §. 15.* Nempe in Aristocratia universitas optimatum gaudet summo imperio, singuli autem optimates, perinde ac populus reliquus, subditi sunt totius collegii (§. 143. *P. VIII. Jur. nat.*): pari modo ac in Democratia populus universus majestate gaudet, singuli autem seorsum sumti ea carent, nec nisi subditi sunt. Ast in Synarchia, tot sunt superiores, quot sunt condomini, nec unus eorum alteri vel cæteris est subjectus (§. 144. *P. VIII. Jur. nat.*). Ipsis nempe imperium nequaquam divisum ita commune est, ut cohæredibus patrimonium, licet administrationem diremtam habentibus. Quamdiu scilicet (raro exemplo) nemo officio erga alium deest, & meliorem sententiam, quam deprehendunt, quisque

quisque ſuam facit, quanquam ea ab alio eſt excogitata & prolata; tamdiu una omnium voluntas eſt, & communio dominii vel imperii ſubſiſtet.

§. 609.

Hinc abuſui obviam eundum erit legibus, e penu legum naturalium petitis, recteque ad ſtatum optimatum accommodatis, ipſoque etiam numero optimatum apto. Prior pars & hic pari modo docetur, ac in democratia (§. 559. *ſeqq*). Quibus legibus ſimul religio conſcientiæ, jurisjurandi, & quæ præterea uſu comprobata habentur optimæ fidei ſubſidia ſic injungentur, ut nunquam negligantur. *Sed legibus & copia optimatum abuſus cavendus.*

Poſterior pars præcepti reſpicit diverſitatem ingeniorum humanorum, per quam etiam optimi, qui habentur raro plane & eo minus conſentient, quo plurium conſenſus requiritur (§. 582.). Quapropter ſi perpauci optimates iique tam pravi eſſent, quod tamen ne facile contingere poſſit, legibus cavendum eſt, ut abuti ſua poteſtate privati commodi cauſa vellent, cæteri tamen rectius ſentientes officioque inhærentes, eosdem rationibus, legibusque corrigere; aut, ſi corrigi nolint, pœnam a legibus dictatam non adjumento, ſed approbatione populi, promte illis acceſſuri, ab illis repetere poterunt. Itaque in juſto numero ipſa diſſenſio optimatum eo probabilior, quo plures ipſorum ſunt, abuſui imperii obſtabit.

Bodinus quidem *Lib. VI. de Rep.* contendit, quo pauciores ſint optimates, eo diuturniorem ſtabilioremque fore Ariſtocratiam. Licet vero ſtabilitas Ariſtocratiæ a numero optimatum non pendeat, neque facilitas conſenſus rem conficiat, qui tam in malis, quam in bonis dari poteſt: abuſui tamen poteſtatis inter bonos, quales optimates eſſe debent, facilius obſtare poterit eorum multitudo, quam paucitas, quum facilius ſit bonos pauciores declinare a recto & in eo convenire, quam plures.

res. Ita post reges expulsos Romana resp. regebatur per senatum, cui duo quotannis consules erant, qui Senatus jam a Romulo constitutus erat, & post hujus mortem interregno annuo ita defunctus est, ut singulis 50 diebus deni ex centum patribus summæ rerum præessent. Iidem romani alio tempore decemviros creaverant legum ferendarum & reipublicæ corrigendæ. Respublica Pharsaliorum 20 senioribus gubernabatur. Post ejectos reges Cretensium reip. præerant 30, seu decem Cosmi, cum senatu a reddendis rationibus immuni. Moses Judæis præfecit 70 Seniores *Numer*. XI. 16. Florentinus Senatus Centum viros, Epidauriorum 180, Venetorum ultra 200 concilium vero ultra 2000 complectitur.

§. 610.

Palladium Aristocratiæ est virtus.

Optimum tamen præsidium felicitatis Aristocratiæ erit in virtute optimatum, subditorumque. Salus enim primaria, uti omnis civitatis, ita & Aristocratiæ continet felicitatem omnium ac singulorum civium (§. 39.). Quæ quia non nisi virtutibus obtineri potest (§. 40.): cum optimates, ut aliis, ita & civilibus regendi remp. virtutibus excellere, tum subditi, eorum exemplum imitantes, in suo vitæ genere illos æmulari, ac inprimis de obsequii gloria honeste certare debent. Manifestum igitur est, virtutes optimatum insignes pariter ac subditorum præstantissimum esse felicitatis Aristocratiæ præsidium palladiumque.

Posset idem quoque inde perspici, quia virtute nihil est melius, ideoque illa est optimum eorum, quæ homini dari vel suo marte comparari possunt in hac vita. Neque sine virtute quisquam optimus esse potest. Sed Aristocratia regenda est ab optimis, qui propterea non nisi virtutibus hoc nomen mereri possunt & tueri. Ea propter & optimates jure non erunt nec dicentur, nisi virtutibus civilibus excellant. Quum vero Aristocratia ad virtutis culturam eximiam tota quanta debeat esse comparata (§. 606.); patescit, ipsam naturam metamque Aristocratiæ

tiæ non nisi virtute tum optimatum tum subditorum haberi posse. Si tollis virtutem ex Aristocratia, inane nomen, cui res nulla respondet, appellas. Cæterum supra monuimus, optimam remp. hic non dici absolute & simpliciter, sed quæ quantum fieri potest optima sit, & in usum cadere possit. Quod & de virtute notandum, quamquam Aristoteles aristocratiam appellari dicit, quia in illa sola veræ virtutis habeatur ratio, & viri absolute ac per se boni regnent, non comparate (ἐν ὑποθέσει). Innuit scilicet tantum virtutes veras & in se tales perfectasque, quibus abuti non licet, non tantum sub quadam conditione. Inde in hac sola ait virum absolute bonum, & bonum civem esse eundem. *Lib. IV. Polit. c. 7.* Intuemur inquit *Aristoteles Lib. V. Polit. c. 2.* Aristocratias & oligarchias durare, quamdiu gubernantes se recte gerunt erga cives aliasque resp.

§. 611.

Ad vitandum imperii optimatum abusum facit illius brevitas & vicissitudo. Etenim institutio Aristocratiæ a populi voluntate dependet (§. 209. *P. VIII. Jur. nat.*); hinc etiam temporis, quo durare debet, definitio in arbitrio populi sita est (§. 210. *ibid.*). Quare etiam temporaria, v. c. annua, semestris &c. dari potest aristocratia (§. 211. *ibid.*). Sed in hujusmodi temporaria Aristocratia æque ac in democratia (§. 583.) ipsa brevitas temporis obstat molimini Aristocratiam vel evertendi, vel imperio in eadem abutendi. Idcirco brevitas imperii optimatum ejusque vicissitudo legitima faciet nonnihil ad vitandum illius abusum.

Abusui obstat brevitas imperii optimatum.

Hunc usum agnovisse & quæsivisse illi videntur, qui annuos Consules esse voluere Ephoros, vel suffetes &c. Sic veterum Saxonum Resp. per annuas vices a duodecim primatibus gubernata est. *Plato* vero *Lib. VI. de Legg.* in republica sua senatum constituit ex triginta duodenis, ut scilicet triginta singulis mensibus per vicissitudines ad reip. gubernacula sederent, cæteris interim res suas privatas curantibus. *Stagirita Lib. V. Polit. c. 7.*

ſtatuit: ſi plures remp. gubernent, eis multa popularia inſtituta ſunt utilia, uti ſemeſtres eſſe magiſtratus, ut pares omnes eos adipiſcantur. Sic Rector Raguſanus eſt menſtruus, & præfectus caſtelli diurnus. Luccenſe ſummum decemvirorum collegium eſt trimeſtre; ſenatus arctior ibidem octimeſtris.

§. 612.

Quando perpetua locum habeat Ariſtocratia?

His autem, quorum indubia eſt virtutum exſerendarum fides, perpetuum dari imperium nihil vetat. Pendet & hoc a populi voluntate, utrum perpetuum optimatibus imperium tribuere velit (§. 210. *P. VIII. Jur. nat.*). Jam ſi adſit indubia fides, fore, ut optimates imperio rectiſſime utantur, vel ſi quoque legibus aliisque ſubſidiis idoneis cautum ſit, ne abuti imperio facile poſſint, nihil eſt, cur perpetuum imperium illis eſſet denegandum. Eapropter ſi ſatis proviſum eſt ſaluti publicæ per leges, ſi optimatum fides virtutum comperta habetur & indubitata, perpetuum illis dari poſſe imperium reip. nihil vetat. Erit igitur hujusmodi Ariſtocratia perpetua (§. 213. *ibid.*).

Ita ſenatus Cretenſium erat perpetuus nec rationibus populo reddendis obnoxius. Speciem Ariſtocratiæ retinet resp. Lüneburgenſis, in qua Patritii plebejos ad arcana reip. non admittunt, nec matrimonia cum plebejis ineunt, teſte *Arniſæo L. II. Rel. Polit. c. 4. 5.* Norimbergæ olim nonniſi 28 familiis aditus erat ad magiſtratum. Genevates in perpetua gubernatione ſua quotannis cenſuram patrum inſtituunt, ne diu latere poſſint, qui virtutis ſimulatione tantum ad imperium evecti & ut illi, qui fiducia poteſtatis impotenter ſe geſſerint, cum dedecore dejiciantur, quæ ſunt verba *Bodini Lib. VI. de Rep. n. 708.* Cur perpetua dicatur hæc Ariſtocratia patet ex §. 213. citato. Singulis enim optimatibus manet imperium, quod accepere, ad dies vitæ, aliis in locum decedentium certa lege ſuccedentibus. Vnde cœtus optimatum eſt perpetuus, nec interit, ſed civitas ſemper

ſemper regitur a collegio optimatum, quale ſibi præeſſe voluit, teſte *Giphanio Comment. in Lib. II. Polit. cap. 10.*

§. 613.

Ad eundem ſcopum aptior deprehenditur Ariſtocratia electilis, quam ſucceſſoria, niſi huic legibus modus ponatur ſalutaris. Etenim electio optimatum fieri poteſt vel ab ipſo populo legibus obtemperante, vel ab optimatibus, ſi in hos jus eligendi lege fundamentali reſtrictum eſt translatum (§. 214. *ſeq. P. VIII. Jur. nat.*). Quia utroque caſu non eligendi ſunt, niſi qui haberi poſſunt optimi, quorum virtutis & fidei conſtantia ſit comperta (§. 603. *ſeq.*), ſi ſatisfiat officio, optimates habebuntur, quales eſſe poſſunt, & Ariſtocratia erit genuina, in qua abuſus poteſtatis optimatum, cæteris ſubſidiis non neglectis (§. 609. *ſeqq.*) haud erit metuendus. Cogitur ergo, Ariſtocratiam electricem ad evitandum imperii ſummi abuſum recte eſſe conformatam.

Quomodo de electione & ſucceſſione optimatum ſtatuendum.

Quoniam naſcendi ſors, quomodocunque ſucceſſio per illam determinetur, optimos non gignit, ſed hi ex genitis, ingenio divino, præditis, fieri debent (§. 605.): naſcendi ſorte optimi non reperientur, qui optimates fieri deberent. Sed quando in loca optimatum decedentium ſurrogantur alii ea lege, ut non niſi nati ab optimatibus recipi in concilium optimatum præſcripto modo debeant, Ariſtocratia eſt ſucceſſoria (§. 218. *P. VIII. Jur. nat.*). Quamobrem accurata electione melius caveri poterit, ne qui indigni loco optimatum in eorum cœtum adſpirent, & ſi plures fuerint tales, abuſui imperii fores aperiantur.

Enimvero quia & ipſa ſucceſſio ſic reſtringi poteſt lege fundamentali ſucceſſionis, ne id facile ſit metuendum; modo ſalutari præſcripto & rite obſervato, ariſtocratia ſucceſſoria a populo quoque inſtitui jure poterit. Tales vero modi forent

ſequentes, aliique his gemelli. Si prorſus inhabiles ad imperium optimatum, licet nati ab optimatibus, per ſe excluſi ſint; ſi inter natos optimatum demortuo propiores habilesque, virtutum ipſius æmuli præferendi ſint, & niſi ſe dignos loco ſuo gerant, digniores ſuccedendi jure gaudeant, arbitrante optimatum cœtu, vel ſimul populo; ſi omnes quidem ex familiis optimatum nati iique habiles ſuccedant, & majorennes facti in concilium admittantur, ſed ea lege, ne jure ſuffragandi gaudeant, ſed tantum ſententiam dicendi, donec locus vacet, ad quem præſtantiſſimus plurimisque virtutum documentis conſpicuus ſit adhibendus conſenſu optimatum, vel ſi ſuccedens obligetur illam ſequi ſententiam, qua meliorem afferre & cæteris perſuadere nequit, aut quam legibus ſuffultam eſſe intelligit &c.

Hertius in Elementis prudentiæ civil. P. II. Sect. 7. §. 1. primam ſtatuit Ariſtocratiæ diviſionem in ſucceſſivas & electivas. *Ariſtoteles* de Electione magiſtratuum agens, format dubia, num ea recte populo detur *L. III. Polit. cap. XI.* Videtur non eſſe niſi medici, judicare, quis recte ſit ſanaturus, & de artifice non niſi artificem recte ſtatuere, eumque probe expertum. De electione pariter videtur ſtatuendum, eam a multis ignorantibus non tam recte fieri poſſe, quam a paucis ſcientibus; ideoque multitudini non eſſe dandam autoritatem eligendi magiſtratus. Reſpondet autem, aliter ſtatuendum eſſe de multitudine non adeo imperita vel ſervili, ſed peritos includente. Vnumquemque imperitum eſſe quidem deteriorem judicem perito, dum vero cum aliis omnibus una conſultant, omnes ſimul ſufficientem capere ſenſum, & melioribus permiſtos prodeſſe reip. ut vel melius judicent, vel tamen non deterius. De quibusdam, addit, non ſolum is, qui fecit, nec melius judicat, quam quicunque opera cognoſcens, etiamſi arte deſtitutus. Non ſolum de his judicat qui fecit artifex, ſed melius, qui utitur. Vtitur autem paterfamilias, & rectius de temone judicat gubernator, quam

quam faber; de epulis conviva, quam coquus. Generatim inde colligit, rectius judicare posse universitatem, meliores simul complexam, quam ejus particulam - - - Nihil tamen adeo dominari debere, quam leges recte positas; qui vero reip. præsunt, in his debere potestate gaudere, in quibus leges accurate cavere nequeunt, quia perdifficile est, generali sermone singulos comprehendere casus - - - Quæ disputata huc redeunt, sive populus in electione salutem publicam & leges eidem conformes ob oculos habeat, sive optimates idem faciant, utrovis modo Aristocratiæ electrici recte consuli posse.

§. 614.

Cautio in electione optimatum per populum.

Si populus sibi reservavit jus eligendi optimates, cavendum erit, ne degenerans populus aristocratiam vitiet, aut mutet in ochlocratiam. Abusu enim electionis fieri potest, ut populus non eligat nisi quos sibi isto beneficio maxime devinctos, & ad quævis desideria paratos est habiturus; ut præferat melioribus adulatores, auram popularem quovis modo captantes; ut corrumpi se patiatur a plurimum munerantibus prodigis; & ut deteriores in cœtu optimatum meliores numero & potentia vincant. Quo ipso vitiari & depravari concilium optimatum, ipsamque aristocratiam necesse est. Ecquid facilius est, quam ut populus depravatus fiat abusus imperii pertæsus, aut omne imperium sibi vindicet, aristocratia eversa, & in ochlocratiam mutata?

§. 615.

Remedia ambitus in optimatum electione per populum.

Quod ne fiat, ambitus severe est arcendus, & nominatio dignorum optimatibus saltem callentissimis permittenda, e quibus populus eligat; vel peritiores e populo electores sunt suffragiis designandi, ex his pauciores sorte educendi, qui electionem non palam, sed remotis arbitris nulla mora interposita peragant. Minime ferendum est, ut in rep. munus aliquod ambientes, dona dent eligentibus, vel hi ab illis dona accipiant directe aut oblique (§. 892. *P. VIII. Jur. nat.*),

nat.), ne quidem impunis esse debet promissio pecuniæ vel alterius rei gratæ iis facta, qui jus conferendi vel nominandi habent, si obtentum fuerit munus (§ 893. *ibid.*). Quum ambitus sit crimen, quo quis data pecunia, aliove illicito modo corruptis suffragiis sibi aditum ad munus publicum parat (§. 894. *ibid.*): patet, ambitum severis pœnis tum corruptorum suffragantium, tum corrumpentium esse arcendum ab electione optimatum per populum peragenda.

Melius remedium erit, si & imperitia populi nihil temerare possit (§. 574). Quod fiet, si non eligat quoscunque vult, sed quos callentissimi sive optimates vel religione conscientiæ adstricti vel & pœna alias afficiendi, meliores digniores que munere esse sciscunt nominantque clam potius, quam palam. Tum enim populus antequam prensari a nominatis possit, vel & omni prohibita prensatione & petitione, ex nominatis statim eliget, quos novit cæteris esse præferendos.

Denique si vel populus promiscue eligere nequeat, sed peritiores probioresque suffragiis legantur, e quibus petendi sint electores, etiam hi in populo arcebuntur, qui inscitia vel improbitate peccare in eligendo possent. Ex his si veri electores non nisi sorte constituantur, nemo scire in antecessum poterit, quis sit electurus, nemo electuros prehensare vel corrumpere. Electoribus his obligatis ut repente, omnibus remotis arbitris vel adituris, electionem ex nominatis peragant; nihil erit certius, quam ita ambitum non esse metuendum, præsertim pœnis quoque gravibus coërcendum, sicubi detegatur, vel per accusatores evincatur.

Est ambitus familiare liberis populis malum ac inprimis pertinax. Quod *Stagiritam* movit, ut scriberet *L. II. Polit. c. 7.* maximam partem injuste factorum, quæ sponte admittunt homines, ferme proficisci ab ambitione & avaritia. Laudavit jam hæc

hæc remedia *Hertius* loco supra citato, qui §. 13. hæc addit: nulla sic esse poterit munerum corruptela, nulla prensatio: quia facile fieri potest, ut nullum jus sint habituri, quos tu egregie ambieris. Electores autem isti ad existimationem suam pertinere arbitrabuntur, ut ne ullum, nisi spectatæ virtutis eligant. Potest etiam fieri, ut electores illi nominent quempiam, de quo reliqui sanguine non conjuncti statuunt non palam, sed urnis ac suffragiis occultis. Habet Venetorum mos designandi magistratus exquisitior hisce consentanea, teste *Contareno L. I. de rep. Venetor. circa finem.* Prætermissis iis, quæ ad occultanda suffragia adhibentur, illud tantum videtur commemorandum, quod electores magistratuum sorte designentur, & quidem noveni in 4 ordinibus. Maximus natu pronuntiat civem, quem dignum judicat isto magistratu. Itur in suffragia a 9 electoribus, & si 6 vel plura tulerit, renuntiatur ab eo ordine competitor. Idem fit in cæteris ordinibus. Sic plerumque pro singulis locis obtinentur 4, saltem duo competitores, quos pronuntiant duæ priores electorum classes. Tum scriba magna voce pronuntiat competitores electos, addens quo autore & a quo ordine sint electi. Legibus sancitum est, ut elector, quo autore competitor est pronuntiatus, veluti fidejussor ejus habeatur, si contingat istum competitorem fieri compotem magistratus, & peculatus damnatum non esse solvendo. Quo facto competitores, cum gentilibus necessariis, siqui adsunt, exeunt e comitio, reliqui admonentur officii, ut ei suffragentur, quem optimum ac Reip. utilissimum fore persuasum habeant. Sic ex ordine singuli pilulis linteis occultissimo modo eliguntur. Numeratis suffragiis is electus habetur, cujus suffragia dimidium omnium numerum excedunt. Quod si primis suffragiis non fiat, omisso competitore quarto, & tertio, cui pauciora obtigere suffragia, secundis vel tertiis suffragiis obtinetur.

§. 616.

Item in eorum electione ne ambitus oriatur.

Si electio optimatibus sit tradita, simili ratione caveri potest, ne ambitus oriatur. Etenim legibus caveri potest, ne impunis

per optimates. ſit ambitus, ſicubi ſe exſerat. Effici iisdem poteſt, ut non ſine metu pœnæ a ſenioribus nominentur digni electione, qui velut competitores habeantur, & ut ex nominatis electio fiat ſuffragiis occultis, donec juſtus ſuffragiorum numerus adſit. Si metuendum ſit, ne male ſe gerant electi, vel dedecus aut pœna nominantis eum incitabit, ad illum vel compeſcendum, qui degenerat, vel loco mature movendum, eorundem ſuffragiis, quorum ſpem fefellit, multo magis eorum, qui ipſi jam in electione non ſunt ſuffragati (§. 615.). Quod & tunc non facile metuendum, ubi unicuique adjuncti alii, quorum intereſt, ne quid ſecus fiat, ac par eſt, & ſine quorum conſenſu nil committere valet; & ubi anno elapſo à magiſtratu eſt abeundum, ut non niſi optime defuncti ſuis partibus ſpem novæ electionis concipere poſſint (§. 611.). Sapienter etiam electioni admiſcere ſortem licet.

Venetorum concilium magnum e nobilibus conſtans quotannis Auguſto & Septembri menſe dicto jam modo eligit novum ſenatum, in comitiis decem diebus ſenos creando. His 60 legitimis ſenatoribus ſexaginta alii non ſorte ſed ſuffragiis adduntur, qui vocantur adjuncti, ne quis præcipuorum civium, non ſine detrimento reip. ſorte prætereatur. His 120 ſenatoribus accedunt præter ducem ejus 6 conſiliarios decem viri, porro 40 judices rerum capitalium &c. d. Marci procuratores, aliique magiſtratus, ut *Contareni* tempore ſumma 220 excellerit, jure ſenatorum gaudentes. Vid. *Lib. III. de rep. Ven. haud procul ab initio.* Ibidem Senatus ſuffragiis eligit oratores ad exteros a rep. mittendos; collegium decem virorum præconſultorum, qui vulgo ſapientes dicuntur. Si invito munus imponendum eſt, is odii vitandi cauſa aperte non nominatur, ſed quisquam ſenator in ſchedula clam ejus nomen ſcribit, quem maxime idoneum ducit, ac ſchedulam projicit in urnam. Eductis ex urna ſchedulis denominatis in ſuffragia itur, isque pronuntiatur electus, cui plures dimidiis ſunt ſuffragati. Ducis

vero

vero eligendi perplexa satis ratio tandem obtinuit. Conveniunt cives omnes 30 annis majores. Quot cives adsunt, tot globuli in urnam mittuntur argentei, præter 30 aureos. Pueratus ex urna pro quovis cive ipsum accedente educit globulum. Qui si aureus sit, scriba alta voce ipsius nomen pronuntiat, ut is in conclave destinatum secedat, ipsius vero necessarii in partem atrii concedant. Quando sic 30 ex universo cœtu habentur sorte lecti, ex his denuo 9. coram consiliariis sorte eliguntur. Hi in conclavi soli concluduntur, nullo ne ministro quidem admisso, neque inde discedere possunt prius quam 40 viros elegerint, quorum quilibet 6 suffragia tulerit. Quadraginta illi designati in comitiis alta voce recitantur, quorum quisque evocatus surgit & in conclave destinatum secedit, quos adeundi aut alloquendi nulli facultas datur. Hi sorte 12 ex suo numero eligunt. Qui cæteris dimissis 25 viros eligunt, quorum cuique octo suffragia fuerint necesse est. E quibus 25 pariter congregatis, denuo novem sorte leguntur, 45 alios suffragiis creaturi, quorum cuivis octo fuerint saltem suffragatores. Denique ex his pariter sortis beneficio undecim petuntur, ducis electores e primariis senatoribus quadraginta & unum suffragiis electuri, qui præviis sacris & jurejurando tactis altaribus pollicentur, eum se ducem electuros, quem sanctitate, in patriam charitate, solertia ac prudentia aliis præstantiorem esse duxerint. Qui soli in curiam inclusi syngrapha scripta in urnam conjecta nominant singuli, quem putant dignissimum, qui eligatur. De singulis nominatis, postquam nomen ejus exiit ex urna, & si præsens sit, ipse ex curia egressus est, auditur primum si quis sit, qui non fore e rep. illum ducem, modeste ostendere velit, quod liberrime facere potest, dum omnes sacramento ad perpetuum silentium obstringuntur. Objecta electus defensor refellit, & postquam egressus est curia, vel prior vel alius accusator auditur, quorum rationes rursus accersitus defensor refutare nititur, donec accusatoribus nihil amplius sit relictum. Tum suffragia feruntur, & qui 25 suffragiorum summam plu-

rimum ſuperavit, is dux eſt renuntiandus. Autor eſt idem *Contarenus Lib. II.*

§. 617.

Num ex ſingulis civium ordinibus optimates ſint petendi?

Etſi in numerum optimatum ex omnibus populi ordinibus cooptari poſſunt aliqui, ſive electiva illa ſit, ſive ſucceſſoria (§. 220.): *curandum tamen eſt, ne alii quam in ſuo ordine optimi adhibeantur, & ſi tales in eo non dentur, is propterea prætereatur, & ex eo ordine petantur, in quo occurrunt.* Hoc enim flagitat ſcopus Ariſtocratiæ, & optimatum veritas (§. 603. *ſeq.*). Quum vero indoles optimatum talia requirat, quæ non dantur in quibusvis (§. 605.): omnino opus eſt, ut quærantur optimi ibi, ubi habentur.

Facit quidem ad decus, majorem nexum omnium ordinum, majoremque culturam virtutum provehendam (§. 606.), ſi optimates e ſingulis ordinibus eligi & haberi poſſint, qui ipſorum jura & cauſas in concilio optimatum tueantur. Si tamen non adſint digni iſto loco in illo ordine; vel ſi aliæ quoque requiruntur conditiones in optimatibus ſalutis publicæ cauſa, quæ nunc non dantur; vel ſi decus Ariſtocratiæ requirat, ut inferiores civium ordines, impares ab optimatibus præſtandis, removeantur, a tam ſublimi loco: rationi & ſaluti publicæ conducibile erit, ut ex ſuperioribus & honoratioribus civium ordinibus qui optimos continent, tantum optimates petantur, v. c. ex ordine patritiorum, nobilium &c.

§. 618.

Modus ſucceſſionis uti in Ariſtocratia definiri debeat?

Si Ariſtocratia eſt ſucceſſoria, modus ſucceſſionis in ea e republicæ legibus eſt definiendus. Si enim numerus optimatum conſtans eſſe debet, in locum demortui ſemper alius debet ſuccedere, quemadmodum voluntati populi eſt viſum (§. 218. *P. VIII. Jur. nat.*). Pariter res habet, ſi ſucceſſio ita fieri debeat, ut numerus optimatum non ſit definitus, hoc eſt unus ſemper idemque (*ibid.*). Quamobrem cum in utrovis caſu ſucceſſio aliter

aliter atque aliter fieri possit, atque successioni modus salutaris sit ponendus (§. 613). Aristocratiæ modus successionis a populo legibus fundamentalibus ita est definiendus, uti is reip. salutaris fore prævidetur, aut aliorum exemplis jam est deprehensus.

§. 619.

Quid habendum sit de perfecte patrimoniali Aristocratia?

Quia Aristocratia successoria vel perfecte patrimonialis esse potest, vel imperfecte patrimonialis (§. 223. *P. VIII. Jur. nat.*), & priore casu optimates, omnem imperii proprietatem habentes, imperium in partes dividere, & formam reip. immutare, saltem in extraneum jus optimatum transferre, & leges de translatione juris condere possent (§. 224. *ibid.*): patescit, *perfecte patrimonialem Aristocratiam non æque esse consultam, ac usu fructuariam* (§. 156. & 221. *ibid.*), *aut imperfecte tantum patrimonialem*, nisi in illa legibus fundamentalibus ista incommoda & damna Aristocratiæ valide arceantur pœna irritæ successionis & jacturæ ejusdem, si quid contra leges attentetur.

§. 620.

Num singulis an universis optimatibus de successione sit statuendum?

In imperfecte patrimoniali Aristocratia optimates quidem non habent nisi jus exercendi imperium, quod pro lubitu in alium transferre possunt vel singuli, vel universi (§. 223. *P. VIII. Jur. nat.*): *consultius tamen est, ut universi potius, quam singuli id pro lubitu exercere possint; nisi legibus succedendi ipsis nefas sit, quidquam moliri, quod voluntati populi, & saluti publicæ esset adversum periculosumve.* Si quid enim perniciosum ex jure succedendi male administrato emergat, id tum ipso facto erit nullum, nec a cæteris optimatibus admittendum.

Facilius quippe est, ut unus optimatum prætermissis aliis casibus, in errore versetur, existimetque id reip. profuturum, quod eidem potius obfuturum esset, quam ut omnes ejusdem erroris sint consortes. V. g. si quis improles existimaret, se successionem in suum locum e rep. dare posse peregrino, mul-

tum divitiarum ſecum allaturo; fieri poſſet, ut ea in re erraret, aliique errorem ipſi eripere poſſent, ſine quorum conſenſu talem ſucceſſorem ſibi eligere aut teſtamento ſcribere non poſſet. Quare præſtat ab initio id præcavere, quam non ſine nota defuncti id deinceps irritum declarare.

§. 621.

Quid de modo ſuccedendi optimates ſtatuere poſſint?

Quando imperfecte patrimonialis eſt Ariſtocratia, optimates formam reipublicæ immutare nequeunt, nec pro lubitu ſuo imperium dividere in partes; de translatione ſui juris tamen in alios leges condere poſſunt, quas inter ſe obſervent (§. 225. *P. VIII. Jur. nat.*). Poſſunt igitur ſalutis publicæ cauſa inter ſe paciſci, & ſe invicem obligare ad filiorum minorum tutelam & educationem, qua mortuis parentibus apti evadant, ad eorum veſtigia premenda; ad exhæredandos degeneres aut removendos a ſucceſſione impotes; ad ſubſtituendos inſtituendosve hæredes conſenſu cæterorum optimatum prævio. Poſſunt de Jure ſuo cæterorum optimatum conſenſu, aut ex legum formula, propter ſenium, impotentiam, aliave legitima impedimenta alienando & transferendo in alios ſtatuere & cavere, ne quid reſp. detrimenti capiat, neque legibus cardinalibus officiatur. *Generatim* igitur *de modo ſuccedendi ab inteſtato & teſtato, & de jure alienandi, exercitium imperii optimates ſalubres condere leges, conſultum eſt.*

§. 622.

Leges de jure optimatum prædiis inhærente.

Quia jus optimatum a populo conjungi poteſt cum prædiis, ut per illa in dominos derivetur, & ſi Jus optimatum prædiis inhæret, Ariſtocratia eſt imperfecte patrimonialis (§. 226. *P. VIII. Jur. nat.*): *de prædiis hujusmodi quoque leges ſunt condendæ ſive a populo, ſive ab optimatibus, ne quid in fraudem Ariſtocratiæ aut ſalutis publicæ ope dominii prædiorum fieri poſſit.* Expediti quidem juris eſt, in hoc caſu jus optimatis a prædio ſepara-

parari, & ſeorſum alienari non poſſe, citra populi conſenſum, qui illud jus in prædium contulit. Vſus tamen illius Juris ad certum tempus, vel donec prædii dominus vivit, alteri concedi poteſt (§. 227. *ibid.*); & ſi cui uſusfructus in tali prædio conſtituatur, uſus illius ad fructuarium pertinebit (§. 228. *ibid.*), niſi dominus uſum juris optimatis ſibi reſervarit (§. 229. *ibid.*). Enimvero ne dominus uſu dominii ſui quidpiam deſignet, quod populi voluntati & ſaluti publicæ adverſetur, opus eſt reſtrictione ſalutari uſus dominii legibus prudenter ſancienda.

Dantur inter Germanos, Italos, Helvetios & Polonos, qui propterea optimatibus accenſentur, quod certorum prædiorum, provinciarum, principatuum domini ſunt. Incommodis hujus inſtituti fere ſimiliter medendum ac in regno patrimoniali dicetur.

§. 623.

Poteſt etiam cum certo cenſu jus optimatum connecti, ita tamen ut cenſus ſecundarium, virtus primarium maneat electionis vel ſucceſſionis fundamentum.

Quatenus & cenſus optimatum ratio habenda?

Prædium enim, cui inhæret jus optimatis, inſtar certi cenſus haberi poteſt, e quo Ariſtocratia indemnis præſtetur, ſi quid damni datum ipſi ſit a quopiam optimate (§. 622.). Quare ſi jura & munera optimatum non ſint niſi exigui temporis, ideoque ambulent fere ad omnes, ob pericula damni publici arcenda, obſervari in omnibus circiter prædiorum & cenſus æqualitas poteſt. Si vero nonnullorum partes ſuffecerint (uti facile fieri poteſt) ad reditus publicos colligendos ac in deſtinatos uſus convertendos erogandosque: nonnulli tantum optimates requirentur opulentiores, qui ærario publico ſecundum leges præſint, vicesque ex earum præſcripto ſubeant. Decorum quoque eſt Ariſtocratiæ, ſi opulentiſſimi æque ac mediocris fortunæ cives propter virtutum

præ-

præſtantiam pari jure gaudeant imperii conſequendi, nec magnis opus ſit ſalariis optimatum: quoniam mediocritati fortunæ conjugiis lautioribus, præmiis meritorum extraordinariis, honeſtaque parſimonia conſuli poteſt.

Quod vero virtutum primaria ratio in optimatum conſtitutione habenda ſit, id ex ſcopo Ariſtocratiæ, optimam reip. adminiſtrationem reſpiciente (§. 601.) & ex iis, quæ in optimatibus ſpectanda ſunt (§. 603. *ſeqq.*) liquido conſtat. Vnde prono alveo fluit, cenſus rationem non eſſe niſi ſecundariam poſſe, licet ſui patrimonii dilapidator indignum ſe redderet, qui reipublicæ patrimonio præeſſet, atque ita jure optimatis excideret. Nulla vero ſua culpa prædio vel cenſu ſuo orbati cujusmodi ratio ſit habenda, ne indigna inſons patiatur legibus ſumma æquitate foret conſtituendum.

Quando cenſus ratio habetur in republica adminiſtranda atque regenda, quia cenſus græcis τίμημα vocatur, ipſa hæc forma Ariſtotelis *Timocratia* dicitur. Si tantum cenſus cauſa cives ad imperium apti cenſeantur, recte habent illa, quæ ſciſcere *Ariſtoteles Ethic. L. 8. cap. 12.* legitur. Reip. tres ſpecies ſunt, totidemque transgreſſiones, tanquam illarum corruptiones. Videlicet illæ ſunt regnum, Ariſtocratia & tertia a cenſibus exiſtens timocratia, quam plerique politiam appellare conſueverunt. - - Timocratia multitudinis eſſe conſuevit, æquiparans omnes, qui in cenſu ſunt, & facile in democratiam (quam ochlocratiæ loco ponit) degenerat, quia hæ ſunt finitimæ. E quibus verbis conſpicitur, Ariſtotelem ibi Timocratiam honeſto ſenſu adhibuiſſe, loco democratiæ, & tacite innuiſſe popularem ſtatum quodammodo reſtrictum ad mediocres fortunas, uti alias luculenter docet *Lib. IV. Polit. c. XI.* valde optandum eſſe, ut cives facultates habeant mediocres: quia ubi alii nimis multa poſſident, alii nihil, vel hi inſurgunt (in ochlocratiam) vel illi in oligarchiam, vel tyrannis propter utrumque naſcitur. Vbi autem permultum eſt mediocre, ibi minimum ſeditioni &

& diſcordiæ locum dari. Prorſus autem populare (ochlocratiæ) eſſe dicit *L. VI. Polit. c. 2.* ſumi magiſtratus omnes ex omnibus, præeſſe omnes viciſſim & ſubeſſe, per ſortem tribuere magiſtratus, qui nulla indigent peritia vel arte, & magiſtratus eſſe a nullo cenſu, ſaltem a minimo, nec niſi ſemel, vel perraro eundem magiſtratum ab aliquo geri poſſe, excepto bello &c. *Capite 8.* autem *Lib. V. polit.* monet cenſus rationem non tantum in politia, verum etiam in paucorum imperio (Oligarchia tam late ſumta, ut Ariſtocratiam ſimul notet) mutationes pati, ad quas ſit reſpiciendum; niſi omnia ad utilitatem reip. recte inſtituantur, facile potentiam ultra modum invaleſcere & ſaluti publicæ ac reip. formæ pernicioſam fieri poſſe.

§. 624.

Ariſtocratia laxior præſtat ſtrictiori.

Conducit abuſui imperii optimatum avertendo quadamtenus melius major quam minor numerus optimatum. Si enim major ſit optimatium numerus, plurium conſenſus ad abuſum imperii requiritur, quam ſi pauciorum opus ſit conſenſu, quod per ſe eſt manifeſtum. Enimvero ſi optimates ſunt, quales eſſe debent (§. 603. *ſeq.*); non tam facile eſt, ut multi degenerent, quam pauci; nec tam in proclivi, ut multi in idem, quod legibus adverſum eſt, conſpirent, quam pauciores. Quam ob rem uti in democratia multitudo ſenatorum præſtabat paucitati (§. 582.): ita & in Ariſtocratia abuſui imperii magis obſtabit optimatum multitudo, quam numerus perexiguus. Quia laxa vocatur Ariſtocratia in qua ſat ingens eſt optimatum numerus; ſtrictior vero, in qua numerus optimatum non major eſt, quam qui quotidie convenire & citra moram convocari poſſit (§. 249.); patet laxiorem Ariſtocratiam ſtrictiori eſſe cæteris paribus anteferendam.

Demus licet *Ariſtot. Lib. V. Polit. c. 1.* revera virtutibus nobiles & bonos nusquam fere 100 reperiri; cæteri tamen eos æmulari quadamtenus nitentur, & dum meliora non habent, ſequentur. Præterea quo laxior eſt Ariſtocratia, eo magis illa conveniet cum democratia reſtricta, ſaltem ſpecie externa, niſi quod hic requiri a quibusdam (uti ab *Hubero de Jure civitatis L. I. Sect. 8. c. 5. §. 8.*) ſolet præter neceſſitatem, optimatum numerus populi pars minor ſit, in democratia autem pars populi major imperii cenſors ſit. Enimvero non ad numerum optimatum redit Ariſtocratia, ſed ad virtutes civiles eorum, in quos populus tranſtulit imperium, & ad ſummum imperium ipſis conjunctis ita proprium, ut plebi in illud nihil juris relictum ſit (§. 137. *P. VIII. Jur. nat.*). Si igitur vel major pars Ariſtocratiæ exiguæ virtutibus excelleret, eique ſummum ideo eſſet imperium; nihilo ſecius illa foret Ariſtocratia nuncupanda, & tunc demum democratia, quando major illa pars non foret niſi magiſtratus vel ſenatus, populo univerſo ad reddendas rationes luendasque pœnas obſtrictus. Nempe ſi imperium ſummum eſt penes populum univerſum, democratia habetur; ſi non penes populum univerſum ſed penes optimates tantum datur, non habetur ibi niſi Ariſtocratia. Cujus modus eam obtinendi habendique ſi vel ab electione populi dependeat, rem non variat (§. 134. *not.* & §. 214. *ſeqq. ibid.*), vel a ſucceſſione (§. 218. *ibid.*).

§. 625.

Vtraque tamen congrue conjungitur. *Non incongrue conjungitur Ariſtocratia laxior cum ſtrictiore, ut in rebus quotidianis, lege ſatis definitis, & moræ impatientibus ſtrictior, in cæteris gravioris momenti rebus nec periculo moræ ſubjectis laxior ſit adhibenda.* Quemadmodum in democratia populus non niſi res graviſſimi momenti moræque patientes, & de quibus non niſi e re præſenti ſtatui poteſt, in comitiis tractat (§. 534.): ita illæ res, quæ in democratia comitiis populi reſer-

van-

vantur, in Aristocratia laxiori optimatum concilio propriæ esse, cæteræ vero strictiori concilio, & magistratibus ad rationes reddendas obnoxiis tradi possunt. Par enim utrobique rerum ratio parem quoque eas tractandi rationem, paremque abusuum & incommodorum medelam poscit. Laxiorem vero Aristocratiam plus facere ad avertenda Aristocratiæ nocumenta, quam strictiorem, docuit §. 624.

Helvetiorum pagi Aristocratiæ propiores, uti Tigurinus, Bernensis, Lucernensis, Basileensis, Solodurensis & Scaphusanus, æque ac cæteri & ampliori utuntur senatus concilio & strictiori, licet numerus membrorum variet. Sic Venetorum nobilium senatus 2000 vel 3000 complecti solet, de minoribus conciliis diximus in notis ad §. 615. *seq.* Genuensis senatus laxior est 400, arctior 60 virorum, quorum hi omnes nobiles, illi ex dimidia parte. Luccensis Aristocratia in concilio magno habet 160 nobiles, in strictiori 36, & in strictissimo 9 cum decimo Præside. Ragusana forma in majori senatu habet nobiles 60 in strictiori 30, in summo decem. Genevensi senatui ampliori insunt ducenti; strictiori 25, præter Syndicos 4, licet & populo sua sit concio. Olim habebatur Aetolorum concilium magnum Panætolium dictum, semel ad minimum quotannis coactum; item angustius vel sanctius aliud, quod apocletorum (evocatorum) dicebant, subito consilio negotia ardua expediens. Liquet ex hoc exemplo fœderatæ democratiæ, aliisque supra allatis, democratiæ senatum pariter arctiorem dari, ac ampliorem. Vnde ex senatus amplioris & angustioris observatione nescitur, sitne resp. aristocratia an democratia, nisi ad genuina criteria recurratur.

§. 626.

Laxa Aristocratia in-

Quo laxior est Aristocratia, eo magis opus est senatu arctiori magistratibusque ab ampliori optimatum collegio dependentibus. Quo laxior

diget senatu &c. laxior enim est Aristocratia, eo plures in ea dantur optimates etsi infra majorem populi partem maneat (§. 249. *P. VIII. Jur. nat.*). Quo major est optimatum numerus, eo tardius convocari congregarique possunt, inprimis si dispersi passim habitent & valde dissiti sint. Quamobrem æquiparantur fere exiguo populari statui. Iam ne exiguus quidem populus salva salute publica quotidie convenire potest cum neglectu generali rei privatæ (§. 533.). Sed instituendus est ipsi magistratus, ipsius nomine & jussu negotia publica curans (§. 535.). Haud secus igitur ingens optimatum numerus, quia semper publicis rebus vacare & sua negligere nequit, sentit se obstrictum ad deligendum ex suo concilio magistratum sanctioremque senatum, qui sufficiat rebus frequentissimis dijudicandis & ex legum præscripto decidendis gerendisque. Sed sicuti magistratus popularis a populo: ita aristocraticus ab optimatibus eligi debet & dependere.

Dedimus exempla conciliorum magnatum, e quibus petebantur concilia arctiora, item sanctissima vel summa ad §. 625 &c. Quæ non tantum de senatu valere patet, sed ob eandem quoque rationem de cæteris magistratibus, sive superioribus, sive inferioribus, sive bellicis, sive urbanis sive provincialibus. Hujusmodi senatui & magistratui, licet ex optimatibus selecto, æque non convenire majestatem (§. 248. *P. VIII. Jur. nat.*), ac senatui a populo instituto, vel eo patet, quod majestas in Aristocratia non est nisi penes universitatem vel totum concilium optimatum (§. 246. *ibid.*).

§. 627.

An uni summa rerum committi *In magno periculo Aristocratiæ vel uni committi potest summa rerum ita gerenda, ne quid Resp. detrimenti capiat, adjunctis tamen, qui provideant, ne quid temere & inconsultum suscipiatur.* Etenim

quem-

quemadmodum expedit Ariſtocratiæ laxæ conſtitutio ſenatus ſanctioris & ſanctiſſimi, & magiſtratus cujusque alterius, cujus indiget resp. (§. 626.): ita ſi indiget periculi magnitudo & rerum gerendarum ratio viro vel unico tam excellenti, cujus prudentia & virtute omnigena ſperari felix rerum exitus posſit, dubitari nequit, quin eidem ſumma rerum ſit committenda (§. 641. *P. IV. Jur. nat.*). Si committenda eſt, utique manet obnoxius illis, ad reddendas rationes, a quibus illi poteſtas vicaria eſt commiſſa. Enimvero quia prudentiæ eſt, præcavere, ne quid mali eveniat ex optime deſtinatis: non tantum obligandus ipſe eſt efficaciſſime ad omnem operam dandam, ne quid resp. detrimenti capiat; verum adjungendi ipſi quoque ſunt, qui ſint a conſiliis, qui juvent ipſum in rebus arduis, qui caveant, ne a fide data recedat, quique, ipſo aliquid humani patiente, vices ipſius ſuſtinere valeant. *Poſſit in ariſtocratia?*

Manet & in hoc caſu Ariſtocratia ſalva, nec abit in monarchiam, dum uni committitur exercitium ſummi imperii. Aliud enim eſt ipſa forma ſummi imperii, aliud ejus exercitium. Hoc eſſe poteſt monarchicum externa ſpecie, licet ipſa forma reip. ſit ariſtocratica. Revera enim optimates univerſim ſumti ſumma gaudent poteſtate, quæ in omni rep. una eſt & individua. Quæ uti ab optimatibus velut ab una perſona una voluntate eſt exercenda: ita quoque uni committi poteſt, qui ipſorum nomine & mandato id agat, quod ſumma rerum, cui præeſſe jubetur, requirit. Non ſit ille monarcha, ſed mandatarius optimatum, quocunque nomine veniat. Ita prætores græcorum belli duces Pœnorum, dictator romanorum, imperatoresque qua tales Monarchæ non fuerunt. Item quando duces Venetorum & Genuatum Monarchæ eſſe videntur, tamen eos tales non eſſe patet, quia obnoxii ſunt reddendis rationibus, reſtituendisque, ſi quæ dedere, damnis, aliisque pœnis promeritis. Quæ de magnitudine periculorum dixi, manifeſtiora eva-

dent, si cogitemus, quid in tumultibus, seditionibus bellisque contingere soleat, ubi multa in puncto temporis expedienda sunt, quæ non nisi maximo reip. detrimento differre possent, donec vel senatus arctior, vel plane magnum concilium optimatum convocari, suffragia audiri, colligi & decerni quidquam posset. Ne ergo optimæ occasiones rerum gerendarum, vel ad subita mala avertenda, vel ad improvisa bona in usus amplissimos convertenda turpiter e manibus dimittantur, opus est viro magni & præsentissimi ingenii, in celeriter reperiundis, quibus opus est, consiliis, nec minus promto, maxime strenuo & felici in iisdem exsequendis perficiendisque. Sic Xerxes res Græciæ in summum adduxerat periculum, nec nisi callido Themistoclis nuntio ad depugnandum ingratiis græcos opportunissimo ipsis loco coëgit, victusque in angusto mari est magis consilio Themistoclis, quam Græciæ armis *Cornelio* autore.

§. 628.

Quales collegio præ esse debeant, & quanam potestate præditi sint.

Laxioris Aristocratiæ causa consultum est: collegio sanctiori vel sanctissimo inesse prudentissimos probatissimosque optimates, præconsulorum potestate præditos. Fieri enim nequit, ut in magna optimatum multitudine omnes æque statum reip. legum rationes, molimina & facta aliorum intra & extra remp. calleant; vel æque experti peritique sint rerum optime gerendarum, & eventuum, qui consilia sequi aut evertere solent, moderandorum, quatenus humana ope fieri potest. Eapropter ipsa Aristocratiæ ratio, optimam requirens salutis publicæ administrationem (§. 601.), postulat, ut vel inter optimates hi eligantur & adhibeantur illis rebus publicis, qui in ipsis plurimum valent & peritissimi sunt. Sunt vero seniores multisque in remp. meritis conspicui, & salutis publicæ amantissimi, peritiores in rebus arduis rite expendendis, excutiendisque quam optime, præsertim qui in illis feliciter gerendis cum laude

laude consenuere. His igitur hujusmodi rerum consultatio & deliberatio prævia accuratissima merito committetur, ne in majori concilio ipsa festinatio vel dissensio jejuna a melioribus avocet animos, sed potius momenta rerum gravissima in medio posita illico perspicere, examinare, & si quid forte addi possit, adjungere & rem sapienter definire possint optimates.

Memoravimus supra, ejusmodi præconsultores Prytanes Athenis fuisse, & merito a Solone fuisse institutum, ne quid gravioris negotii nisi ex præconsultatione quæ προβȣλευμα dicebatur, & ex decreto senatus, ad populum improvidum referretur, & si quis secus faceret, is reip. pœnas daret. vid. *Emmius p.28.* Ostendimus item, Venetiis collegium seniorum præconsultorum dari. Nec dissimilia instituta sequuntur Genuates, Ragusii, Luccenses, Norimbergenses &c. Confer. *Conringii Hist. rerump. de Ultraject. §.17.* & *Bœcleri notitia reip. p.96.* Peculiare erat Athenis a Solone institutum, quo præconsulta de rebus publicis instar legis annuæ seu senatus consulti valebant, donec novus haberetur senatus. Erat enim populo attico permissum injunctumque, ut quotannis leges recognosceret, utrum perpetua ipsis vis sit tribuenda.

§. 629.

In cœtu optimatum dari debet, cujus sit jus convocandi, proponendi, suffragia digerendi, numerandi & urgendi decretum secundum leges formandum, sive is Præses, sive quocunque alio nomine appelletur. *De jure prasidii in aristocratia.*

Ostendi hoc eodem modo potest, quo id in democratia evicimus (§. 551. & 570. Accedit hic Aristocratiæ indoles genuina, postulans, ut omnia reip. negotia quam optime administrentur (§.601.). Quapropter ad vitandas occasiones confusionis, oblivionis, irritorum conventuum, & turbarum, jus convocandi, proponendi quæ deliberanda sint, suffragia expetendi, notandi & numerandi, quæ idem statuunt, salva opti-

optimatum æqualitate Præſidi, aut cuipiam ſeniori eſt concedendum, ut eo citius & melius omnia abſolvi poſſint; neque tamen alii denegatum ſit jus alia proponendi, quæ ipſe e rep. fore deprehendit, aut ipſius functioni obvenere.

Ob rationes æqualitati optimatum conſentaneas, vitandumque eum, qui ex hoc jure oriri poſſet, abuſum, & hoc præſidium (ſic enim appellare breviter liceat id jus, de quo hic agitur) brevi tempore ab aliis ad alios eſt devolvendum. Præterea & ipſum præſidium obeſſe non debet, quo minus alii optimates, quæ ſalutaria fore autumant reip. aut damnis ejus præcavendis inſervitura, ut æquales inter ſe, pariter proponendi jus habeant, inprimis, ſi vel tempus ſuperſit his rebus excutiendis idoneum, vel neceſſitas urgeat, ne iſta differantur. Eſſet enim grave æqualibus inter ſe, deſtitui facultate dicendi quæ officium optimatis imponit, aut compelli, clam palamve quæ in medio ponenda ſunt, præſidi prius per ambages proponere, ut ipſe deinceps, vel illico repetat fruſtra, quæ jam dicta ſunt. Poſſet enim denegatio hujus juris cæteris, qui præſidis loco non ſunt, facta, reipublicæ admodum funeſta fieri & pernicioſa, ſi e re præſidis non foret ea proponere, quæ ipſi ab aliis ſunt ſuggeſta & commendata. De convocatione extra ordinem ſimiliter cenſendum eſſe, per ſe patet. Quid ſi enim vel ipſum præſidem, vel ejus aſſeclas feriret id, de quo eſſet deliberandum ſtatuendumque quantocyus fieri poteſt.

§. 630.

Quomodo occurrendum ſit reliquiis Ariſtocratiæ noxis.

Quoniam occurrendum eſt abuſui imperii optimatum, ne is Ariſtocratiæ funeſtus evadat (§. 607.); id melius fieri nequit, quam legibus ſalutaribus ſancte obſervandis (§. 609.) ipſaque virtute optimatum & ſubditorum (§. 610.): *manifeſtum eſt, cæteris quoque nocumentis Ariſtocratiæ*, quomodocunque appellentur, *pari ratione eſſe obſtandum.* Vti enim abuſus imperii eſt vitioſus, & propterea nocet per ſe; ita omnia reliqua vitioſa in optimatibus pariter ac ſubditis, aut & externis re-

busp.

busp. pariter nocent, & pariter ſunt arcenda atque eliminanda ex Ariſtocratia.

§. 631.

Legibus ergo cavendum eſt, ne vel juventus vel imperitia optimatum noxia fiat, ideoque virili demum ætate, & gradatim administrandæ reip. ſunt adhibendi. Vix enim unquam aut rariſſime tam præcocia occurrunt ingenia, quæ in juventute ſua ea jam præſtare valeant, quibus alii plerique non niſi virili ætatis flore pares ſunt. Quare illorum ratio non eſt habenda in lege perpetuo valitura. Idcirco præcipitis nec maturæ juventutis ratio, æque ac alia impotentia animi ad ea præſtanda, quæ optimatum officio inſunt, arcenda eſt a munere tam gravi (§. 630.). Præterea quoniam variæ ſunt partes adminiſtrandæ reip. quarum alia plures majoresque requirunt virtutes aliis; opera quoque danda eſt, ut futuri optimates per inferiores illos gradus, quibus pares jam ſunt, præparentur & apti fiant ad altiores (§. 601.). Ideo ab inferioribus munerum gradibus paulatim ducendi ſunt, qui majores deinde rite ornare velint, ut hiſce ſpeciminibus mereri majores intelligantur. *Nec juventus, nec imperitia, nec ſaltus optimatum.*

Eſt is ordo naturæ ſapientiſſimus, abhorrens ab omni ſaltu ratione deſtituto & periculoſo, ut per omnes gradus intermedios adſcendendum ſit paulatim ad ſuperiores. Ita corpus noſtrum, & mens noſtra, pedetentim majores capiunt profectus, nec aliter res habet in cæteris animantibus, vegetabilibus, mineralibus & quibusvis aliis rebus finitis, quæ capere ſimul nequeunt ea, quæ in ipſis locum habent, alia aliis ſenſim cedentibus ſuccedentibusque. Facile juventus magnos ſpiritus gerit, tanquam par ſit virtute ſua iis, quibus re vera eſt impar. Huic ergo arrogantiæ medendum eſt ipſa lege, illam reprimente, ne audeat majora affectare. Communis eſt, inquit *Ariſtoteles L. V. Polit. c. 8.* in populari & paucorum ſtatu, cautio, ne quisquam ſupra modum, (παρα την συμμετριαν) illico augeatur, vel

confeſtim ad magnos honores evehatur, ſed ut a parvis progrediatur ad majores. Magnis enim honoribus corrumpuntur, nec cujusvis eſt hominis, proſperitatem ferre (εὐτυχίαν φέρειν). Si cui accumulate dati ſint honores, non ſunt ſimul omnes rurſus auferendi, ſed paulatim (ἐκ προσαγωγῆς)„. Ita adſcendebant gradatim novem viri Athenienſium &c.

§. 632.

Optimatum jus & ſcopus ſit ſingulis idem.

Optimates jus imperandi univerſim ex æquo habeant, nec ſint niſi ſaluti publicæ intenti ita tamen, ut perſpicaciores ſubveniant aliorum inopiæ conſilii; probiores vero flectant illos ad meliora. Suprema enim poteſtas, quæ optimatibus eſt in Ariſtocratia, uti in omni rep. ſimplici eſt unica tantum & individua, nec ſingulis eſt, ſed univerſis ſimul, æque ac in populo erat univerſo, a quo eam acceperunt (§. 135. *P. VIII. Jur. nat.*). Reſidet ergo imperium plenum abſolutum & ſummum in ipſis, ut in univerſo populo (§. 136. *ibid.*) vel ut in una perſona morali, pro qua omnes conjunctim habentur (§ 143. *ibid.*). Cum igitur non ut ſingulis, ſed ut univerſis ipſis ſit imperium ſummum, illud ipſis ex æquo tributum eſſe intelligitur, ne uni plus, alteri minus poteſtatis ſit, niſi quid pacto temporario in magiſtratibus aliter ſtatutum ſit. Proinde & exercitium juris univerſis eſſe debet indiviſa ratione & æquabiliter, ne quis ſibi in eo plus arrogare in aliorum fraudem poſſit. Neceſſum igitur eſt, ut optimates abuſui juris, quo in oligarchiam vel monarchiam abiret, eo occurrant (§. 607), ne quem patiantur ſibi vel in ipſo jure, vel in ejus exercitio plus arrogare, quam æqualitas ipſorum inter ſe fert, nec aliorum imperio paulatim derogare. Hinc jus imperandi ex æquo univerſi habere & ex æquo exercere debent.

Quia in Ariſtocratia præcipue quæritur optima reip. adminiſtratio (§. 601.), quæ eſſe nequit, niſi ſaluti publicæ ſit

accom-

accommodatiſſima (§. 269. *ſeq.*): optimates in adminiſtratione reip. id univerſi ac ſinguli curare debent, ut omnia conformentur ad ſalutem publicam ex aſſe conſequendam tuendamque. Quod cum fieri nequeat, niſi omnes ſaluti publicæ pariter ſint intenti, neceſſe eſt, ut optimates pari ſtudio & amore ſalutis publicæ flagrent, & pariter in ſuffragiis ad procurationem reip. ſint ſaluti publicæ unice intenti.

Fieri poteſt ſoletque perſæpe, ut optimatum alii ſint virtutibus intellectus, alii virtutibus voluntatis præſtantiores. Quare ut & his & illis plus conferatur ad ſalutem publicam & populi dilectionem; partim acutiores minus acutis oſtendere poſſunt vias, per quas incedere licet, ne defectu perſpicientiæ a meliori via aberrent; partim probiores avocare poſſunt ab abuſu ſui acuminis, ſi in illum propendent acutiores, ut ipſorum integritate commoti meliora cum ipſis ſequantur. Sic utrumque pars utramque perficiet in meliori ſalutis publicæ procuratione.

Quemadmodum in democratia univerſitati populi ſummum eſt imperium, & ſinguli ejusdem ſunt æquum conſortes, ideoque cavendum erat, ne quis affectaret plus juris in imperio, quam ipſi cæterorum voluntate eſt conceſſum: ita pariter in Ariſtocratia ſummum imperium eſt penes optimates non ut ſingulos, ſed ut univerſos pro una perſona morali accipiendos, nec ferendum ideo eſt, ut quisquam affectet id, quod eſt aliorum, & quantum iis derogat, tantum ſibi arroget. Hæc enim ſunt primordia degenerationis ſaltem mutationis Ariſtocratiæ. Quare conſervatio Ariſtocratiæ requirit, ut ex æquo omnes optimates imperent, nec cujusquam juri quidquam detrahatur. Id quod vel eo promovetur, ſi unusquisque ſuum nihil eſſe ducat, niſi quod eſt cujuslibet alterius, ideoque non niſi ſalutem publicam quærat in cunctis, quæ ipſi ſunt agenda. Inde *Hertius prud. civ. P. II. Sect. 6. No. 7.* malum eſt, inquit, quando optimates plus æquo ſtudent obtinere. Sic cunctæ resp. quæ

speciem habent Aristocratiæ in paucorum dominatum inclinant, monente *Aristot. L. V. Polit. c. 7.* Non tollitur sic obligatio adstipulandi optimæ, quæ occurrit, aut reperiri potest, sententiæ, a quocunque illa proferatur (§. 597.). Hæc enim obligatio est ex officio & scopo vel re ipsa, non vero ex persona optimatis pendet, cui illa in mentem venit. Proprie illa dicenda est Dei voluntas (§. 192. *P. I. Phil. pract. univ.*) & ea propter amplectenda est, non vero confundenda est cum persona, a qua affertur, quæ non est nisi os, quo Deus utitur in illa aliis manifestanda. Quod pari modo se habet in patrefamilias, qui imperata sua per quenquam domesticorum aliis nuntiare jubet (§. 824. *seq. Oecon.*).

§. 633.

Conservanda est Aristocratia quam optime.

Si Aristocratia recte est instituta, studendum quoque est illius conservationi perpetuæ, cavendumque ne mutetur. Quælibet forma civitatis recte instituta sufficere potest saluti publicæ consequendæ si imperantes norunt, quænam ad bonum publicum provehendum sint necessaria, constantique & perpetua gaudeant voluntate, nil faciendi, nisi quod boni publici causa necessarium esse intelligitur, omittendi vero omnia, quæ bono publico adversari constat (§. 150 *P. VIII. Jur. nat.*). Inde etiam aristocratia, æque ac democratia, recte instituta & administrata par erit saluris publicæ consecutioni. Quemadmodum vero in democratia consulendum est ipsius conservationi (§. 558.): ita quoque perpetuæ Aristocratiæ est consulendum optimis, qui haberi possunt, modis (§ 601.). Per se autem patet, si mutetur Aristocratia, eam non conservari nec eamdem manere. Quocirca si Aristocratiæ perpetuæ conservationi studendum, simul cavendum est, ne illa mutetur.

Derivari id ipsum quoque potest ex ipsa Aristocratiæ natura. Illa enim infert optimam reip. per plurium peritissimorum vires conjunctas administrationem (§. 601.). Si illa mutaretur, non maneret optima, ergo nec id, quod esse debet. Cavendum

dum igitur, ne mutatione formæ quacunque ex optima fiat non amplius optima. Deus non mutat in ordine naturæ, quæ recte in eodem conſtituit, quod omnes experimur. Cum imperantes in rep. ipſius ſint vicarii (§. 337.); enitique debeant, ut digniſſime impleant dei vices (§. 338.): relinquitur, illis quoque operam eſſe dandam, ut immutabilis ſit & ſervetur ordo Ariſtocratiæ rite conſtitutus.

§ 634.

Munienda eſt Ariſtocratia legibus earumque cuſtodia contra mutationem in monarchiam & democratiam, multo magis vero contra oligarchiam tyrannidem & ochlocratiam. Si enim conſervanda eſt Ariſtocratia, id fieri nequit, niſi omni occurratur ejus mutationi in aliam formam civitatis, ſive bonam ſive malam (§. 633). Jam aliæ formæ ſimplices bonæ in noſtro caſu ſunt monarchia & democratia (§. 298.); malæ vero ſunt oligarchia, tyrannis, & ochlocratia (§. 301 - 303. & 306.) Obſtandum vero eſt illi, quod noceret Ariſtocratiæ, quomodocunque appelletur (§. 630.) & quidem ope legum ſalutarium (§. 559. 609. & 631.). Quare patet, muniendam eſſe Ariſtocratiam legibus contra quamcunque ejus mutationem, ſive in monarchiam aut democratiam, ſive contra oligarchiam, tyrannidem & ochlocratiam. Quoniam leges bonæ non proſunt reip. niſi exacte obſerventur, uti (§. 239. 564 *ſeq.* & 586.) in democratia docetur: omnis navanda eſt opera, ut legum cuſtodia ſit ſancta, nec impune, ſi quis recedere a legibus audeat.

Ope legum & earum cuſtodia.

Dubium forte videatur, quod mutationem ariſtocratiæ in monarchiam & democratiam hic cavendam ſtatuimus, cum hæ civitatis formæ in genuino uſu pariter bonæ ſint, ac Ariſtocratia, & forma reip. non variet ſpeciem imperii, vel nihil in eadem mutet (§. 152. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero iſta tantum valeat de ſummo imperio ejusque recto uſu ad finem civitatis obtinendum. Ipſa tamen ratio exercendi imperii differt; ut conſtat ex (§. 298.). Exercitium enim & jus imperii in Ariſto-

cratia est penes plures optimates, in democratia penes populum universum, in Monarchia penes unicum hominem, qui Monarcha vocatur. Quamobrem si recte se habet Aristocratia, nulla adest ratio cur mutetur vel in monarchiam vel in democratiam. Hinc & hoc legibus est cavendum, ne levitate quadam animorum vituperanda temere in alium mutetur, cum temere nihil sit mutandum agendumve (§. 278. P. III. Jur. nat.).

§. 635.

Vitanda optimatibus crudelitas.

Quia cavendum est, ne Aristocratia degeneret in tyrannidem (§. 634); tyrannis vero non tantum ibi datur, ubi unus crudeliter imperat, sed etiam ubi plures idem illud faciunt, hoc est, id agunt, ut aperte omnem libertatem salutemque populi evertant (§. 957. P. I. Jur. nat.): apertissimum est, *cavendum admodum esse in Aristocratia, ne optimates in subditos sint crudeles, vel eosdem juribus & fortunis suis exuere nitantur.*

Olim tyrannis non notabat nisi summum absolutumque in civitate imperium (§. 302. not.). Quo sensu *Stagirita* imperium heri in servos tyrannicum dicit *Lib. VIII. Eth. c. 10.* Sed summum imperium in Aristocratia est penes optimates, & in democratia penes populum universum (§. 287. & 295.). Quatenus igitur absolutum imperium in omni rep. datur, eatenus tyrannis inest omnibus, sed laudabilis quando non adhibetur nisi in salutis publicæ procurationem. Quatenus autem corruptum & crudelem notat dominatum in sua tantum commoda proclivem, eatenus abusus atrocior summi absolutique imperii in quavis rep. dicendus erit tyrannis. Ita populus in democratia tyrannice instinctu demagogorum in optimos magistratus desævit, calumniis, aliisque atrocibus factis in ipsorum bona, famam & vitam grassando. Ita in Aristocratia factione oborta optimates se invicem & populum sibi adversum truci modo opprimere solent. Talis populus, inquit *Aristoteles L. IV. Polit. c. 4.* qui absoluta potestate gaudens, pro lubitu dominari cupit, nec ulli legi vult subesse, efficitur dominator (δεσπότης), & in gubernatione sua tyranno persimilis. Eidem nempe mores, & utrobique meliores deprimuntur,

tur, & decreta vel plebiscita ejus sunt nil aliud quam tyranni præcepta (ἐπιτάγματα). *Libro* vero V. *Polit. c. 10.* scribit: tyrannis ex paucorum potentia postrema (in qua dixerat *c. 9.* jurari: populum odio habebo, & consilio annitar, ut male habeat) & ex populari oritur (in qua secundum *cap. 9.* demagogi multitudinem efficiunt dominam legum, & opulentis infestam). Quapropter perniciosissima est his, qui sub ea sunt - - - tyrannus originem habet a populo ac multitudine contra nobilitatem, uti plurimi tyranni facti sunt ex demagogis, fidem adepti ab initio propter calumnias contra nobilitatem, vexantes clam evertentes & palam & in exilium pellentes. Aliæ tyrannides oriuntur ex oligarchia, vel in populum sævientes, vel secundum Periandri consilium Thrasybulo datum supereminentes spicas demetendo, eminentiores optimates e medio tollentes. Sic *L. II. Rhetor. c. 15.* tyrannis & superbia morbi peculiares nobilium dicuntur.

§. 636.

Necesse est, ut optimates & patricii suam dignitatem illæsam conservent, abstineantque ab omni illo, quo lædere illam, vel plane illa excidere possint. Danda enim est opera, ut Aristocratia recte constituta perpetuo conservetur (§ 633.). Enimvero in Aristocratia summum imperium est penes optimates, in quorum demortuorum locum vel succedunt, vel eligi plerumque solent geniti recteque educati optimatum filii, qui patritii dicuntur (§. 613. *seqq.*) & (§. 516.). Est optimatibus ex jure summi imperii, quo gaudent, præcipua dignitas civilis autoritasque in Aristocratia (§ 205. *P. VIII. Jur. nat.*), quæ niti debet meritis virtutibusque optimatum (§ 603. *seqq.*). Post hos proxima spe ejusdem dignitatis gaudent, qui eam itidem merentur, patritii aliique, in optimatum locum surrogandi. Si ergo dignitas illa adquirenda est in Aristocratia, id fieri debet virtutum præstantia (§. 603. *seqq.*). Si conservanda est jam

Optimatum officium tuendi suam dignitatem illæsam.

jam parta, earundem virtutum egregio uſu & natis inde aliis ſuper alia meritis augenda eſt, perficienda & perpetuanda, ob conſervationis & adquiſitionis indolem, qua illa fere nihil eſt, niſi hujus continuatio & ulterior progreſſio. Manifeſtum igitur eſt, & optimates & patritios obligari in Ariſtocratia cum primis, ad dignitatem ſuam illæſam ſervandam, ideoque etiam ad abſtinendum ab omni illo, quod illam lædere ullatenus, aut eripere illis poſſet.

Optimates vel nominis hortatu debent eſſe meliores cæteris, immo optimi reapſe. Quare quidquid in ipſis bonum non eſt, ſed malum morale vel pravum, hoc eos dedecet, eorumque derogat dignitati & præſtantiæ. Omne ergo pravum ipſis eſt fugiendum. Sic crudelitas & tyrannis eſt prava, ideoque erat optimatibus fugienda (§. 635.). Quare illa ſemper reprehenſionem attulit. Vti de Metello *Salluſtius in Jugurthæ cap.* 64. hoc reliquit: Inerat contemtor animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum. Et Macrinus apud *Herodianum l. 5.* patritia nobilitas ſæpenumero in ſuperbiam vergit, deſpectis omnibus, velut multo inferioribus. Quomodo & *Ariſtoteles* divites ſui ſæculi notat: Eximie nobiles & divites ad contumeliam proclives (contumelioſi) fiunt & magnis culpis affines. *L. IV. Polit. cap. XI.*

§. 637.

Abſtinendum a ſceleribus & injuriis.

Abſtinendum propterea eſt optimatibus ac patritiis ab omnibus ſceleribus, delictis & injuriis aliorum præſertim. Lædunt enim hæc ſive dolo ſive gravi culpa deſignata ipſorum dignitatem, ut vel pœnis promeritis ſubjiciantur, intelliganturque ne quidem ſe ipſis regendis, multo minus aliis pares eſſe regundis. Enimvero abſtinendum eſt optimatibus & patritiis ab omni eo, quod lædere ipſorum dignitatem poteſt (§. 636.). Quare iisdem abſtinendum eſſe ab omnibus ſceleribus, delictis, injuriisque,

que, quibus alii aut & ipſi afficerentur dehoneſtarenturque vel prorſus infamarentur, oppido patet.

Stabilitur hic denuo, quod ſupra oſtendimus (§. 606.), genuinam Ariſtocratiam egregia offerre ad virtutis ſtudium perpetuumque exercitium invitamenta, & calcaria quaſi ad iſtarum excellentiam adipiſcendam ſartamque & tectam ſervandam admovere. Fuga enim ſcelerum, delictorum quorumque, & injuriarum melius obtineri nequit, quam accuratiſſima & perpetua virtutum eximiarum cultura. Animus enim virtutum amore captus ab omni vitiorum, facinorum inde profectorum genere conſtanter abhorret, & per ſe illa deteſtatur, etiamſi nulla ipſis pœna eſſet ſtatuta, nec dignitati ipſius civili quidquam esſet metuendum. Vnde ne in ſe quidem injurius & ſceleſtus erit, v. c. intemperantia vitæ ſanitatisque conſervationi nocendo, aut libidine animum vel corpus polluendo; multo minus aliis erit infeſtus, tametſi id occultis nec detegendis machinationibus & inſidiis perficere poſſet.

§. 638.

Mollities animi hic nobis eſt fuga moleſtiæ illicita vel effeminata, quo ſenſu fere *Cicero* mollitiem vocat teneritatem quandam, qua res optimas nec videre poſſumus nec agere *L. V. de Fin. c. 2.* & reprehendit eos, qui officia deſerunt mollitia animi, id eſt laborum & dolorum fuga. *L. I. de Fin. c. 10.* & cogitationibus molliſſimis nos effeminari ſtatuit. Infert igitur mollitia hæc ſtatum vel habitum quendam animi, illicite turpiterque moleſtias cum virtutum præſtantia conjunctas abhorrendi, ſeque otio, ludis, aliis indignis ſtudiis dedendi. *Deſidia* vero abſtinentiam notat a labore ſe digno, ejusque temerarium neglectum; brevius, fugam debiti laboris. *Quid ſit deſidia & mollities animi?*

Eſt quidem & alia mollities vitioſa, venerea (§. 247. *P. VII. Jur. nat.*) quam libidinoſam dicere licet, ut ab hac internoſcatur. Cæterum & in hac & in illa eſt quidpiam muliebre. Vnde *Horatius* probro ducit, vincere quamlibet mulierculam mollitia.

litia. *Vellejus* autem *Paterculus L. II. Hist. c. 88.* Caj. Mæcenatem, equestri & splendido genere natum dicit virum, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnem, providentem & agendi scientem; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac molitiis pæne ultra feminam fluentem. Qui deliciis languore & otio animum infecere, hi indormiunt desidiæ, oderunt agentes, socordia & inertia laborant, & nihil agendo torpescunt marcescuntque aut luxuriantur.

§. 639.

Fugienda est mollities atque desidia.

Nefas est, optimates & patritios se mollitiei & desidiæ mancipare. Necesse enim est, ut suam dignitatem servent illæsam, abstineantque ab omni eo, quod lædere illam vel eripere illis posset (§. 636.). Sed desidia obstat virtutum adquisitioni & conservationi, a qua dependet optimatum dignitas (§. 638.): quia negligentiam infert (§. 757. *P. I. Phil. pract. univ.*) & turpem otiandi libidinem (§. 513. & 515. *P. I. Jur. nat.*). Mollities vero animi notat fugam molestiæ effeminatam (§. 638.), qua pariter studia & exercitia virtutum negliguntur, & dignitati eorum derogatur. Liquet igitur, nefas esse, optimates & patritios se mollitiæ animi atque desidiæ mancipare.

Nunc dolet *Aristot. L. V. Polit. c. 9.* in oligarchia filii eorum, qui imperant, molliter vivunt: egenorum autem exercitati evadunt & laboribus firmati.

§. 640.

Compescendus est luxus prodigus.

Cavenda est optimatum & patritiorum profusio opum, per leges luxum castigantes & censuram magistratus. Oportet enim, ut optimates ac patricii suam dignitatem illæsam servent, nec quidquam committant, quo lædi illa, vel eripi illis posset (§. 636.). At profusione opum dilapidatur patrimonium, ut vel decoræ sustentationi necessaria desint, nisi ipsa mendicitas inde oriatur. Nec tantum sic externi decoris subsidia amittuntur, sed animus simul vitiosus & prodigalitati deditus se pro-

dit, ut non poſſit non indignus cenſeri, cui publica ſalus curanda committatur, qui propriis rebus præeſſe neſcit. Occurrendum igitur eſt profuſioni opum tum legibus luxum acriter coërcentibus, tum cenſore magiſtratu, pœnas ſumente a quibuscunque, qui legibus obluctari non verentur.

Sic ſi optimates divites ædes egregias ſibi ſtruant, hoc ipſis liberum eſſe, dubio caret. Si vero in exſtruendis ædificiis ſplendidis patrimonium ultra modum effundunt; utique legum pœnæ illud ſevere interdicere debent, verbi cauſa metu jacturæ loci inter optimates &c. Magiſtratus, cenſuræ morum præfectus, Ariſtocratiam præſertim decet, ſciſcente *Ariſtotele Lib. V. Polit. c. 8. & L. IV. cap. 15.* Quemadmodum Romæ a cenſoribus vel equeſtri loco & ordine privabantur, qui minus recte ſe geſſerant, vel patrimonium decoxerant. Regendis enim moribus civitatis cenſores creabantur, qui cives ſic notabant, ut qui ſenator eſſet, ejiceretur ſenatu; qui eques romanus, equum publicum perderet, qui plebejus in cæratas tabulas referretur & ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſed ad hoc eſſet civis tantum ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. Quando egeni ſua intemperie bona conſumſerunt, novis rebus ſtudere cœperunt, quod oſtendit *Ariſtoteles L. V. Polit. c. 6.* exemplis Syracuſanorum aliorumque. Conf. *cap. 12.* circa finem.

§. 641.

Quomodo inopiæ immeritæ optimatum medendum.

Si quis vero citra culpam ſuam bonis careat condignis, ei vel matrimonio opulenti, vel ob merita quoque e publico ærario ſubveniendum, æque ac ipſius liberis. Etenim fortunæ adverſæ in hoc caſu, non culpæ, nedum vitio optimatis vel patritii, tribuenda eſt ipſius jactura bonorum & inopia. Sed adverſitas fortunæ tantum abeſt, ut noceat virtuti, ut potius præſtantiæ illius exſerendæ & perficiendæ materiam ſubminiſtret (§. 536. *ſeqq. P. IV. Ethic.*). Eapropter ſi quis optimatum aut patritiorum immerito inopia prematur, ipſi levamenta hujus adverſitatis erunt

ſuppeditanda. Hoc autem fieri poterit, partim ſi ipſi lautum procuretur matrimonium, unde ſuppleantur, quæ ipſi deſunt; partim ſi ex publico ærario ſubveniatur & ipſi & liberis ipſius.

Apud Venetos filiabus optimatum præſertim bene meritorum ex publico dos conſtituitur, teſte *Bembo Lib. I. Hiſt. Venet. p.* 77. Si matrimonium lautius ex optimatum familia haberi nequeat, concedit lex veneta, ut patritius uxorem plebejam ducere poſſit, cujus dos 2000 aureis major. Quam legem patritii facile patiuntur antiquari, ut opibus locupletiorum plebejorum patritiorum egeſtati conſulatur. Hinc *Autor arcanor. polit. Princ. ital. p.* 45. de Venetis refert: *per meglio amicarſi ancora e render benevoli gli animi dei Cittadini e della nobilita, ſi imparentano.* Venetorum exemplum ſequuntur Norimbergenſes, quanquam *Celtes de Rep. Norimb. c.* 13. patrum & plebis rara dicit connubia. Vlmæ & Francofurti Collegium eſt virginum patritiæ originis, quæ ex ſumtibus publicis honeſto alantur, teſte *Zeiloro in Topograp.* Multi alii idem ſequuntur, quos commemorare nihil attinet. Priſtinis temporibus ſimilia facta eſſe, docet vita Pelopidæ, in *Nepote*, quem interfectum omnes Theſſaliæ civitates coronis aureis & ſtatuis æneis, liberos vero ejus multo agro donaverant. Conf. §. 649. ſequutura notata.

§. 642.

Leges cardinales, nentiquam ſunt violandæ.

Legum cardinalium ſtricta ſit obſervantia, ac minimæ earum transgreſſiones caveantur. Leges enim congruunt cum legibus Dei naturalibus, quando recte ſe habent (§. 609.), & leges cardinales ſunt illæ, ad quarum obſervantiam optimates obligantur in exercitio imperii (§. 77. *P. VIII. Jur. nat.*). Quibus rationibus conficitur, leges cardinales eſſe ab optimatibus ſtricte obſervandas. Quo ſanctior vero ſit earum obſervantia, ne minimæ quidem earum transgreſſiones ſunt admittendæ, ſed omni potius cura & ſeveritate cavendæ, & vitandæ.

Inculcat hanc diligentem legum cuſtodiam *Stagirita L. V. c.* 8. *Polit.* Illud, inquit, in rebuspubl. quæ laudabiliter ſunt temperatæ

peratæ, diligenter est curandum, ne quid contra leges fiat (ὅπως μηδὲν παρανομῶσι), maximeque ab eo cavendum, ne minima violentur, seu minima quoque maxime sunt servanda (μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάττειν). Latens enim corruptio serpit, nec illico tota simul prodit. Sic & de Venetis refert *Amelottus P. II. del Governo di Venez. i minimi falli di stato sono irremissibili, e apparenze sole sono reputate per delitti.* Postremis verbis innuere tantum videtur diligentiam vel speciem ejus vitandi, quod legibus adversum esset, attentionemque, num ea inanem an rei convenientem se sit probatura. De noxis neglectus medendi illis, quæ exigui esse videntur momenti, *Aristoteles L. V. Pol. cap. 7.* hæc tradit: a tenui initio dissolvantur aristocratiæ, & cum neglexerint quidpiam eorum, quæ pertinent ad remp. postea quoque aliud majus minore negotio mutant, donec totum ordinem mutarint.

§. 643.

Optimati uni eidemque plura munia, præsertim potentiora præter necessitatem ne tribuantur. Præstat enim in aristocratia plures esse optimates quam pauciores, si id legibus cardinalibus non est restrictum (§. 609.), & major numerus optimatum inservit abusui imperii avertendo (§. 624.). Sed quo pauciora munera publica uni committuntur, eo plures esse possunt optimates, cæteris paribus. Præterea quo minus potentiæ est in manibus unius optimatis, eo minus ea poterit abuti, eoque minus ab ipso metuendum erit. Eo minus vero potentiæ in manibus habebit, quo pauciora ipsi sunt munia, quibuscum potentiæ publicæ pars est conjuncta. Oligarchiæ igitur præveniendæ & arcendæ causa (§. 634) uni eidemque optimati plura munia præsertim potentiora, seu potentiam ejus valde augentia & formidabilem effectura tradenda non sunt. Verum tamen si plures idonei non habentur, nec quidquam periculi sit ab optimate compertæ fidei, partim rationes illæ cessant, quarum causa

Uni ne facile plura munia tribuantur.

ſanciuntur præmiſſa, partim neceſſitas intercedit, exceptionem a regula pariens lumini rationis conſentaneam. Quam propter neceſſitatem, & quando nihil vetat plurium munerum in unius humeros impoſitionem, eadem prudentia a regula recedetur, qua ipſa eſt formata, & qua vel uni omnia interdum committuntur (§. 627.). Præter moralem igitur neceſſitatem, quæ reipſa talis eſt, quali hæc regula nititur, uni plura munia in Ariſtocratia non ſunt injungenda, multo minus patiendum, ut ea ſibi ipſe quisquam arroget.

Quisquis plura ſibi arrogaret, aut quibuscunque artibus pararet munia, quam per leges licet, & ſalvo cæterorum optimatum jure fieri poteſt, is non tantum legum eſſet transgreſſor, ſed & alios læderet optimates, in quorum fraudem iſta fierent. Dudum præcepit *Ariſtoteles*, plures uni magiſtratus non eſſe permittendos; maxime vero lege cavendum eſſe, ne cui nimium ſit potentiæ, neque amicorum, neque pecuniarum & clientelarum - - Hinc ne uni quidem plures una hæreditates lautiores, ex teſtamento oriundas cernendas ſtatuit. *L. V. Polit. c. 8.* Pari modo Patritius Venetus plura munia uno tempore gerere nequit, quantulacunque fuerint. *Amelotto* teſte *L. I. p. 33.*

§. 644.

Ne plures gentiles neceſſarii ſimul imperio præſint.

Neque ex eadem gente plures neceſſarii ſimul ſic admittentur ad exercitium ſummi imperii, ut inde Oligarchiæ metus naſcatur. Neceſſarii enim degenerantes ipſa propinquitate conjunctionis & ſanguinis colludere & conſpirare facile poſſunt in ſummam imperii, ſenſum ſibi ſolis vindicandum, & ad ariſtocratiam evertendam. Cum vero legibus ſalutaribus cavendum ſit, ne Ariſtocratia degenerare facile queat in oligarchiam (§. 634.): pateſcit, non eſſe ex eadem gente plures neceſſarios ſic ſimul ad gubernaculum imperii ſummi adhibendos, ut inde oligarchiæ metus naſcatur. Exceptio igitur tunc locum habebit, quum vel non ſunt ita propinqui, vel non ſic animati, ut ullum periculum publicæ rei ab ipſis imminere poſſit. Idem hoc inſtitu-

stitutum inservit etiam minuendæ magnatum potentiæ: quatenus per necessariorum inter se consensum etsi dissimulatum, idem fere est, acsi illorum potentia conclusa esset & comprehensa manibus unius (§. 643.).

Quibusdam locis non simul ad remp. gubernandam recipiuntur pater & filius, fratresve. At nisi lege impediatur necessariorum confluxus & in privata consensus; ut Gnidi olim factio inde orietur, patre filium, fratre fratrem impediente. *Aristot. L. V. Polit. cap. 6.* Æduos ex una familia tantum duos creari vivo utroque, & in senatu esse prohibuisse, autor est *Jul. Cæsar de Bell. Gall. L. 7.* Veneti quidem duos sed non maxime necessarios in eodem magistratu esse patiuntur, fide *Contareni L. I. p. 125.* Nec Norimbergæ nisi duobus ejusdem gentis in senatu simul esse licet. Quod & in plurimis aliis rebuspubl. usitatum est, ut patri & filio, vel fratribus simul inesse collegio eidem magistratus vetitum sit.

§. 645.

Modus redituum magistratus.

Honoratiores onerosique magistratus in aristocratia quoque nec sint quæstuosi, nec damnosi; minores vero ad ditandos quadamtenus egentes beneque merentes comparari possunt. Si enim superiores & supremi magistratus essent valde quæstuosi, facile potentia eorum periculosa fieret Aristocratiæ, præsertim opulentissimis aut callidissimis ad eos adspirantibus per fas & nefas. Præterea invidiam augerent reditus insignes in populo, & inter ipsosmet optimates, gravissima reip. mala & interitum adeo parituram. Quare cum studendum sit quam facillimæ Aristocratiæ conservationi perpetuæ avertendæque ejus mutationi (§ 633. *seqq.*), cum & reliquis salutis publicæ impedimentis quam optime legibus sit occurrendum (§. 630): nullo negotio perspicitur, cavendum esse legibus, ne primores optimatum, ideoque ne honoratiores onerosi ac præcipui Magistratus, locupletari e republica possint.

Atta-

Attamen quia nemo eſt lædendus (§. 695. *P. I. Jur. nat.*) optimates vero læderentur, ſi ipſis officium ſaluti publicæ præſtandum deberet eſſe oneroſum damnoſumque: ea utique danda eſt opera, ut pro æquitate naturali bene merentes præſtentur indemnes. Neque enim præter neceſſitatem cogendi ſunt ad reip. procurationem, cum ſua ipſis, ut cæteris civibus, nec minus ac populo in democratia (§. 511.) conſtare debeat libertas, & lubentia agendi quæcunque in officio eorum ſunt; & cum inviti, atque coacti velut, parum recte curare demandata ſoleant, quod inter omnes indubium habetur. Dum quilibet obligatur ad damnum ſuum, quantum potе, avertendum (§. 493. *P. II. Jur. nat.*), vitio verti optimatibus non poſſet, ſi damnoſa ſibi munera publica deprecarentur vel alio migrarent, non ſine inſigni reip. detrimento. Ea propter curandum eſt, ne vel honoratiora optimatum munera ipſis ſint detrimentoſa, ſed potius indemnes iis præeſſe poſſint (§. 589.).

Quia tamen in Republica ſine incommodo ſubditorum etiam dari poſſunt magiſtratus lautioribus gaudentes reditibus; e republica eſt, ut hi ſint cæteris inferiores, ne facile in abuſum verti poſſint (§. 607.) & (§. 630.). Id quod eo erit ſalutarius reip. ſi partim offenſis a fortuna optimatibus, partim bene merentibus & meritis, iisdem & præmia & incitamenta virtutum præſtentur, quamdiu illud conſultum aut legibus definitum eſt. Recte igitur & e rep. minoris autoritatis magiſtratus ad ditandos quadamtenus, & vel præmiis afficiendos, vel ad majora inflammandos egenos bene merentes comparantur, ne egeſtate inducantur ad inhiandum aliorum opibus, vel ad moliendas res novas, & ad duces populo iniquiori præbendos.

Non oblitus eſt hujus cautelæ *Ariſtoteles L. V. Polit. c. 8.* maximum

ximum id ſtatuens in rep. & legibus providendum, ne magiſtratus ex ea quæſtum facere poſſit, præſertim in oligarchia. Multitudo enim non tam indigne fert a magiſtratibus ſe arceri, ſed potius lætatur, ſi ſuis vacare rebus poſſit, quam ſi putet, magiſtratus ditari communia depeculando, tum enim dolet vehementer, quod nec honorum ſit particeps, nec quæſtuum - - - Magiſtratus a nobilibus teneri, ariſtocratiæ eſt. Hoc autem accidit, quando ex magiſtratibus non proveniunt lucra. Pauperes enim magiſtratus non appetent, ſi nil inſit lucri, ſed potius ſuis rebus intendent. Divites autem, quia non indigent lucro ex rep. captando, magiſtratus gerent. Atque ita continget egenis ditari opera rebus ſuis impenſa, nobilibus vero gratum erit, quod non ſubjiciantur cuicunque. Ne vero peculatus fiat & compilatio, cavebitur, ſi traditio pecuniæ publicæ fiat præſentibus civibus, & exempla rationum (ἀντίγραφα) per curias, centurias & tribus (κατὰ φρατρίας, καὶ λόχους, καὶ φυλὰς) deponantur. Vt autem (ἀκερδῶς) ſine lucro magiſtratus gerantur, honores iis, qui magiſtratum præclare geſſerint, conſtitui oportet.„ Recte intelligendis his inſervit notio lucri. Hoc non notat id, quod aliquem indemnem præſtat, ſed quod ſalvis ipſius opibus accedit, vel quod nos locupletiores reddit (§. 613. *P. III. Jur. nat.*). Ideo patet, nullatenus ab Ariſtotele negari indemnitatem magiſtratibus ex publico ærario præſtandam. Hinc pergit, divitibus parcendum, & non modo non auferendas eſſe eorum poſſeſſiones, ſed ne fructus quidem earum minuendos. Satius eſſe, ſi vel volentibus prohibeatur ne munera illa ſubeant, quæ ſint magni ſumtus & vix ullius utilitatis publicæ. In oligarchia (latius pro genere Ariſtocratiæ accepta) curam pauperum diligenter eſſe ſuſcipiendam, & officia, quibus ſunt ſalaria conſtituta (ἀφ' ὧν λήμματα), aut quæ largiores proventus præbent, iſtis eſſe tradenda. *Vti ſupra.* Conf. *L. VI. Polit. c. 7.* & *L. III. cap. 11.* Venetiis honeſtioribus ex populo virtuteque præſtantioribus dantur munera decora lautiorum redituum. Talis eſt ordo ſcribarum honeſtiſſimus

ſtiſſimus & eorum, qui ſenatui ſunt a ſecretis, in quibus eſt cancellarius, dux velut populi. *Contarenus* p. 86.

§. 646.

Ferendum non eſt, ut quisquam optimatum illicitis modis aliorum gratiam ipſiusque populi captet, eadem procul dubio abuſurus. Si quis enim ambitioſe alios prenſare, eorumque gratiam aſſentando, gratificando improvide & promiſcue, donando, calumniando alios, prolixe promittendo meliora iis, quæ carpit recta aut oblique captare ſentiatur: vix obſcurum cuiquam eſſe poteſt, illum ut in ambitu (§. 615) vafris callidisque conſiliis id ipſum agitare, & nova moliri. Quapropter dum nocumentis ariſtocratiæ mature medendum (§. 630); & legibus ambitioſæ artes ſunt proſcribendæ, & ſolerti vigilantia cavendum, ne illa molimina aucupandi faſcinandique animos clam invaleſcant, ſed in prima herba ſuffocentur.

Machinatur ejusmodi homo arrogans injuriam in optimates, inæqualitatem quærens, qua ipſe reliquis præferatur, cæteri vero ipſi poſtponantur præter meritum (§. 632.). Quam detegendam a perſpicacioribus & propulſandam eſſe nemo non videt. Quod difficile eſſe, vel ex eo liquet, quia virtutis genuinæ larva ſe occultare ſolet iſta aſtutia, & cavendum eſt, ne virtutis præſtantiæ inani ſuſpicione noceatur. Suum quippe virtuti pretium, ſua dignatio denegari niſi inique nequit. Inde tum locus erit noſtro præcepto, cum quispiam exſurgit, qui non niſi aſſentando pravisque modis omnia poteſt apud optimate & populum, ſaltem id machinatur aut plurimum valere videatur velletque.

§. 647.

Concordia optimatum fovenda, diſcordia arcenda.

Inprimis concordia optimatum omni, quo licet, modo fovenda; diſcordia autem legibus ſequeſtribusque arcenda ac tollenda. Quemadmodum enim in democratia occurrendum eſt diſſidiis, in factiones & turbas facile abeuntibus (§. 532.): ita ex iisdem ſimi-

ſimilibusve cauſis mutationibus ariſtocratiæ fores ſunt præcludendæ (§. 633.). Quod fieri nequit niſi earum cauſis vel procul amotis, vel, ubi irrepſere, illico in cunabulis extinctis, ſaltem ſopitis. Illud fit legibus avitis; hoc judicibus ſequeſtris (§. 609.). Inter has cauſas non abs re primo loco habentur diſſidia & diſcordiæ. Quapropter & legibus ſancte ſervandis, & ſequeſtribus vigilantiſſimis æquiſſimisque occurrendum eſt diſcordiæ optimatum, ut vel a limine arceatur, vel ſi irrepſerit extingui in ſuis cunabulis, ſaltem penitus ſopiri poſſit.

Iisdem vero modis, quibus diſcordia cavetur & tollitur, concordia commendatur ſtabiliturque. Accedere tamen debent propriæ ejus genitrices nutricesque, virtutes quælibet, quanta poſſunt præſtantia fulgentes, inprimis charitas reip ſumma & optimatum amicitia ſancta. Eſſe igitur concordiam optimatum omni, quo licet, modo fovendam perpetuandamque nemo unus ibit infitias, cui in corpore ſano ſanitas mentis conſtat.

Contra ſeditiones *Ariſtoteles* hoc pharmacum commendat *L. V. Polit. c. 6.* Concors ſi ſit oligarchia haud facile per ſe ipſam labefactatur. Et *cap. 8.* addit: Etiam nobilium contentiones per leges caveantur, & avocentur ii, qui extra eam ſunt, antequam & ipſos implicet. Sed hoc malum ab initio exoriens cognoſcere, non cujusvis eſt, ſed civilis viri, diu in rep. verſati.„ Multo magis igitur plurium ſequeſtrium interpoſita diligentia & conciliatio fidelis momentum afferet, ad delendas diſſenſiones & controverſias antequam adoleſcere, & erumpere in noxam privatam & publicam poſſint. Si inter ſingulos optimates diſſidiis medendum, multo magis inter diverſa optimatum collegia omnis diſſidiorum materia eſt removenda, aut ſi quid ſuboriatur diſſidii, id confeſtim lege eſt e medio tollendum. Ita teſtatur *Amelotty loc. cit. p. 28.* Venetiis extingui ſi quid oriatur diſceptationis inter magnum conſilium ſenatumque. *Contare-*

nus Lib. III. decemviros obligari ait ad providendum, ne qua inter cives discordia, ne qua factio oriretur, aut ne quis perniciosus civis reip. insidias moliretur. Si quis morbus talis obrepsit furtim, eos summam habere autoritatem in eos animadvertendi ac procurandi, ne quid Resp. detrimenti patiatur. Panacæa in omnibus hisce optima erit virtutum præstantia (§. 610.), quæ & erroribus obstant & affectibus & malitiæ, dissidiorum causis internis.

§. 648.

Optimates novi antiquis sunt æquandi. *Quam ob rem nobiles novi antiquis jure optimatum sunt exæquandi.* Etenim Jus optimatum residet in præstantia virtutum utriusque generis (§ 603. *seq.*), quæ nulli majorum antiquitati, sed ingenio ejusque cultui eximio debetur (§ 605.) Ipsa vero antiquitas & novitas nobilitatis male eo refertur, ut quanto illa antiquior, tanto huic sit præferenda, contra Aristocratiæ institutum (§. 601). Idque præjudicium multis dissidiis contentionibusque locum dedit, historia teste. Vt ideo nullus ex hoc capite dissensus contemtusque oriri possit, hæc ejus radix est exscindenda. Sed si optimates antiqui & recentes eodem loco habeantur, nec consideretur in assignandis magistratibus, num quis antiquus sit vel novus, sed num iis gaudeat virtutibus eximiis, quibus in illa functione indiget: sublata intelligitur ratio superbiendi, aliosque præ se contemnendi, quæ dissensionum contentionumque causa esse consuevit. Necesse ergo est, ut optimates novi antiquis prorsus æquiparentur.

Memorat *Contarenus de Venetor. rep. Lib. I.* non juvare ibi sordidos homines, nil nisi lucrum sapientes, bonarum vero artium expertes, opes accumulatas ad capessendam remp., sed omnes, qui aut genere nobiles, aut virtute insignes, aut de rep. bene meriti, id jus principio esse adeptos, & vel externos homines advenasque in numerum civium nobilium esse adscitos,

ros, qui vel officioſi in remp. vel eam inſigni quodam facinore honeſtarint (cujusmodi Viri inter Gedanenſes quoque habentur). - - Novemviri eligentes eo ordine ſedent, quem ætas ipſis tribuit. Nullum aliud diſcrimen præterquam ætatis inter cives Veneti eſſe volunt, quod ſeditionis nullius aut ſimultatis unquam cauſa fuit. Manet quidem nomen antiquarum familiarum & recentiorum; ſed in conſequendis dignitatibus antiquitas nullius cenſetur momenti. Vid. *Septal L. III. de Ratione ſtatus* cap. 3. Vbi etiam de Genuenſibus agit.

§. 649.

An cenſus optimatum ratio habenda, & acceſſionis fiſci.

Neque tamen iniquum eſt, ſi in optimatum dignitate concedenda opum quoque ratio habeatur, quibus indigent ad eam decore tuendam, & ſi certa ſumma in ærarium publicum ab opulentis ſit inferenda. Patet enim luculenter, dignitates civiles evileſcere, niſi eas decore tueantur, qui ipſis ſunt præditi. Iam quidem virtutes præcipuæ illius ſunt fulturæ, tutelæque, æque ac illius matres (§. 603. *ſeqq.*). Quia tamen ad decus externum tuendum & ad benefaciendum egenis opes requiruntur, quarum parandarum in ſtatu optimatum ratio plerumque ceſſat (§ 645), & minora munia opum quarundam parari ab iis debentur, quorum virtuti cum re anguſta domi eſt conflictandum (*ibid.*): plerumque rationem opum aliunde honeſte partarum rationem in Ariſtocratia non eſſe negligendam intelligitur. Addi poſſunt his rationes aliæ, v. c. opum diminutio per liberorum non educationem tantum, ſed & patrimonii poſt fata parentum diviſionem; aut & vivis parentibus filiorum emancipationem decoram, ut & ipſi optimatum locum nanciſcantur, & filiarum collocationem in matrimonium; munia quoque optimatum vel ſplendidius gerenda, vel quæſtorum ſecuritatem in bonis adminiſtratorum requirentia. Vlterius receptum eſt, ut cives quaſi arrham quandam dent ærario publico futuri obſequii officiique ſui, quando jus civitatis adquirunt.

Quamobrem & optimatum jus ſi ab opulentis non indignis expetatur, illius adquiſitio conjungi poteſt cum certa ſumma ærario publico inferenda, modo caveatur, ne cenſus ſolius vel præcipua ratio habeatur in conferendo optimatum jure, neque virtus inops deſtituatur. Vbi perplures habentur optimates, ibi in locum ſenſim extinctorum familiarum patritiarum maſculorum, aut ad novarum rerum ſtudioſos impediendos, ne plebem contra optimates irritent, amovendosque cooptari in numerum optimatum tot poſſunt, quot ſufficiunt Ariſtocratiæ emolumentis procurandis & inſigniter augendis.

Qui diſcordiis cæterorum duces eſſe poſſunt, gratia plebis & opibus pollentes (ἡγεμονικοὶ), illi inducendi ſunt in rempublicam, ordinemque optimatum, monente *Ariſtotele Lib. V. Polit. c. 8.* Venetiis lege cautum eſt, ut vel nati ab optimatibus, non ante patriciorum loco cenſeantur, quam legitimam agnationem patritiam 40 virorum collegio juratis comprobarint teſtibus ſcripturisque fide dignis. Quod judicium ne quis impune tentet, quingenti aurei in ærarium ſunt referendi, eidemque relinquendi, ſi deciderit cauſa. v. *Contarenus p. 14. l. c.* Quando ditiores cives ordini patritiorum, nobilium ſcilicet, inſeruntur, id non fit niſi ex ſoluto grandi ære, quando resp. illo indiget. Sic alii ob res in bello egregie geſtas patricio jure donati ſunt, vel & equeſtri ſtatua cohoneſtati: Inde dum bellum urget, patritii ordinis cives in exercitum mittuntur quæſtores vel legati, qui imperatori ſemper adſint, ut ſine horum conſenſu nihil agat. *l. c. p. 79.* Inprimis ad bellum maritimum præparantur quoque patritii. Nam poſtquam ad pubertatem usque ſub pædagogis fuere, alii ſe literis adſerunt; alii rei familiari operam daturi ad longinquas navigant oras, mercaturam facturi moribusque ſimul excolendi; alii rei maritimæ & navalis peritia imbuuntur. Namque in unaquaque triremi armata ſecundum legis ſtipendium ex ære publico haud exiguum datur

datur duobus adolescentibus dignis ordinis patricii, quorum non aliud est officium, quam ut imbuantur illarum rerum disciplina. Quod ut facilius assequantur, exigua quædam munera ipsis adsignari consueverunt, quibus curandis se exercentes proficiant, ut ad majora capessenda idonei evadant. Gravibus vero triremibus sive ad classem & rem bellicam instructæ sint, sive privatim civibus locatæ ad mercaturam, octoni juvenes patricii quandoque adhibentur, constituto ipsis stipendio non mediocri, ut & nauticis & bellicis studiis rite adsuescant. Et privatorum navibus hoc onus legibus impositum est, propter publicam utilitatem, ut ex ære domini privato, uni, vel si major navis fuerit duobus adolescentibus patritiis stipendium solvatur, qui muniis nauticis exerceantur. *p. 80. ibid.* Concessa his adolescentibus quoque est facultas, ut in triremibus onerariis & navibus privatorum ferre queant certam mercium summam, nullo naulo soluto; quam si non habeant, hoc jus suum alii concedunt vel locant. Qua lege & exercitationi juventutis consulitur & angustiæ rei familiaris. Sic in navium copia ducenti & amplius nobiles & aluntur alienis impensis & ad rem nauticam instruuntur. (*ibid.*)

§. 650.

Periculis Aristocratiæ avertendis inservit, si optimatibus nefas sit, inter se contendere propter matrimonia, patrimonia, resque alias privatas, nisi coram judicibus incorruptis, in quorum sententia brevi causæ cognitioni subjicienda, sit adquiescendum. Est nimirum discordia optimatum magno opere cavenda tollendaque, tum legum rigore, tum sequestrium & judicum arbitrio (§. 647.). Quapropter, quia partim rivales matrimonii, partim de successione in patrimonium, vel hæreditatem testamento adquirendam aliasque res & causas privatas, haud raro diffidia oboriuntur magnas pestes reip. creatura: opera navanda est, ut & legibus caveatur, ne qua privata vindicta aut simultas nascatur, ideoque sub gravissima pœna statim primordia dissensus judi-

Lites optimatum quomodo sopiendæ?

judicibus ſint ſubjicienda, qui ſolide ſed breviter omnia excutiant definiantque ſecundum juſtitiæ & æquitatis dictamen (§. 630.). Quorum ſententia ne irrita ſit, gravibus pœnis cavendum eſt, ne cauſa propaletur, multo minus extra remp. proferatur, ideoque in ſententia ſecundum leges lata adquieſcendum ſit.

Oriuntur, inquit *Ariſtoteles Lib. V. Polit. c. 5.*, ſeditiones etiam per excluſionem aliorum ab aliis factam in Oligarchia, quando acriter de nuptiis vel aliis ante dictis cauſis concertant. Prouti in Eretria ſublata eſt oligarchia per Diagoram, qui affectus injuria fuerat ex nuptiis; ex judicio apud Heracleam & Thebis ob adulterii cauſam. Facillime optimates, in contraria ſtudia deducti, multitudinem quoque in partes diſtrahunt. Syracuſis mutatus eſt ſtatus civitatis propter duos adoleſcentes in magiſtratu conſtitutos, qui in ſimultatem inciderunt ex amatoria cauſa, quod enarratum longius legitur *L. V. Polit. cap. 4.* ubi ſubjicit Philoſophus: quamobrem ab iſtis principiis cavendum eſt diligenter, ac diſſolvendæ ſtatim ſunt eorum diſcordiæ, qui multum in rep. valent. In principio enim peccatur. Principium autem dicitur eſſe dimidium totius. Inde parvum in principio erratum multis aliis fores pandit. (Forſan huc reſpicit illud *Heſiodi: dimidium plus toto*, quia initiis obſtans plus præſtat, quam ſi totum jam cumulum malorum ſero amoveret.). Omnino excellentium virorum diſcordiæ totam implicant civitatem. Vti contigit apud Heſtiæam. Duobus enim fratribus de diviſione patrimonii dimicantibus, alter pauperior quaſi non exhiberet alter bona omnia, neque theſaurum, quem pater invenerat, proferret, querebatur populum in ſuas partes adducens. Alter divitiis pollens locupletes ſibi adſciverat. Quod initium exſtitit ſeditionum omnium ſecutarum, Delphis quoque ex favore partium contentione oborta - - Mitilenæ quoque ſeditio ex hæreditate coorta, magnorum malorum origo fuit, quæ *cit. loco* fuſius enarrantur. Neque minus apud Phocenſes ſeditio exorta eſt ex hæreditate inter Mnaſeam & Euthy-

thycratem, quæ initium dedit bello sacro. Mutatus est Epidamni status civitatis nuptiarum causa. Desponderat civis filiam suam sponso, cujus eum pœnituit, quia sponsi pater ipsi magistratum gerens mulctam irrogaverat, quare velut læsus, omnes civitatis statui infensos in suam factionem pertraxit (*ibid.*)„ Quemadmodum communis boni causa mercatorum controversiæ audiuntur & ex æquo & bono, vel secundum leges brevissime componuntur dirimunturque: ita non minus optimatum controversiæ, quanta fieri potest brevitate, æquitate, & justitia legibus præscripta, sunt dirimendæ ac funditus eradicandæ, antequam invalescant, uti inter Triumviros romanos.

§. 651.

Optimates ne sint extraneis obnoxii.

Eadem de causa nulli optimati liceat externis gaudere vel honoribus vel pensionibus, prædiis, & muneribus, quibus induci posset ad nocendum reipublicæ. Etenim si quis optimatum corrumpi se patiatur externa fraude, pecunia, donis, honoribus, pensionibusque, id valde periculosum exitiosumque reip. fieri potest, quando his ab officio suo se avocari patitur. Quum nocumenta Aristocratiæ, quæcunque prævideri possunt, quam optime avertenda sint & præcavenda (§. 630.): ambigi nequit, legibus cardinalibus pariter & pœnis gravissimis cavendum esse, ne quis optimatum externis vel peregrinis corrumpatur causis modisve fraudulentis, sive honores fuerint, sive dona, blandimenta, libido, sive munera, prædia quæcunque, & pensiones quasi gratuitæ, palam vel clanculum ab alio principe aliave rep. subministratæ, quocunque obtentu ornentur.

Leges ergo, quæ vetant ex ipsa rep. rem quærere, multo magis vetare debent, ne ab alia rep. qui præsunt imperio, inescentur ad nocendum suæ reip. Plane ut Venetiis non licet patriciis extra urbem tantum feuda & jurisdictionem habere privatam, teste *Amelotto P. I. p. 37.*; multo minus pensiones aut munera ab externis principibus accipere (*p. 36. ibid.*), im-

mo vel locutum esse cum legato suspecto, vita constat (p. 46. ibid.). Addidi limitationem, quibus induci posset ad reip. nocendum. Dantur enim casus, ubi remotissimi principes v. c. erudito optimati, Astronomo, Politico Inventori rerum novarum pensionem dedere, solius benevolentiæ, gloriæque causa, vel ut communicet consilia & inventa sua, sine ulla suspicione noxæ inde in remp. redundaturæ.

§. 652.

Neque munita sint optimatibus habitacula.

Nec liceat patribus castellum exstruere, vel in munito quodam loco ædifi are. Nihil enim admittendum est in Aristocratia, quod abusui imperii inservire posset (§. 607.), nihil quod nocumenta eidem minatur (§. 630.). Sed ex horum numero sunt castella optimatum munita, quibus forsan insidiarum prætextu suæ tantum securitati consulere dicantur Sufficere enim ipsis eadem potest securitas, quæ cæteris sufficit optimatibus civibusque. Proinde nemini optimatum licere debet exstructio castelli, in quo sensim Aristocratiæ perniciem moliri, arma & milites abscondere, & opportuno tempore tyrannidem invadere ipse aut alius posset. Par fere ratio foret, si in publico munimento ædificare vellet, non sine simili suspicione formidineque.

Sic Romæ ad populum latum est, ne quis patricius in arce aut capitolio habitaret. Facile quippe in affectati regni suspicionem venire potest, ut P. Valerius ædificaturus in summa Velia. Quod factum *Livius* hisce enarrat verbis *Hist. Lib. II. c. 7.* Vbi postquam memoriæ prodiderat, Brutum matronas annum, ut parentem luxisse, quod tum acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset, sic pergit: Consuli, qui superfuerat, (Valerio), ut sunt mutabiles vulgi animi, ex favore, non invidia modo, sed suspicio quoque subnata est & fama, eum affectare regnum: quia nec collegam subrogaverat, in locum Bruti & ædificabat in summa Velia, ibi alto & munito loco arcem inexpugnabilem fore. Quæ dicta vulgo creditaque consulem moverunt, ut vocato ad

 con-

concilium populo, summissis fascibus adscenderet in concionem. Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi quam consulis majestatem vimque majorem esse. Vbi audire jussi, consul laudavit fortunam collegæ, quod liberata patria in summo honore pro rep. dimicans, matura gloria, necdum se vertente in invidiam, mortem occubuisset; se superstitem gloriæ suæ ad crimen atque invidiam superesse. - - - Nunquam, inquit, ulla adeo a vobis spectata virtus erit, ut suspicione violari nequeat? Ego me acerrimum regis hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? Ego si in ipsa arce capitolioque habitarem metui me crederem posse a civibus meis? Tam levi momento mea apud vos fama pendet? Adeone est fundata leviter fides, ut ubi sim, quam qui sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerii ædes libertati vestræ, Quirites, tuta erit vobis Velia. Deferam non in planum modo ædes, sed colli etiam subjiciam, ut vos supra suspectum civem me habeatis. In Velia ædificent, quibus melius quam Valerio creditur libertas. Addit, delatam confestim esse omnem materiam infra Veliam & in infimo clivo domum ædificatam.

§. 653.

Multo minus optimates Remp. turbatam, vel in summum discrimen adductam, deserant vano obtentu. Optimatum enim est in Aristocratia summum imperium (§. 295.). Sed ad imperium publicum refertur quidquid ad salutem publicam consequendam, & ad arcenda eidem contraria requiritur (§. 269.). Eapropter quandoquidem arcenda sunt omnia, quæ nasci possunt, salutis publicæ detrimenta (§. 630.), ad ea referri debere neglectum officii optimatum in statu periculoso, & multo magis desertionem reip. in istiusmodi augustiis, nemo hæsitabit, quid in optimatibus requiratur, perspectum habens (§. 601. *seqq*). Patescit igitur, nihil magis ab optimatum officio & honore alienum esse, quam si remp. turbatam, vel in sum-

Nec remp. in periculis deserant.

 mum

mum discrimen quomodocunque adductam, negligere aut deserere vano obtentu quoquam vellent. Summam utique pœnam ejusmodi turpitudinem mereri, natura rei convincit.

Ita *Cicero* reprehendit Pompejum *Lib. VIII. Epist. ad Attic. t.* qui ad eum scripserat; tu, censeo, Luceriam venias, nusquam eris tutius. Quod Cicero non abs re eam in partem accepit, hæc oppida, atque oram maritimam illam pro derelictis habere, addens, nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. Expositis, quæ rescripserat, subjungit: hoc me frustra scribere videbam; sed uti in urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. Plura legi possunt de turpi illius discessu ex urbe in *Epistolis seqq.* Rectius quando populus romanus Vejos migrare voluit, optimates restiterunt, & se sedem avitam etiam in extremo discrimine retenturos esse forti & constanti animo promiserunt. Comparari ejusmodi optimates cum nautis possent, qui in periculo navis, quæ servari posset, de sua tantum salute soliciti navem desererent. Quales illi erant, qui Paulum Apostolum vehebant *Actor.* XXVII. 30. *seqq.* Neque tamen tantum damni daret turpis fuga gubernatoris navis, quantum remp. in extremo discrimine deserentes optimates. Aliud foret, si quis innocens ab hostibus expeteretur, qui etiamsi maneret, tamen remp. servare non posset, de quo casu hic sermo non est.

§. 654.

Consilia optimatum graviora sint secreta.

Quo minus prodessent reip. graviora optimatum consilia divulgata, eo sunt secretiora habenda, paucisque ad silentium obstrictis committenda. Graviora enim consilia versantur circa insignia salutis publicæ emolumenta adipiscenda, damna vero avertenda. Quæ si divulgentur, vel emanant ad populum, vel ad hostes reip. Priori casu populus facile invitatur vel indignitate rei ad fastidiendos ejusmodi rectores, qui linguæ imperare non didicerunt, & ad capessendas imperii habenas. Posteriori

casu

casu prodita hostibus consilia ab ipsis irrita reddentur, atque eo magis reip. nocebunt, sua consilia optime celando.

Quia vero quo plures consiliorum sunt conscii, eo difficilius est, silentium, ut par est, observari, seu eo plures rimæ aperiuntur elabendi: opus est, ut, quo graviora sunt consilia, & quo majori indigent taciturnitate, eo pauciores sint illorum consortes & arbitri. Idcirco quo graviora sunt consilia, & quo minus reipublicæ prodessent, vel quo magis noceret reip. ipsorum proditio: eo magis illa erunt silentio involvenda secretiusque agitanda. Quod eo fiet facilius, quo pauciores, prudentiores, taciturnioresque erunt, quibus illa sunt commissa. Paucis igitur hujusmodi consilia, iisque ad silentium summum jurata fide adstrictis, erunt committenda.

Observat quoque populus hanc legem necessarii silentii, & hanc rationem adjumento taciturnitatis scopum ex asse consequendi, ut videlicet paucis deputatis, quibus major præ cæteris prudentia & silentii fides inesse videtur, ea committant, quæ tacenda sunt (§. 535. *seq.*). Si ergo in magno periculo vel uni tradi potest omnis reip. procuratio (§. 627.): multo magis, ubi res id patitur, paucis designatis, quorum explorata habetur fides, consilia secretiora agitanda committi possunt. Minime igitur verum est, quod contendunt nonnulli, exiguo opus esse optimatum numero, ut eo sit diuturnior concordia paucorum, taciturnitas consiliorum obstetrix. Sed & taciturnitati consuli posse per paucos ad secretiora consilia deputatos, planum est. De concordia egimus §. 347. Cætera, quæ de suffragiorum occultatione, quando opus est, dicta sunt in democratia, eadem hic repetenda minime videntur.

§. 655.

Summopere cavendum est, ne populus ab optimatibus afficiatur injuria. Studendum enim est in Aristocratia optimæ reip. administrationi (§. 601.), quæ cum civium injuria consistere nequit, utpote, quæ illam plane tollit & immutat. Sed cavendum

Cautio, ne optimates populum injuria afficiant.

dum eſt, ne Ariſtocratia; recte conſtituta mutetur ullatenus, ſed ut perpetuo conſervetur (§. 633.). Injuriis vero populo illatis, non poteſt non populus contra optimates exacerbari, & quia affectuum impetum difficulter refrænatur, eidem facile indulget, ut rebus novis ſuæque liberationi ab injuriis plus faveat, quam degenerantis Ariſtocratiæ tolerationi. Ideoque ſi ducem nanciſcatur vel ex iis, qui in multitudine ſibi ſuffenorum criſtas erigunt, vel ut planius dicam, imperio imminent, vel ex ipſiſmet optimatibus quenquam cæteris infeſtum; facile ſeditio oritur everſioque Ariſtocratiæ. Summo igitur opere cavendum eſt, ne populo ab optimatibus injuria fiat. Quod fieri poteſt tum legibus graviores pœnas injungentibus iis, qui petulanter populum læſere, quam qui optimati ſimilem injuriam intuliſſet, tum earum cuſtodia & exſecutione accurata.

Sic *Ariſtoteles* obſervavit *Lib. V. Polit. cap. 6.* quemlibet ducem populo offenſo & irato videre idoneum, præſertim quem ex ipſis optimatibus habere poſſit. *Capite* 7. addit, inprimis illud contingere, ſi viri magni & nihilo inferiores illis, qui honore & dignitate tantum antecellunt, ignominia vel injuria afficiuntur, uti Lyſander a regibus; vel ſi multi in plebe ſunt animo tam elati (πεφρονηματισμένοι) & arrogantes, ut ſe reliquis virtute pares vel ſuperiores ducant, quales Spartæ fuerunt, qui Partheniæ dicebantur, quia abſentibus maritis bello Meſſeniaco a Lacænis erant procreati, novarumque rerum comperti. Inde *cap. 8.* ait, contumeliam ab aliquo optimate plebejo illatam ſevere & majori pœna coërcendam eſſe, quam ſi ſui ſimilem ea affeciſſet. Id quod accuratiſſime quoque obſervant Veneti. De quibus *Contarenus p. 84.* hæc affert: Apud Venetos hoc conſtantiſſime obſervatum eſt, ut omnibus æquum jus eſſet, neque ulli impune liceret quenquam, ne de plebe quidem vel infima, injuria afficere. Patricium vero hominem plebejo contumeliam facere pro ſacrilegio ac ſcelere maximo habitum eſt. Si quis temerarius hujusmodi quidpiam perpetrare auſus unquam eſt,

eſt, is tanto graviores pœnas dedit quanto majoris exiſtimationis dignitatisve fuit.,, His addimus, ex eadem ratione populo citius & magis ignoſcendas eſſe injurias, quam optimati, quo magis inſcitiæ potius & ruditati quam malitiæ debentur.

§. 656.

Optimates erga populum ſint modeſti & populares. Solicite enim cavendum eſt, ne optimates populum injuria afficiant (§. 655.). Quod fieri rectius non poterit, quam ſi nullatenus ſuperbiant, nec populum per contemtum vilipendant, & ſeſe efferant. Sed hoc eſt modeſti hominis, ut virtutum præſtantiori uſu ſe dignum præſtet exiſtimatione, honore & laude, non vero illa appetat (§. 484 *P. IV. Ethic.*) Patet igitur, optimates erga populum eſſe debere modeſtos.

Optimatum popularitas commendatur.

Hæc vero modeſtia quia virtutum uſu præſtantiori mereri ſtudet benigna aliorum de ſe judicia (*cit.* §. 484 *Eth.*), non poteſt non eorum rationem habere, quæ a populo magni ſunt facienda. Talia vero ſunt quævis beneficia populo procurata, & quæcunque ad ſalutem populi in imperio fieri intelliguntur. Sed ſtudium ſalutis populi vera eſt popularitas. Qua propter optimates ſalutis populi amantes ac perſtudioſos, hoc eſt, populares eſſe debere liquet.

Ariſtocratias conſervari ευταξια ſive modeſtia, ſuo jam ævo edixit *Ariſtoteles Lib. VI. Polit. c. 6.* Verba quidem ejus ſalutem incolumitatemque Ariſtocratiæ ex bono ordine derivant, quem ordinem ex ſalute communi, tanquam regula ſua, metiendum eſſe oſtendimus (§. 236 - 243.) Quem ordinem eo magis neceſſarium in Ariſtocratia ſtatuit, quia in illa paucorum eſt ſuprema poteſtas, quæ in democratia eſt totius populi, qui ſua ſe multitudine vel in confuſione tueri poteſt, quod in oligarchia ſecus habet, cujus bona conſtitutio & genuinus ordo ideo eo minus negligi debet. Hinc paulo ante dixerat: quemadmodum corpora bene ad ſanitatem conſtituta (ſana), & naves ad curſum nautis bene inſtructæ plura incommoda (ἁμαρτιας) vel erra-

errata citra interitum vel læſionem ſuſtinent; morboſa vero corpora & naves fatiſcentes (πλοια εκλελυμενα) malisque inſtructæ nautis, ne parva quidem incommoda ferre poſſunt: ita quo pejor eſt reſp. eo majorem deſiderat cautionem. Quia tamen in ordine reip. imperantium & ſubditorum ea requiritur ad ſe invicem relatio, quæ ſtabilis eſſe poſſit; ideoque rectores civitatis virtute conſpicui eſſe & ſubditis ſe probare debent, non male interpretes quidam modeſtiam optimatum his commendari crediderunt. Popularitas quidem in contumeliam ſenatus plebi interdum favit, uti Romæ primi inſtituere Gracchi - - Sed ſpuriam illam eſſe vel ex eo patet, quia diſcordiam in remp. inducit & fovet, ſaluti publicæ ſemper infeſtam. Genuina igitur & innoxia popularitas ſtudium & amorem infert veram populi ſalutem tuendi augendique. Conf. illa, quæ ex *Oratione pro Sextio Ciceronis* antea notavimus. Animus vere popularis non eſt, niſi qui conſulit populi ſaluti. De Venetis *Autor Arcan. polit. Princ. Ital. p. 45.* ſcribit: *Nobili Veneti con eſſe (cittadini) ſi accommunano nelle converſazione, nelle veglie, nell accademie, nelle feſte ed in ogni altro civile ed honorato trattenimento.*

§. 657.

Favendum eſt plebejorum honori & lucro.

Hinc nec honori plebejorum, quem merentur, officiendum eſt, nec cæterorum lucro, quo indigent, honeſto; potius illis debite favendum eſt ab optimatibus. Curandum enim eſt, ut in rep. ſalva maneat ſalus ſimplicium, cæterarumque inferiorum ſocietatum, & conjunctis viribus augeatur (§. 250. ſeq.). Convenit autem ſaluti ſimplicium & minorum ſocietatum, ut, quisquis velit, virtutibus ſe honore dignum reliquis omnibus oſtendat, & ut honeſte rem facere poſſit familiarem, per oſtenſa *in Oeconomia.* Hinc cum abſtinendum ſit optimatibus ab omnibus, quibus lædere populum poſſent (§. 636.); ſed, denegato aut impedito honore promerito & lucro honeſto, utique plebs læderetur (§. 689. *ſeqq. P. I. Jur. nat.*); manifeſtum eſt, optimates nec merito hono-

honori plebejorum, nec honesto cæterorum lucro adversari, sed potius suum cuique justitia duce tribuere debere (§. 270.). Quod dum recte fit, populares esse (§. 656.), & populi honori, ac honestis se sustentandi & rem faciendi modis, favere intelligentur, prout officii optimatum ratio requirit (§. 602.).

Honoris cupidos non esse lædendos in his rebus, quæ ignominiam afferunt; multitudinem autem in illis, quæ pertinent ad lucrum, inculcavit *Aristoteles Lib. V. Polit. c. 8.* Hanc ob causam Veneti patritios non patiuntur negotiari, teste *Amelotto del Govern. di Venezia P. I. p. 31.* Neque patritii ibi exercent officia plebejis reservata, uti Cancellarii, Secretariorum, Scribarum, judicum, advocationis *ibid. p. 43.* Neque præfici possunt majorum Scholarum regimini, nec Ecclesiarum parochialium, quarum ultra 70 sunt in urbe, secundum *Arcana pol. dei Princ. d' Italia p. 44.*

§. 658.

Male optimates a conjugiis dignorum plebejorum abhorrerent, male etiam negligeretur cura necessitati & inopiæ plebejorum pro viribus consulendi. Debent enim optimates esse populares (§. 656.), & honori ac lucro plebejorum favere (§. 657.). Sed qua re magis honori plebejorum consulere possunt, quam si virtutibus opibusque præstantes sibi pares ducant, matrimonium cum illis ineuntes? Vix enim a superbia se purgare possent, etiamsi legibus obtemperarent, dedignando prorsus plebejorum matrimonia; sive filiæ optimatum a digno plebejo expetantur in matrimonium; sive filii plebejam in matrimonium ducere velint. Quemadmodum nec nisi odium & invidiam spiraret plebejorum recusatio matrimonii nobilis patritiique, nulla nempe alia causa graviori intercedente. Mutui igitur amoris officiique ratio in Aristocratia vetat, quo minus optimates a plebejorum, & hi ab illorum conjugiis per se abhorrere possint.

De matrimoniis optimatum & plebejorum.

Et de cura ſublevandæ plebis inopiam.

Quoniam optimatibus quoque favendum eſt honeſtæ plebis ſuſtentationi, ipſiusque rationi rem & lucrum faciendi (§. 657): haud ſecus, ac in democratia curanda eſt annonæ ubertas, & ut ejus penuria levetur (§. 595.), in Ariſtocratia quoque proſpiciendum eſt, ut plebi, majorem partem inopi, ſint neceſſaria vitæ præſidia, dum officio ſuo non deeſt, & ut inopiæ illius præſertim deficiente annona, quam optime fieri poteſt, conſulatur ſubveniaturque (§. 601.). Male igitur ab optimatibus hoc officium & hæc cura plebi impendenda denegaretur negligereturve.

Boxhornius quidem *L. II. Inſt. Pol. c. 6. §. 31.* & *Schönbornerus Polit. L. V. cap. 2.* nuptias illas diſſuadent, vel damnant. Nituntur rationibus a Senatu romano olim contra C. Canulejum prolatis, in *Livii Hiſt. L. IV. c. 2.* ſcilicet Canulejum colluvionem gentium, perturbationem auſpiciorum publicorum privatorumque afferre, ne quid ſinceri, ne quid incontaminati ſit; ut diſcrimine ſublato nec ſe quiſquam, nec ſuos noverit. Quam enim aliam vim connubia promiſcua habere, niſi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque, ut qui natus ſit, ignoret, cujus ſanguinis, quorum ſacrorum ſit, dimidius patrum ſit, dimidius plebis, nec ſecum ipſe quidem concors? Quæ fuſius refutata reperiuntur in oratione Tribuni plebis Canuleji *cap. 3. & 4. ibid.* in qua præter ortum patrum inprimis urget, dirimi a patribus ſocietatem civilem, duasque ex una civitate fieri. Quærit, cur non ſanciant quoque, ne vicinus patritio ſit plebejus, ne eodem itinere eat, ne idem convivium ineat, ne in foro eodem conſiſtat? quid in re ſit aliud, ſi plebejam patritius duxerit, ſi patritiam plebejus? - - Nec ex iſto plebejos quidquam petere, præterquam ut civium numero ſint, nec inſigni contumelia veluti pars civitatis contaminata, & connubio indigna, habeantur.

Plebs romana ſævitiis & fœnoris onere oppreſſa, cum aſſiduis bellis tributum ſimul & militiam toleraret, armata tandem in montem aventinum ſeceſſit, tumque tribunos plebis & alia jura ſibi

ſibi paravit, teſtibus *Salluſtio*, *Livio*, *Dionyſio Halicarnaſſ.* &c. Ne tenuiores uſuris mordacibus premantur, erecti ſunt paſſim in Italia *montes*, qui vocantur, *pietatis*, quorum beneficio ſalubri ratione ſublevantur. De quibus alibi diſertius erit dicendum. Romæ ſæpius annonæ caritati patres ſubvenerunt ex communi ærario, quod hiſtoriæ paſſim docent. Venetiis rei frumentariæ magna habetur cura, ne quando populus ejus inopia & nimia caritate prematur. Idcirco rei frumentariæ tres ſunt præfecti, qui 16 menſibus muneri præſunt. Horum eſt providere, ne civitas frumenti inopia laboret, quæ ſi quando timeatur, principem ſapientumque collegium adeunt, neque inter eos diſcuſſa decernunt, quæ ad frumenti copiam comparandam uſui eſſe videntur. Quandoque ſolet certa merces ex ærario his conſtitui, qui ex longinquioribus provinciis frumentum Venetias advexerint. Interdum ære publico triticum mercantur a negotiatoribus, qui polliceantur certam vim frumenti ſtatuto tempore, atque ex certis etiam provinciis, ſe Venetias delaturos. Quod niſi præſtent pecuniaria mulcta plectuntur. Quod autem reſp. magno pretio emit, id vili vendit, ut commodo populi atque inopiæ conſulatur. Qua in re magnam ſæpe jacturam ærarium facit. *Contarenus L. IV. ſive p. 70. ſeq.*

§. 659.

Optimates sint erga populum parentes.

Vniverſe optimatum eſt, erga populum ſe gerere inſtar parentum, vel ut parentes ſe gerere debent erga liberos ſuos. Optimatum enim eſt cura optimæ adminiſtrationis reip. (§. 601.) ideoque populi honori & lucro favere (§. 657.) & inopiæ eorum mederi debent (§. 658). Enimvero tales etiam eſſe debent parentes erga liberos ſuos, quorum procurandæ felicitati atque proſperitati, avertendæ vero miſeriæ & calamitati cuicunque omnis opera amantiſſime eſt navanda, per *Oeconomiæ* ſcita *Sect. II. cap. 3.* Quapropter & optimates rectius ſuis partibus erga populum fungi non poterunt, quam ſi populi ſalutem ſibi non ſecus habeant demandatam, ac ſalutem ſuorum & liberorum. Eapropter

pter eodem affectu, quo parentes liberos ſuos, optimates populum ſuum proſequi, nec ſecus ſe erga illum, ac erga liberos ſuos ſeſe gerere debent.

Paucis his verbis multa immo plurima complector aut omnia optimatum erga populum & plebem ſuæ civitatis officia. Eſt ipſis ſummum in Ariſtocratia imperium (§. 295.). Quam ob rem tanquam rectores Ariſtocratiæ non ſunt niſi Dei vicarii (§. 337.), atque omni opum vi eniti debent, ut digniſſime Dei vices impleant (§. 339.). Enimvero Deus multo rectius quam parentes perſpicit, quid ſalus publica cujuslibet civitatis requirat (§. 326.); multoque melius cuilibet civitati conſultum eſſe, conſtantiſſime cupit (§. 327.) idemque conſtanter agens obligat quoque rectores civitatis quam perfectiſſime, ut eadem, quæ vult Deus, velle & ipſi debeant (§. 328.). E quibus liquet, ipſum velle quoque, ut optimates populum ſuum paterno amore complectantur, foveant, defendant, perficiantque. Graduum diſcrimen per ſe ſalvum manebit.

§. 660.

Populus obſequatur filiali pietate.

Eapropter & populi eſt, inſtar liberorum morigerorum, optimatibus lubenter obſequi, & filiali reſpondere pietate. Optimates enim erga populum ſe gerere debent, uti parentes erga liberos ſuos, quorum ſalus ipſis maxime omnium curæ eſſe debet cordique (§. 659.). Nihil igitur rationi convenientius eſſe poteſt, quam ut vice verſa populus ſe gerat erga optimates, tanquam liberi erga ſuos parentes. Liberi vero parentibus debent filialem pietatem, quæ promtam obedientiam, charitatem & reverentiam filialem, animumque gratiſſimum involvit, per expoſita in *Oeconomiæ Cap. V. Sect. II.* Reſtat igitur, ut populus in Ariſtocratia paterno optimatum affectui reſpondeat, inſtar liberorum morigerorum, lubenti obſequio, & qua par eſt filiali pietate, non vero ſolo pœnarum metu.

Apertiſſimum igitur eſt populi & plebis eſſe in ariſtocratia, optimates amare quando tales ſunt, quales eſſe debent, uti paren-

rentes; & ſecum reputare diligenter, quod majori libertate gaudeant, ac qui monarchiæ ſubſunt, liberiorique acceſſu ad optimates gaudeant, quam in monarchia. Pro quo beneficio Dei habent, cur amantiſſimi ſint & gratiſſimi erga optimates, curque viciſſim exacto promtoque obſequii cultu eorum reſpondeant curæ paternæ, & avertere ab ipſis nitantur, quidquid moleſtum adverſumque ipſis accidere poſſet, quoad vires ſuppetunt. Sic *Contarenus Lib. V. p. 88.* laudat populum Venetum, libenti animo nobilitati parentem, neque ullam rerum mutationem optantem, quin potius egregie ſit affectus erga nobiles. Quod ibi peculiari comprobat ſpecimine, quo populus Venetus in ſumma rerum anguſtia, fuſo jam ab hoſtibus exercitu Veneto a Pontifice romano Gallis & Germanis, omnis ſe ſponte obtulit ad reip. defenſionem, eamque re ipſa præſtitit. Quæ diſtinctius ibi expoſita evolvat & perluſtret, cui illa arrident.

§. 661.

Cavendum ſimul, ne populus ſit otioſus, neve in ſodalitatibus aut conventiculis ſuis quidquam contra leges moliri poſſit. Cum enim in magna populi multitudine facile dentur quædam ingenia prava, ambitioſa & turbulenta, qui ut in populo eminere videantur demagogos agere ſtudent (§. 532.). Ne illiusmodi turbines facile turbas dent, & populum diſcordiis in diverſas ſcindant partes, vel calumniis odio erga optimates incendant; utique ſeveris legibus, rigoroſisque pœnis, & cenſorio magiſtratu, illis æque in ariſtocratia ac in democratia eſt obviam eundum (§. 593.), non neglectis remediis a morali doctrina petendis (§. 594.). Præterea vero & propiores adimendæ illis occaſiones, quibus virus ſuum concipere & latius ſpargere ad inficiendos alios poſſent. Harum in numero ſunt otium, quo homines nihil agendo male agere incipiunt & ab aliis diſcunt; ſodalitates earumque conventus juſto liberiores, & vel legibus ſolutæ, vel adverſæ; & conventicula privata nu-

Cavendum populi otium & res novandi ſtudium.

merosa atque suspecta, præsertim si nocturna sint. Quapropter legibus cavendum est severis, ne populus otio diffluat, sed suis vacet laboribus, aut ferians publice doceatur bonos mores, censorio judicio in secus facientes inspiciente animadvertenteque. Pariter tribus sodalitatesque suis circumscribendæ sunt legibus ad salutem publicam & tribus attemperatis; & ephoro subjiciendæ fidissimo, vel præfectis fide jurata obstrictis ad denuntiandum, si quidquam ipsis videatur suspectum. Perplurium denique privata conventicula inprimis nocturna, quocunque vel pietatis exercendæ obtentu instituantur, damnanda plane & punienda sunt, pro gradu culpæ vel malitiæ sese exserentis. Docuit enim experientia, pravitatem populi in his ad coquenda consilia periculosa, impia, factiosa, & ad conspirationes contra optimates progredi consuevisse.

Ad otium populi tollendum faciunt feriæ occupationes domi forisque ipsi obeundæ. Quem in finem optimatum est dispicere, si domi non sint, quæ agantur, quomodo publicis negotiis, salutis publicæ causa exantlandis, adhiberi possint v. c. muniментis struendis & reparandis, operibus publicis peragendis, exercitiis militaribus, quibus ad hostem propulsandum præparentur, aliisque generis hujusce. Perperam otiantibus & discordias serentibus censores pœnas irrogabunt promeritas. Opificum aliorumque sodalitates intra modum & limites sui negotii legibus ita coërceantur, ne quidquam contra aut præter illas arrogare sibi audeant: prout olim usus rerum optimus magister id edocuit & in civitatibus recepit. Conventicula privata, quo magis sunt insolita suspectaque, eo minus sunt permittenda, cum illa jure accenseantur parvis illis initiis leges infringendi, aut tectis legum & honestatis civilis insidiis, quibus mature fores occludendæ (§. 642.). Exempla plebis romanæ secessionum, occultorum colloquiorum, & cœtuum nocturnorum plura prostant, e quibus ad manum nunc est illud, quod habetur in *Livii Hist. L. II. c. 27. seq.* unde aperta seditio coorta, non-

nisi

nisi M. Valerio dictatore, populi gratia florente, creato sopita.

§. 662.

Adversus mala extrinsecus imminentia Aristocratiæ optimates omnia intus tuta habeant in summa prudentia, concordia, virtute civium, & omni ad defensionem apparatu. Mala extrinsecus Aristocratiæ impendentia ab aliis oriuntur civitatibus, æmulis aut hostilibus, prout omni ævo est compertum. Contra quæ ante omnia comparanda sunt, quæcunque in manibus habentur, nec eripi facile possunt. Hujus generis est optimatum prudentia, quanta adhiberi potest, ad eminus prævidenda & divinanda, quæ data rerum facie aliis esse possent, consilia nocendi Aristocratiæ, & ad instruenda omnia eum in modum, ut quomodocunque ista cadant, averti & propulsari possint (§. 465. *seqq. P. I. Ethic.*). Tum optimatum inter se (§. 647.), populi inter se, & optimatum populique concordia, quæ quantum discordia obesse, tantum prodesse adversus hostem externum potest. Uti generatim optimum felicitatis Aristocratiæ præsidium est in virtute civium Aristocratiæ (§. 610.): ita quoque adversus hostes civium virtus, rerum præsertim bellicarum peritia & fortitudo militaris, plurimum valebit, ceu semper valere consuevit. Denique cum ad defensionem fortiter suscipiendam plurimorum & armorum, & instrumentorum, commeatuum, numorum aliarumque rerum apparatus requiratur, quo pro re nata sit utendum: necesse est, ut is apparatus præsto sit, promique possit simul ac illo opus erit. Quæ omnia si large suppetant Aristocratiæ, omnia intus tuta, & ad defensionem parata erunt, ut reprimi vis externa valide possit.

Remedia adversus pericula externa.

§. 663.

Quatenus viribus hostium conjunctis impar foret Aristocratia, eatenus

Extus reme-

dia haben-tur in fœde-ribus. *eatenus opus est, ut fœderibus sibi prospiciat mature initis, aut ut plures Aristocratiæ vel resp. in unum corpus fœderatum coalescant.* Quoniam debiliores adjungere sibi debent alias civitates, unde habeant, quæ sibi desunt (§. 138.), & quo plures junguntur civitates, cæteris recte se habentibus, eo major sit earum potentia (§. 140.) eoque magis saluti suæ prospicere, & se mutuo adversus hostes tueri possunt (§. 141.). Quare cum civitates fœderatæ dicantur, quæ ad nonnulla tantum bona sibi invicem communicanda obligantur, v. c. ad mutuam defensionem contra hostes, a quibus impeti possent (§. 144. 146. *seqq.*): palam est, aristocratiam viribus hostium conjunctis imparem indigere fœderibus, quibus sibi auxilia comparet subsidiaque suffectura adversus conjunctas hostium vires. Quæ ut eo sint majora certioraque, possunt quoque, uti democratiæ plures (§. 598.), ita aristocratiæ aliæve Resp. arctius aliquanto consociari, & in unum veluti corpus fœderatum coalescere. De quo his similia valent, quæ de fœderatis democratiis ostendimus (§. 599.).

Oedipo non est opus, ad perspiciendum, quod de fœderibus democratiarum supra expositum est, pariter cadere in aristocratias: quum vel ipsa exempla allata doceant, fœderatas, quæ fuere, & sunt etiamnunc, respublicas, tam aristocratias complecti, quam democratias. Externa hæc mala, quæ Aristocratiæ metuenda sunt, aut belli metum inferunt, aut ipsum bellum. Vtrovis casu optimates sapienter uti poterunt. Monente enim *Aristotele L. V. Polit. c. 8.* resp. non tantum remotæ a periculo conservari possunt, sed & propinquæ eidem. Homines enim formidantes vigilantius intendunt animos ad reip. custodiam. Vnde optimates vel remotum periculum facientes propinquum calcar addunt civibus ad majorem cautionem. De ipso vero bello quæ attendenda sint, peti possunt ex iis, quæ disputata sunt superius §. 483-506. Superessent varii casus oligarchiæ, uti quando census, vel potentia, vel parentela, vel

vel gratia utcunque captata, citra virtutem respiciuntur & dein privati quæstus præcipua ratio dicitur, quos ut faciles judicatu transimus.

POLITICAE P. I.
CAPUT IX.
DE
CONSTITVTIONE MONARCHIÆ.

§. 664.

Prima Monarchiæ origo haberi potest in longævo communi stipite suorum posterorum in statu naturali degentium. Licet enim patria potestas cesset postquam liberi eo perducti sunt, ut sibimet ipsis prospicere & se ipsos bene regere possint; ideoque filii emancipentur (§. 776. *ibid.*), filiæ vero rite nubant (§. 780. *ibid.*): manent tamen liberi per omnem ætatem suam obstricti ad ea parentibus suis officia præstanda, quæ maximis benefactoribus post Deum debentur (§. 804. *ibid.*) & per omnem vitam suam studere debent in omnibus actionibus suis, ut placeant parentibus, & ne quid faciant, quod ipsorum voluntati sit adversum (§ 805. *ibid.*). Præterea parentum est, operam dare pro virili, ut liberi ipsorum evadant fortunati (§. 732. *ibid.*) & ut ipsorum felicitatem promoveant per omnem vitam suam, atque postremo per patrimonium ipsis relictum (§ 975. *ibid.*). Quod dum boni parentes, virtutibus mentis voluntatisque præstantes, lubenter & ex asse faciunt; utique meliores optare & nancisci nequeunt salutis suæ communis custodes statoresque. Inde quamdiu ambo parentes supersunt, amboque illis optime consulunt, veluti sub opti-

Monarchiæ origo prima.

matibus degunt, quibus pares nusquam reperire poſſunt, quique actu & re vera ſint parentes ſimul & rectores communis ſalutis. Mortua autem matre, ſuperſtite gaudent optimo & patre & monarcha, quod & mortuo patre de ſimili matre dicendum foret. Hanc ergo monarchiæ originem ſpectare licet tanquam primam, & ab ipſa natura ſubminiſtratam ſic, ut exemplum eſſet ejus officii, quod cuilibet Monarchæ incumbit.

Iſocrates in Panethan. priusquam, inquit, democratiæ & oligarchiæ nomen notum erat, barbaricæ gentes omnesque Græciæ civitates regibus parebant. Quod confirmat *Ariſtoteles L. I. Polit. c. 2.* hiſce verbis: πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη h. e. primum ſub regibus erant civitates (Græciæ) & ſunt etiam nunc gentes. - - Et Deos etiam cuncti autumant regem habere, quoniam ipſi partim nunc partim antiquitus regibus parebant. Illuſtrare licet hanc originem e ſacris literis. Adamus vivendo explebat 930 annos, numeroſiſſimam habens progeniem, cui tanquam commune caput procul dubio præfuit, & cui liberi, nepotes, cæterique deſcendentes libenter obſecuti eſſe videntur, tanquam optimo patri expertiſſimoque, ſi de cæteris imaginis divinæ reliquiis nihil addere lubet. Neque erat quidquam naturæ convenientius tum temporis, quam ut qui antea ſub eodem patrefamilias, tanquam rege *Geneſ.* III. 16. fuerant, etiam poſtea eundem optimum ducem ſponte ſequerentur, ut regem ſuum. In Noachi poſteris ſimilis potuit dari caſus ſaltem dum viveret Noachus. Neque poſt ea deeſſe potuerunt pares caſus, ut vel migrantes ſub communi ſtirpe in alias regiones concederent, vel in vaſtam terram aut inſulam delati, ſeniori progenitorum in communi bono provehendo obedirent. Concinit *Polybius Hiſt. L. VI. c. 2.* cui prima ſine ulla arte & naturæ impetu conſtitui dicitur Monarchia. & *Juſtinus* ita exorſus: principio rerum, gentium nationumque omnium imperium penes reges erat. Hinc regna in oriente frequentiora manſere, manentque hodie, ut *Tacitus L. IV. Hiſt. c. 17.*

c. 17. recte dicat suetum regibus orientem. In Græcia vero postea invaluere resp. ut pæne ducentæ earum Aristotelis ævo numerarentur, quod etiam de Britannia, Gallia & Germania olim dici potuit, ut *Lucanus Lib. 7.* libertatem Germanum Scythicumque bonum vocaret. Cæterum hic sufficit nobis, ita monarchias oriri potuisse, si quis contendere vellet, eas ita non esse primitus ortas, quod de Græcia statuit *Dionysius Antiq. Rom. L. V.* a principio omnibus Græciæ civitatibus sui erant reges, nisi quod illi non barbarica licentia, sed juxta leges & mores patrios regnum exercebant. Addantur reges a Mose in Pentateucho recensiti, & in sequentibus sacræ historiæ Libris.

§. 665.

Altera ex virtutum eminentia.

Si unus adeo excellat virtutibus, ut nemo alius ipsi sit æquiparandus, in hunc jure a populo transferetur imperium summum. Si quis unus omnium maxime virtutibus antecellat, is summo imperio est dignissimus, haud secus ac optimates in Aristocratia (§. 603.). Hinc populus, cupiens optimam reip. suæ administrationem, conscius ipsius virtutum sponte sua ad illum deferre malet summum imperium, quam ad alium ullum, eaque in re nihil faciet ab officio suo alienum (§ 294.). Quamobrem si unus adeo virtutibus civilibus excellat, ut nemo alius ipsi sit æquiparandus, in hunc summum imperium a populo jure optimo transferetur.

Conferantur notata ad §. 294. & 601. Huic virtutibus præstantissimo injuriam fieri, ait *Aristoteles L. III. Polit. c. 13.*, si tantum par aliis censeatur, cum existimandum sit, illum in hominibus tanquam Deum esse. - - - Inde negat, illum esse aliis subjiciendum, potius naturam ejus ita esse comparatam, ut omnes sponte sua illi parere debeant. Quibus verbis innuit obligationem populi naturalem, id, quod melius est, aliis præferendi (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*). Sic Abdolonymus virtutis causa si donum rex est constitutus, apud *Curtium Lib. IV. c. 1.* &c. Facile autem liquet, si populus semper velit sibi

Qqqq 2 præesse

præesse eum, quem judicat optimum, monarchiam nasci populi perpetuo jure eligendi nixam.

§. 666.

Tertia ex beneficiis singularibus.

Si quis meritis beneficiisque populum ita sibi devinxit, ut ab eo plurima in summo imperio sperare possit, is licite monarcha constituetur. Par enim est, in transferendo in quemquam imperio summo meritorum e virtutibus profectorum, & beneficiorum insignium in populum collatorum rationem haberi, inprimis si tanta sint, ut in summo imperio plurimum ab eo sperari possit (§. 665.). Quare in talem summum imperium transferri, rationi consentaneum est & officio populi, monarcham constituturi (§. 294.).

Heroicis temporibus, dicit *Aristoteles L. III. Polit. c.14.* propter beneficia a patribus in populum collata, vel per artes, vel per bellum, aut adquisitionem regionis delatum eis fuit imperium de populorum voluntate. conf. *cap. 15. ibid.* Ita non inique ferebat populus romanus M. *Valerium*, dictatorem a senatu adversus se creatum, quum (P. *Valerii*, populi liberatoris) fratris lege provocationem haberet, nihil ex ea familia triste, nihil superbum timens. Cujus edictum animos in ea sententia plane confirmavit, ut & homini & potestati melius credi arbitrarentur, omissoque certamine nomina darent delectui, quo tantus, quantus nunquam antea, exercitus est comparatus. v. *Livius Hist. L. II. cap. 30.* Sic populus Israëliticus Davidem cooptabat regem, quia jam vivo Saule ipsos liberaverat eorumque dux fuerat *2 Sam. V. v. 2.* Sic Codrum & Cyrum in hunc censum refert *Stagirita Lib. V. Polit. c. 10.*

§. 667.

4) potentia & felicitas in bellis.

Neque minus potentia interdum & felicitas in bellis gerendis invitare populum potest ad eum sibi monarcham eligendum. Quo quis est potentior, eo plus potest aliis prodesse, in primis in arcendis ipsorum hostibus, quibus per se sunt impares (§. 100. & 114.).

114.). Quare cum necessaria in casu proposito sit major adversus hostes potentia, recte eligere populus sibi potest regem, cujus potentia par sit ipsi tuendo, & qui ad hoc ipsum obligatur (§. 145.). Si vero non tam impar sit populus hosti, quam destitutus perito, strenuo ac felici in bellis duce, quin in hoc casu & ducem & monarcham sibi illum eligere possit, nullum est dubium (§. 627.).

Posteriori classi accensendus est Jephtha, quem Gileaditæ populares eligebant ducem in bello adversus Ammonitas *Jud. XI. 1. 6. seqq.* Docuit enim sæpius experientia, plurimum momenti in belli duce esse positum, uti *Nepos Epaminondæ* vitam sic finit: Thebas & ante Epaminondam natum & post ejusdem interitum, perpetuo alieno paruisse imperio; contra eas, quamdiu ille præfuerit reip. caput fuisse totius Græciæ. Ex quo intelligi possit, unum hominem pluris, quam civitatem fuisse. Similia fere dici possent de Alcibiade, Thrasybulo & Eumene. Potentiorum electiones regiæ prostant tam copiosæ, ut commemoratione nulla indigeant. De quibus *Polybius Hist. Lib. VI. c. 3.* narrat. Vbi hominum multitudo propagata est, more cæterorum animalium congregantur propter naturæ infirmitatem, & tum necesse est, ut qui robore corporis & præsentia animi atque audacia præstat cæteris, imperium in cæteros obtineat. Quod ipsum in aliis quoque animalibus, quæ non opinionibus adventitiis sed unius naturæ instinctu ducuntur, cum cernimus usu venire, naturæ id esse opus certissimum, credere debemus. Nam & in illis ducum officio sine controversia robustissimos quosque fungi videmus, puta tauros, apros, gallos gallinaceos &c. Principio quidem hujusmodi & hominum fuisse vitam, credibile est, dum communi animantium ritu in unum gregem coëunt, & fortissimos ac valentissimos sequuntur. Hi robore metiuntur imperium, quod jure appelles unius dominationem. Similem fere in modum *Seneca de clement. Lib. I. cap. 19.* inculcans in summa potestate clementiam nulli noxiam; errorem immiscet, dum sic pergit: natura enim commenta est

regem, quod ex aliis animalibus licet cognoſcere & ex apibus, quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medioque ac tutiſſimo loco. Præterea onere vacat, exactor alienorum operum - - inſignis illi forma eſt, diſſimilis cæteris - - - rex ipſe ſine aculeo eſt.„ Quæ ipſa comparatio inſinuat, quid de confuſa & bruta origine ex ſola potentia habendum ſit.

§. 668.

Derivatio Monarchiæ ex Ariſtocratia ſucceſſoria.

Si Ariſtocratia ſit ſucceſſoria, reliquis usque ad unum ſine prole demortuis, oritur monarchia ex ipſa conſtitutione Ariſtocratiæ hujus. Eſt enim Ariſtocratia ſucceſſoria, ubi in loca decedentium ſuccedunt certa lege alii, veluti ſi nulli, niſi e certis familiis nato, locus inter optimates obtingat poſtquam ſui juris eſt factus, ſive eo ordine, qui ad eundem optimatum numerum retinendum legibus eſt definitus, ſive promiſcue omnes ex iſtis familiis nati idonei, quando numerus eorum augeri poteſt & minui (§. 218. *P VIII. Jur. nat.*). In hac forma Ariſtocratiæ contingere poteſt, ut ſive peſte quadam aliove contagio, ſive ſterilitate matrimoniorum, ſive alia mortalitatis inſolita vel vulgari ratione, maſculi ex optimatibus legitime nati usque ad unum e vita excedant. Quo facto unus optimatum ſuperſtes, recepta lege hujus formæ, ſummo jure imperii ſolus gaudebit, & ſi lex nulla obſtet, ipſo hoc caſu ex ſucceſſionis lege in Ariſtocratia Monarcha fiet & eſſe debet. Si lex hujus Ariſtocratiæ in tali caſu ſtatuit, quando ejus filii in ſuam tutelam pervenerint, eos in locum optimatum eſſe admittendos, ille Monarcha erit, quamdiu filii ipſius ſunt ſub patria poteſtate. Si autem lex nihil definivit, nec populo reſervavit jus tum alios conſtituendi optimates, nec promiſcua obtinet filiorum ſucceſſio, in arbitrio monarchæ erit, utrum velit monarchiam continuari, præſertim, ſi non niſi unum inter filios ſummo imperio dignum deprehendat; an reſtitue-

re

re per filios Ariſtocratiam malit, ubi id conſultius fere animadvertit.

§. 669.

Nec defuere, qui potentia abuſi ſcelerate aut fraudulenter ſubigerent civitates ſeque ipſis obtruderent reges. Syracuſis, metropoli Siciliæ, libera primitus Corinthiorum Colonia, Regem ſe conſtituit Gelon, opem rogatus & cum exercitu in urbem receptus. Poſt recuperatam libertatem Dionyſius, vir vaferrimi ingenii, ſimulator egregius dementata plebe, corporisque ſui cuſtodia valida impetrata, tyrannidem invaſit, oppreſſa libertate & arce cervici civitatis impoſita. Poſt mortem Timoleontis, qui urbi libertatem reddiderat, Agathocles, e figulina officina abiens corporis ſpecie egregius, robore validus, ingenio acris divites primum nuptias feminæ Syracuſanæ iniit. Tum miles factus per gradus ad præfecturam Chiliarchæ adſcendit, conſilio & manu promtus, gloriæ & potentius avidus, militum ſibi devinciendorum mirus artifex. Deinde populo ſe plurimum commendavit, ſimulans ſerium ſtudium democratiæ, ut præfectus armorum ſimul & pacis cuſtos deſignaretur. Maxime ſibi obſtare videns ſenatum ſexcentorum, ei opprimendo omnes curas intendit, rumore tumultus a conjuratis ſubjecto utens ad militum numerum augendum. Factioſiſſimis enim ſuique ſtudioſiſſimis adſcitis, vocavit ad ſe 42 in ſynedrio eminentes, quaſi de rep. cum ipſis deliberaturus, quos poſtquam advenerant ſtatim inſidiarum ſibi paratarum inſimulavit, comprehendique a militibus juſſit, conqueſtus in eorum cœtu de periculo capitis ſui, & mentitus, hos eſſe miſſos ad ſe abducendum ad 600. Qua oratione vulgo militum commoto & ſine mora vindictam poſtulante, ſigna canere, hos ut ſontes trucidari, & res ſexcentorum, omniumque qui cum ipſis facerent, in prædam verti

Interdum & ſceleribus vi ac fraudibus.

præ-

præcepit. Tum licentiæ ac sceleri militum laxatis habenis, promiscuis cædibus, aliisque diris facinoribus tota urbs repleta, non tantum ab Agathocle notati, sed & alii, sive locupletes, sive alioqui militibus displicentes, trucidati, domus effractæ, stupra palam patrata, nullum injuriæ & contumeliæ genus omissum, opes omnes direptæ sunt, ut supra 4000 civium innocentium interimerentur, fugaque evaserint plures quam sexies mille. Vid. *Emmius in descript. reip. Syracus.* Tot exempla unius civitatis otium nobis faciunt, a plurimis aliis, quæ in *Aristotelis Politica* & alibi memoriæ prodita habentur, recensendis.

Primum facile inter eos, qui violenter ad monarchiam adspirarunt, offerunt nobis Mosis commentarii in Nimrido, qui fortis fertur fuisse venator, initium regni constituens Babylonem. *Genes.* X. 9. *seqq.*

§. 670.

An etiam barbaries & ignavia. *Forsan & barbaries atque ignavia quorundam populorum eos ad admittendam tolerandamque Monarchiam induxit.* Prouti naturaliter ignoti nulla est cupido (§. 588. *Psychol. empir.*) ita & meliora appeti nequeunt, si ignorentur. Quare si barbaries populi meliora ignorat, si ignavia a cultura mentis & corporis abhorret; nec appetere illa potest, quæ solitis moribus & institutis præstarent, nec in eam curam feretur, ut se ad rectiora discenda applicet & dedat. Contentus igitur erit populus barbarus & ignavus vel tyrannico jugo, cui ferendo est adsuetus, inprimis si accedens superstitio alat suffulciatque avitos ritus.

Notavit hoc *Aristoteles L. III. Polit. c.* 14. Est & alia monarchiæ species, qualia sunt apud quosdam barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet sint secundum ipsorum legem & morem parta. Ob id enim, quia magis aptæ sunt natura ad serviendum nationes barbarorum, quam græcorum & eorum,

eorum, qui accolunt Asiam, quam eorum, qui Europam, perferunt servile jugum animo æquo. Atque ob hoc tyrannica sunt hujusmodi regna, sed habent securitatem, quia more & legibus consistunt. Ea de causa custodiam habent regiam a civibus, nec invitis dominantur. Num vel violenta illa, vel hæc partim vi, partim ruditate & ignavia nitens dominatio in se legi naturæ conveniat, & homines deceat, facile per se judicabit, rerum illiusmodi haud ignarus.

§. 671.

Quid monarchia voluntaria & involuntaria.

Generatim igitur Monarchiæ origo ratione populi vel est *voluntaria*, vel *non voluntaria* seu *invita*. Illa libero nascitur populi consensu, vel propensa populi voluntate constituitur. Hæc præter populi voluntatem oboritur, ideoque populus mallet ab ea immunis esse. Vti in illa populi & monarchæ voluntas consentit in constituenda monarchia: sic in hac dissensus datur populi & monarchæ, quo hic vult potiri monarchia, & totus eo enititur, ille autem non vult idem, sed potius detrectat ejus imperium, quantum potest, & si nequeat ipsum amoliri, non nisi invitus jugum subit. Voluntaria Monarchia vel nititur consensione, ex distincta cognitione oriunda; vel tantum ex confusa cognitione & ignorantia meliorum. Prior *plene voluntaria* est, seu liberrima, & si legi divinæ respondet, legitima. Posterior *utcunque voluntaria*, nec satis libera, sed barbarica dici meretur (§. 670.). Quæ præter populi voluntatem oritur, ea vel justo nititur bello, quo victi victoris imperio vel inviti subjiciuntur, & sic legitima dici meretur (§. 592. & 597. *Oecon.*); vel mera violentia & robore superiori, & sic injusta ejus est origo, & violenta erit dicenda (§. 669.). Emendabitur vitiosa origo, si pacto rite inito consensus accedat, & recte omnia constituantur administrenturque.

De spontaneis hæc *Cicero* protulit *L. II. offic.* subjiciunt se homines

mines imperio & poteſtati alterius pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe ſibi id utile futurum, aut metu ne vi parere cogantur aut ſpe largitionis promiſſionibusque capti, aut poſtremo mercede conducti. conf. *Ariſtot. L. V. Polit. cap. 10.* Vti in aliis factis illicitis emendationi locus eſt relinquendus, qua reparatur damnum antea datum, & ſancita amneſtia oblivio recipitur prave factorum: ita quoque ſi quis turpiter violenterque thronum occupavit, inita pace pacta ſunt ſervanda, & primordii vitia majoribus obliteranda benefactis. Ita Agathocles concione civium convocata ſimulavit, ſe, purgata civitate a caterva hominum affectantium dominatum, integram illibatamque libertatem populo traditurum, defunctumque laboribus & periculis, vitæ privatæ ſemet redditurum, ac cuivis e populo parem futurum. Simul detracto ſibi & conſciſſo paludamento, veſteque communi ſumta, abire cœpit. Sed prohibitus a multitudine, cujus voluntas ipſi ignota non erat, utpote quam conſiliorum patratorumque ſcelerum participem habebat, & retinere poteſtatem rogatus, ſic demum aſſenſit, ſi ſine collegis imperium ſibi tenere liceret: grave enim ſibi fore, eorum, quæ collegæ committerent, id quod lex jubet, rationem reddere. Cui cum adſtipulata eſſet concio, confeſtim deſignatus fuit prætor *αὐτοκράτωρ*. A quo tempore curis omnibus reip. in ſe receptis dominatum tenuit, aliis præ metu neceſſitati parentibus, aliis mutatione ipſa lætis, multis, qui tenui in re erant, largitionum ſpe adquieſcentibus. Nam in concione novas tabulas diſpungendorum nominum & agrorum diviſionem promiſerat. His ita conſtitutis, velut repente mutatus, miſſis cædibus & injuriis, benignum ac facilem ſe omnibus dedit, multos beneficiis, alios promiſſis ſibi devinciens, humanus, affabilis, in tanta potentia nec diadema ſumens, nec cuſtodia corporis more aliorum ſe muniens. Plura, quæ ſequuntur, legi poterunt in *Emmio loc. cit.* p. 233. Facile hic recordabuntur lectores C. Jul. Cæſaris, Cromvelli, aliorumque vel hoc ſæculo in Perſia ſimilium.

§. 672.

Monarchia vel genus notat, vel speciem honestam.

Solet autem *Monarchia* vel *latius* usurpari, pro toto genere illius reip. cujus summum imperium est penes unum; vel *strictius* pro Monarchia legitima, quæ communi saluti debitam navat operam, & illegitimæ vitiosæque opponitur, quæ neglecta salute publica privatæ tantum studet imperantis utilitati, gloriæ, libidinique (§. 299.). Sæpius absolutam designat monarchiam (§. 292.).

Nihil hic novi affertur, quum idem illud iam Aristotelis ævo usitatum fuerit. *Libro* nempe *III. Polit. c.7.* vocat Monarchiam & regnum & tyrannidem. Inde *Lib. I. Rhetor. c. 8.* ait: monarchia est secundum nomen, in qua unus omnibus imperat (εν ῄ εἱς ἁπαντων κυριος εςι). Hoc sensu latinis monarchia foret principatus, vel ut *Cornel. Nepos* vertit, singulare imperium. Eodem modo supra vidimus oligarchiam pro genere adhiberi. Quoniam genus est monarchia, relinquitur, si illa corruptioni & tyrannidi opponitur, eam honesto sensu usurpari pro genuina ac legitima Monarchia, cui corrupta velut spuria dissimilis est. Ita *Aristoteles Lib. V. Polit. c. 10.* infit: restat, ut nunc veniamus ad ea, quibus monarchia vel corrumpitur, vel per quæ servari queat. Spectatur igitur ut incorrupta in se, sed quæ corrumpi, & a corruptione liberari potest. Hoc sensu Ciceroni audit regius principatus. *Polybius Hist. L. 6. cap. 1.* discernit Monarchiam tyrannidem & regnum, nec omnem unius dominationem regnum dici posse contendit.

§. 673.

Quæ monarchia sit masculina, quæ feminina?

Monarchia vocatur *masculina*, cui non nisi mas præesse potest; *feminina* cui etiam femina præesse potest per leges cardinales. Qui Monarchiæ masculinæ præest, vocatur jam *Aeschylo*, *Platoni*, *Aristoteli*, *Polybio*, &c. Monarchus (μοναρχος) vel Monarcha (μοναρχης). Femina, quæ Monarchiæ præest, Monarcha compellatur. Uti Monarcha utrique sexui applicatur:

ita & princeps latinorum de maribus pariter ac de feminis dicitur.

Potuisset græcis femina, quæ sola gubernat, dici μοναρχὶς, uti προφῆτις ipsis arrisit. Sed ignoro, an cuiquam in mentem venerit, ita nominare dominam singularem. Dominus enim Monarcha ab iis, qui ipsi subsunt, appellari dudum consuevit. De regina & imperatrice mox dicetur.

§. 674.

Quid sit regnum & Rex? Quia regnum ea dicitur reip. forma, in qua imperium sive plenum absolutum ac summum sive quomodocunque limitatum aut deminutum penes unum est, modo nulli extraneo competat aliquod jus in actus imperii; & persona, penes quam in regno imperium est, rex vocatur (§. 139 P. VIII. *Jur. Nat.*): patet, *regnum* brevius dici posse monarchiam nulli extraneo obnoxiam, vel principatum sui juris, suisve stantem viribus; ideoque *regem* esse Monarcham vel principem sui Juris, vel imperii extrinsecus liberrimi. Unde &, quid regina sit, penes quam summa imperii est, perspici clare potest. Neque minus inde patet, quodnam regnum sit masculinum, quod simul femininum (§. 673).

Videtur *Aristoteles* regnum aliter definire, quando *Lib. III. Polit. Cap.* 7. scribit regnum est monarchia ad communem utilitatem comparata (πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἀποβλέπουσα). Quapropter *Lib. V. Pol. Cap.* 10. ait, non fiunt nunc amplius Regna, sed si quæ fiunt, monarchiæ & tyrannides magis sunt. Ast qui attentius considerat mentem Aristotelis, is protinus perspiciet eum non sistere nobis nisi vel monarchiam legitimam, qualem supra exhibuimus (§. 292), vel regnum absolutum, nec legibus humanis limitatum. Cujusmodi regna tamen & ipsius ævo dabantur, & dantur etiam nunc non pauca. Quare illius definitio ita amplianda fuit, ut usui loquendi recepto responderet, neque opus esset fingendis monstris politicis, ubi nulla sunt, si

rem recte pensitemus. Enimvero ad hoc consequendum necesse fuit, ut regna quoque limitata, quæ non minus regnorum nomine inter omnes veniunt, ac absoluta, definitio complecteretur. Opus quoque fuit, ut regnorum tributariorum non oblivisceremur, quorum in antiqua historia perplura occurrunt exempla, etiam in sacris paginis, quæ ideo regnorum encomio & jure non exciderunt. Fuit nempe illud pactum, quo ad pensionem annuam pari fere ratione obstringebantur, atque ex fœdere rex alius alii subsidium ex pacto solvit, citra ullam subjectionem, ideoque salvo summo, quo gaudet, imperio. Cæterum uti a Cajo Jul. Cæsare ipsius Successores dicti sunt Cæsares, ita inter Ægyptios reges olim dicti fuere Pharaones, postea Ptolomæi; Parthorum reges Arsacidæ, Polonorum indigenæ Piasti, Turcarum Ottomanni, & Sultani, Indorum Padschahi, Tartarorum Chani, Persarum Schachi, Sophi &c.

§. 675.

Eo quod imperium infeudari potest (§. 98. P. VIII. *Jur. nat.*), & imperium infeudatum esse potest absolutum, plenum ac summum, licet habeatur minus plene (§. 100. *ibid.*), modo domino directo nihil juris tribuatur in actus imperii (§. 101. *ibid.*): Manifestum est, posse quoque monarchiam, regnum vel principatum alii monarchæ jure feudi ita submitti, ut usus imperii summi maneat liberrimus, nec desinat esse rex, qui regni sui dominium directum sub lege mutuæ fidelitatis in alterius Monarchæ clientelam dedit. Patet igitur, *regem clientem imperio extrinsecus liberrimo gaudere posse, nec per se majestate summa carere.* *Regnum fiduciarium potest esse summum.*

Equis ignorat, quot reges olim fuerint in clientela imperii romani? Et cui ignotum est, etiam nunc esse regnum Bohemiæ imperii romano germanici feudum, & simul principatum electorem. Regnum neapolitanum quotannis reveretur dominium directum summi Pontificis. Hunc casum autem nefas foret con-

fundere cum altero, quo regnum ita alteri civitati ſubjicitur, ut vel ex toto, vel ex parte actus imperii alterius civitatis arbitrio ſubjiciantur. Sic Regnum Cypri Reip. Venetæ, & Corſicanum reip. Genuenſi fuit ſubjectum.

§. 676.

De gradibus monarcharum ſecularium.

Principes vel monarchæ ſeculares velut gradibus quibusdam diſcerni conſueverunt, ita ut primo loco inter eos cenſeatur imperator, qui & Cæſar dici conſuevit; ſecundo loco habeantur reges; tertio Principes electores; quarto loco principes ducesque magni & Archiduces; quinto loco principes & duces; ſexto loco Palatini, Landgrafii, Marchiones, Comites principum ordini annexi, (geſürſtete Grafen) Burggrabii, Comites, ſeptimo loco barones &c.; & octavo dynaſtæ. Quanquam illa ordinis ratio ſuas patitur exceptiones v. c. dum Palatini, Marchiones &c. ſimul ſunt electores imperatoris; vel dum Caſtellanus non niſi aliquid Jurisdictionis ſuperioris in urbe aut caſtro obtinet, vel nudus titulus Marchionis vel Comitis palatini adeſt. Multum quidem in his ab uſu recepto, ideoque ab arbitrio humano & cæterorum principum conſenſu in titulum dependet, nec erraverit, qui omnia hæc arbitratui rectorum civitatis deberi ſtatuet. (§. 244 *ſeqq. Jur. Gent.)*. Quatenus tamen quidam ordo graduum Monarchiæ & certus nominum titulorumque ſignificatus receptus eſt, eatenus illi erit inhærendum, nequis temere ſibi quidquam arroget (§. 248. *ibid.*). Quibus admiſſis, imperatores veteres pariter ac recentiores non tantum plura poſſediſſe & poſſidere regna, ſed & regibus ſibi ſubjectis, multo magis reliquis, præeſſe deprehenduntur (§. 675). Pari modo Reges principes habent ſibi ſubjectos & duces &c.; principes vero comites habent vaſallos; comites viciſſim barones; & barones dynaſtas. Quæ ſi tantum ſæpius ita ſe habent, quam non habent, exce-

exceptionibus suus manebit locus. Perpetua enim & constans adest ordinis ratio, si major gradus includit minorem, sed non vice versa minor majorem in utroque sexu.

Hi gradus quoniam non ubivis sunt iidem, ac alibi aliis aliisque nominibus discernuntur: respiciendum erit in dato loco ad id, quod usu est receptum; quod patebit, partim ex ordine, quo per se alius alium antecedit in comitiis congressibusque solemnibus, partim ex eo progressu, quo a minori gradu ad ulteriores adscendi solet. Regum Tituli docent & inferiores gradus cum superioribus sæpe conjungi.

§. 677.

De Ecclesiasticorum gradibus.

Ecclesiasti ordinis principes simili graduum discrimine gaudent. Quemadmodum v. c. Romanæ religionis principatuum primum locum obtinet Pontifex romanus, a quo proximi sunt ipsius electores purpurati, vulgo cardinales dicti, amplum conficientes collegium consiliariorum, suis quoque gradibus distinctum. Tum sequuntur primates, ubi quidam electores ecclesiastici in Germania, &c. Archiepiscopi, Magistri generalis ordinis Teutonici episcopi, abbates & prælati principum elogio decorati, (gefürstete Aebte) tum reliqui prælati & abbates, archimandritæ, abbatissæ &c.

Non agitur hic de recensendis omnibus graduum ecclesiasticorum discriminibus, quæ peculiaribus libris enarrata sunt. Obiter enim ista tantum hic attinguntur, quatenus etiam in Europæ regnis & imperio romano germanico ciuilis imperii sunt participes, secularibusque ordinibus adjunguntur. Quæ cum pro regnorum institutis aliter aliterque definita reperiantur, idem hypomnema hic attendendum erit, quod §pho. præcedenti subjectum est. Neque hic locus est disputandi de juribus loci eorum inter seculares, quæ ex pactis & moribus receptis aliisque fontibus repetenda sunt, reip., de qua agitur, propriis congruentibusque.

§. 678.

§. 678.

De sociis regni secundariis.

Si plures in Societatem regni admittantur, regnum manebit unicum sub specie polyarchiæ, quando illi tantum in societatem administrationis, in spem successionis, in artem regnandi discendam, & ad Monarchæ vero adstipulandum adhibentur. Variis modis contingere potest, & data opera res ita institui, ut unum idemque regnum pluribus fiat commune, ideoque communio regni oriatur (συναρχία). Est enim illa communio societasque imperii summi in eodem regno. (§. 140. *P. VIII. Jur. nat.*). Possunt fratres nonnulli simul imperare seu parentum voluntate seu sua sponte; Potest regina maritum suum suscipere in Societatem imperii, ut is una cum ipsa imperet; Potest monarcha filium aut alium adsciscere in societatem imperii una cum ipso exercendi (*ibid.*). Denique & ipsa regina consors imperii vocari consuevit, uti materfamilias consors est œconomiæ & imperii domestici. Quoniam in monarchia imperium summum penes unum est, qui illo tantum valet, quantum populus in democratia (§. 133. *ibid.*); Monarchia vero notat regnum absolutum: in regno absoluto rex tantum valet, quantum populus in democratia, ideoque summo absolutoque gaudet imperio. Si quis ergo monarcha collegam imperii adsciscit, manebit is rex absolutus, si collegæ tantum in administratione imperii ipsi consilio & opere adesse obligentur, ipse vero de summa rerum statuere possit, quidquid religio conscientiæ præferendum esse dictat. Quapropter si collegæ imperii tantum in societatem administrationis adsciscuntur, ut ipsum regem sublevent, hoc, excepto Nomine honorificentiore, idem est, ac si eos constituisset ministros summos aut Magistratus in imperio suo. Par est ratio, si eos tantum in spem certi successoris aut certorum successorum, uti filios adoptivos, allegisset; aut si tantum velit, ut artem regnandi ipso usu & exem-

plis

plis addiſcant, quod pariter in filiis Regiis locum haberet. Neque ſecus res habet, ſi collegæ ſolum ad vero regi adſtipulandum, & ad decreta exſequenda adhibeantur. In omnibus enim hiſce modus adminiſtrandi eſt communis & nihilo ſecius ab eo ſolo dependet, qui collegas in quandam ſocietatem admiſit, ferendi principes adminiſtros, aut ſecundarios ſocios vel conſortes.

Ne exempla deſiderentur, ponamus Marcum Aurel. Antoninum Philoſophum, & Lucium Verum in ſocietatem imperii adſcitum. Hi duo pariter Auguſti, primi ſimul remp. Romanam gubernarunt fulgentes pari majeſtate, teſte *Ammiano Marcellino Lib.* 27. *Julius* tamen *Capitolinus in vita Veri cap.* 1. notat, Verum vixiſſe deinde non in ſuo libero principatu, ſed *ſub Marco* in ſimili ac paris majeſtatis imperio". En dyarchiam ſive Duumviratum in eodem imperio Romano? Cui ſimillimus eſt Valentiniani & fratris Valentis, de quibus *Themiſtius Oratione* 6. Et fratrem natura fuiſſe Valentinianum Valentis, & ſimul voluntate patrem, quia quod acceperat imperium integrum cum ipſo integrum communicarat. Licet vero ipſi æqualem donarit autoritatem, ipſum tamen eamdem integram retinuiſſe propter obſequium (δι' ευπειθειαν) eius, quem illius fecerat participem (τε κοινωνησαντος). Non abſimili ratione de Ænea & ſocero eius Latino refert *Solinus cap.* 8: tribusque mox annis cum Latino regnavit ſocia poteſtate. Omitto Macrinum, Maximinum, & Decium &c. cum ſuis filiis. Recentiora exempla vix opus erit afferre, cum ignota eſſe nequeant, uti Ulricæ, reginæ Sueciæ, Maritum Fridericum, in plenum regni conſortium cooptantis &c. M. Aurel. Carus, cum filiis Numeriano & Carino, Triumviros in imperio fecit. Plures collegas imperii ſequens ætas Romæ dedit. Quemadmodum Diocletianus Collegas habuit Maximianum, Galerium & Conſtantium, Cæſares, & tamen ipſius nutu omnia gereb ntur, teſte *Aurelio Victore in Cæſaribus.*

(*Wolfii Politicæ P.I. C.IX.*). Ssss §. 679.

§. 679.

De sociis regni primariis.

Duobus vel pluribus plene inter se concordantibus perfecta societas imperii subsistere potest; ob discordiam vero societas dissolvetur, aut perniciosa erit. Priori casu perfecta concordia vel amicitia faciet, ut una eorum sit mens & meta; ideoque haud secus, ac si una mens pluribus imperaret corporibus, vel ac si Monarcha esset bicorpor vel tricorpor, unum idemque tanquam unicus velint & imperent. Quare hoc casu sibi constare Monarchiam posse, cui collegæ tam concordes præsint, manifestum est, si nempe consortes ita virtutibus excellant, ut saltem in rebus publicis optimam, quæ profertur sententiam omnes illico suam faciant, denique exsequutioni.

Sin discordes sint, qui collegæ esse debebant idem spectantes, nec alter alteri cedere didicerit in rebus non adeo magni momenti, nihil aliud inde sequi poterit, quam ut vel dissolvatur societas, vel si nec in dissolutionem consentire velint, ut pernitiem suam & reip. grassentur. Nihil enim minus ex subnato odio & ambitione orietur, quam ut elatior solus omnia obtinere, cæterosque excludere ab imperio conetur, neque ideo fraudibus parcat & injuriis, quibus se putat ab illis liberatum iri.

Prioris casus exempla occurrent in regnis, quorum reges & reginæ tanta imperant concordia, ut unus tantum regnare videatur. Si Damonem & Pythiam, Orestem & Pyladem, Davidem & Jonathanem in societatem imperii venisse ponamus, dedissent & illi exempla hujus in regno amicitiæ. Forte Trajanum a Nerva adoptatum illis adjungere liceat. Oedipi filii Eteocles & Polynices de Regno Thebano inter se pacti erant, ut annuum regnum alternatim haberent. Sed prior exacto anno noluit fratri vices tradere. Unde bello impliciti mutuis confossi sunt vulneribus. Vid. *Euripid.* in *Phœniss.* Quid vero discordia efficiat, discimus ex Caracalla & Geta, quorum ille hunc pro-

probiorem se fratrem tandem turpi parricidio interemit, postquam Mater cum Amicis antea divisionem persuasisset, qua Bassianus Europam cæteraque meridiem spectantia; Geta autem Asiam & Orientem haberet propriam. Ut plurimum non satis concors fuit summa potentia ad plures simul pertinens. Unde *Statius 1. Thebaid.*

Jurisque secundi
Ambitus impatiens, & summo dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

Et *Seneca in Thyeste*: *socium ferre nec regna nec tædæ sciunt.* Neque *Lucanus Pharsal. L. I.* Romuli & Remi exemplum præteriit, sic canens:

Nulla fides regni sociis omnisque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
Tunc erat, exiguum dominos commisit asylum".

Quarum discordiarum contemplatio fecit, ut *Plinius Paneg. cap. 8.* diceret: nam quantulum refert, deponas, an partiaris imperium? nisi quod difficilius hoc est.

§. 680.

Quando illimitata maneat monarchia consortes admittens?

Quia summum plenumque imperium in rep. non est nisi unum atque individuum (§. 62. *P. VIII. Jur. nat.*), si illud in unum est translatum, videtur fieri non posse, ut salva monarchia cum alio communicetur. Sed quoniam rector civitatis, qui absolutum imperium habet, certum concilium constituere potest, sine cujus consensu vix quidquam in imperio agere velit (§. 79. *ibid.*), & tamen sic ejus imperium ne quidem limitatum efficitur (§. 80. *ibid.*): ita quoque *Collegam unum alterumve adsciscere sine limitatione summi imperii potest, satis declarando,*

collegæ vel collegis imperii se vivo nullum jus fore, se invito quidquam in imperio moliendi.

Distinguendum esse inter formam reip. eiusque administrationem supra ex Aristotele notavimus. Idem & hic usu venit. Potest monarcha esse impubes & imperium interim a tutoribus ipsius nomine geri. Potest Monarcha imperio absoluto gaudere, & tamen administrare illud per optimates senatus sanctoris, ut ipse velut præses sit sanctioris concilii. Potest his nomen amicorum, consiliariorum, sociorum regni dare, prout lubet, modo ipse præses vel caput maneat concilii, quo invito ab his nihil statui possit. Similis ratio igitur, ac principis ministri intimi, erit ejusmodi collegæ imperii, instar Josephi in Ægypto, quando is fuisset consors regni creatus. Externi honores collegarum possunt esse pares, salvo jure clientelæ & pietatis, dicta conditione nixæ. Sic Arsaces Parthorum rex, filium post egregia in bello contra Seleucum facta in societatem imperii assumsit. Vid. *Iustinus L. 41. c. 5.* Res quidem ipsa illam conditionem tacite insinuare videtur, præstat tamen, eamdem declarari, ne juri suo renuntiasse videatur collegam adsciscens.

§. 681.

Communio imperii ex parte limitata & illimitata. *Potest etiam imperium summum ab eligentibus ea lege in monarchia pluribus simul conferri, ut in aliis non nisi mutuo consensu optima sequantur, in aliis vero solus agat hic vel ille collega, quæ ipsi sunt assignata.* Etenim imperium summum varia complectitur jura, quæ a se invicem separari possunt, nec necessario eidem subjecto inesse debent (§. 61. *P. VIII. Jur. nat.*); & a populi voluntate, vel eorum, qui a populo jus eligendi habent, voluntate pendet, quomodo imperium in alium transferre lubeat (§. 36. *ibid.*) & quæ jura quave lege sint transferenda (§. 64. *ibid.*). Si imperium dividitur, pro qualibet parte potest esse summum (§. 65. *ibid.*); sin ejus exercitium consensu alterius indiget, limitatum eatenus est (§. 66. *ibid.*). Quapropter si conferen-

ferentes imperium, alia jura alii collegæ, quem earum rerum peritissimum judicant, soli assignant, is in illis absolute imperabit ut monarcha peculiaris. Si autem in aliis utriusque consensus requiratur, ut quando is haberi potest, neuter quidquam sine alterius saltem præsumto, quem vocant, assensu agere possit: ex parte communio imperii dabitur, ex alia parte divisio, citra Monarchiæ divisionem in plures minores.

Carus imperator filium Carinum, quem præter Numerianum consortem imperii creaverat, mire degenerantem, ne plane exhæredare cogeretur, Galliæ præfecit, ut eum ab oculis & consortio removeret. Maximum vero & Balbinum senatus Romanus imperatorem creaturus, simul principes fecit, ut Salini consilio unus res domesticas, alter bellicas curaret. Illum enim dixit in re militari tantum, ut nobilitatem generis splendore virtutis allexerit; hunc nobilitate ita clarum, ut & morum lenitate reip. sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam a prima ætate in studiis semper ac literis tenuit. Cui sententiæ omnes acclamarunt, æquum est, justum est - - - & deinceps ad electos sermone converso: Tu Maxime, & Balbine, Augusti, Dii vos principes fecerunt, dii vos conservent! Finito bello magna moderatione imperio præfuere, nec tamen absque invidia, & odio militum, quia non a militibus sed a senatu fuerant creati collegæ. Quo odio non multo post fuere e medio sublati.

§. 682.

Communio imperii exigua cui assimiletur?

Si communio imperii in paucis juribus resideat, pleraque autem collegis imperii divisa & longe a se invicem separata sint, parum illa differet a fœderatis tantum civitatibus, plenæque divisioni propinqua erit. Potest enim summum imperium pluribus ea lege esse, ut in aliis collega solus imperet, in aliis vero imperare nequeat nisi collegarum consensu (§. 681.) Quo plura igitur erunt mutuo consensu imperanda, eo major erit communio, eoque facilior discordia oriunda. Quo pauciora vero mutuo indigebunt consensu, & quo plura quilibet collega solus imperare

poterit; eo minor erit imperii communio, eoque ipſa diviſio jam major. Item quo longius a ſe invicem ſeparatæ erunt partes imperii, & quo vaſtiores ſimul, eo facilius communio negligetur ſenſimque diſſidio, ut facile fit, oborto ceſſabit (§. 679.). Quapropter ſi communio imperii in paucis tantum imperii juribus contineatur, pleraque autem collegis ſolis propria ſint in partibus ejus longe a ſe invicem ſeparatis, parum illa differet a fœderatis tantum regnis aut monarchiis (§. 144. & 663.), plenæque diviſioni ſatis erit propinqua.

Condidit Conſtantinus M. teſtamentum, quo tres filios ſuos, Conſtantinum, Conſtantem & Conſtantium pronuntiavit Auguſtos, fratris vero Annibaliani filium, Dalmatium, Cæſarem. Conſtantinus quidem ex illo teſtamento accepit Hiſpaniam, Galliam, Alpes & Britanniam; Conſtans Italiam, Africam, Græciam & Illyricum; Conſtantius vero Thraciam, Aſiam, Ægyptum & Orientem. Primus iniquo adverſus Conſtantem bello interiit, cui ita ceſſit imperium totius occidentis. Poſtea in delicias & morbum prolapſus, gravior factus ſubditis, conſpiratione facta, a Magnentio, miſſis percuſſoribus, trucidatus eſt. Quo devicto, ſolus reſtitit imperator Conſtantius. Pari prope ratione Theodoſius M. Arcadium natu majorem filium creavit Auguſtum, eique Orientis imperium tradidit. Decennio poſt Honorio, filio natu minori, Auguſto occidentem aſſignavit. Ex qua diviſione quantum communionis reſtiterit, cui otium ſuppetit, diſtinctius evolvere poterit. In medio illud nunc relinquentes, recordamur legum in Codice Juris romani frequentium, Collegarum imperii nomina retinentium. Exitum autem hujus diviſionis omnes norunt & hodieque vident.

§. 683.

Cauſæ raritatis & brevitatis imperii conſortis.

Ob perraram plurium imperii collegarum concordiam, rara ſemper fuit & manebit hujusmodi imperii communio, niſi legibus ita temperata, ut fere Ariſtocratiam æmuletur. Docuit hoc omnis ævi memoria, raro ſibi conſtitiſſe ejusmodi imperii diviſionem cum

cum communione conjunctam, vel omnigenam communionem, propter obortam subinde discordiam regni consortium. Quæ cum ex pravitate saltem unius collegæ ortum duxerit, quamdiu pravitas hominum supererit, & in tanta fortuna faciles habebit explicatus, tamdiu quoque in posterum raro sibi constabit, vel diu perennabit regni societas, idque eo rarius fiet, quo plenior arctiorque communio requiretur (§. 681. *seq.*). Dicta igitur de causa uti rara semper fuit imperii consortio, eadem & in posterum parum consulta videbitur, ideoque rarior merito suo manebit.

Quatenus tamen legibus recte temperatur imperii & dominii communio, atque virium tenuitas difficulter gravem communionis abusum admittit; eatenus, legum custodia quibuscunque de causis salva, durare sic satis poterit. Inprimis si id agatur, ut temperamentum adhibitum ferme Aristocratiam æmuletur. Quod non idem est, ac si dixissem, ut abeat in Aristocratiam. Hæc enim foret mutatio reip. (§. 291.), multo minus formam pristinam civitatis salvam relinquens, ac divisio monarchiæ vastissimæ in alias minores, quomodo post mortem Alexandri M. quatuor regna facta sunt, ex eo, quod ipse unus gubernarat. Manet in communione imperium solidum penes unumquemque consortem, secus ac in communione dominii privati, in societate mercatoria, vel in Aristocratia, ubi revera cuique imperium dominiumque est pro rata sua (§. 140. *P. VIII. Jur. nat. in not.*). Limitatur autem legibus cæterisque institutis sic, ne tam facile interitus illi impendeat.

Perpaucis quædam imperii societates ab historicis attinguntur, nec dum fuit, qui illas distinctius enarraret. Moses quidem & Aaron populo Israëlitico præfuerunt, sed ita, ut Mosi primæ, fratri tantum secundariæ essent partes, deinde ad sacerdotium & jus sacrorum restrictæ. De Philometore & Evergete vid. *Valerius Maximus Lib. V. c. 1.*; de Aphareo & Leucippo *Pau-*

Pausanias Lib. IV. de Tatio & Romulo *Plutarchus in Romulo;* de Gundeberto & Pertharito Longobardorum regibus, *Puteanus Hist. Insubr. Lib. 2. c. 12.* Lydii feruntur *Stibæo* notante, Cræso, qui fratrem in consortium imperii assumserat, id objecisse, quod fere Alexander M. Darii legatis respondit, mundum a duobus solibus regi non posse. v. *Curtius L. IV. c. 11.* Cæterum si quæras, quibus legibus opus sit ad communionem imperii & dominii stabilem reddendam; responderi poterit, id perspici posse, partim ex illis locis ubi consortium imperii, v. c. nobilium, comitum, regum diu duravit conf. *Ludolph. Hugo Lib. de statu Reg. Germ. §. 19.* & *Matth. de Afflictis Decis. 403.*; partim ubi communio bonorum inter conjuges obtinet; partim exempla eorum, qui consortio regni bene usi sunt, uti Maximianus Diocletiano obsecutus est more filii; & Antoninus Verum sapienter flectere potuit. E quibus liquet concordiæ legem ibi esse supremam, quatenus saluti publicæ unice inservit, & modos validissimos eam obtinendi conservandique esse eliminandos, legibus præscribendos sub rigorosis pœnis, nec contra illas leges quidquam esse admittendum (*§. 609. seq.*) & (*§. 636. seqq.*).

§. 684.

Vbi non sit opus consortio imperii?

Consortibus imperii eo minus opus erit, quo minus mole sua laborat monarchia. Etenim si sciscitamur, quid causæ fuerit, cur imperii collegæ fuerint adsciti: deprehendimus, partim & potissimum vastitatem imperii, unde innumera monarchæ surgunt negotia, quorum definitio ipsi reservanda est, quæque ipsum exercere & fatigare valde possunt; partim hostium copiam, simul in dissitissimis locis insurgentem, requirere monarchæ præsentiam providentem, ne quid peccetur. Possunt quidem duces mitti cum exercitu adversus hostes, sed verendum simul, ne illi vel pejus res agant, ac deberent, quacunque de causa: vel si non sine permagno periculo feliciter egerint, dein cum exercitu desciscant, & se imperio dignio-

res

res ſtatuant. Vtrovis caſu multum detrimenti ſubire monarchiam, ſaltem in diſcrimen graviſſimum adduci liquet. Quod quum evitari poſſit, ſi ſummus belli dux non alienas ditiones, ſed ſuas habeat defendendas, non demum adquirendas. Sed hic eſt ipſe ille caſus, quando belli dux conſors eſt imperii. Melius ergo ſibi conſulunt Monarchæ, qui contenti ſunt regno, cui defendendo regendoque unus homo commode par eſſe poteſt, quodque ita nequaquam, uti romanum olim, vaſtitate molis ſuæ laborat. Eo igitur minus opus erit incommoda, & facile æque aut magis, quam quod ea eſt evitandum, pernitioſa regni communione, quo minus monarchia ſua mole laborat.

Eluceſcit hoc tum ex iis, quæ §. 682. de diviſione imperii romani inter illius conſortes annotata ſunt; tum ex hiſtoria electorum imperii collegarum. Sæpenumero enim milites exercitusque levicula de cauſa, vel nuda ſpe prædæ & lucri oſtenſa aut promiſſa, vel odio & metu erga imperatores, duces ſuos crearunt imperatores, unde ſeditiones & peſtes perniciosiſſimæ perplures enatæ ſunt. Inde ad præcavenda hæc mala imperatores ſibi crearunt imperii collegas, quos exiſtimarant nihil tale moliri poſſe. Commendavit ſe hoc conſilium ipſis, uti privatis v. c. mercatoribus, & eruditis ſocietas, ad ſcopum rite conformata. Sed & in hac ſententia ſæpe falſi fuere, & eventus docuit, alios plane neglexiſſe officium ſibi demandatum, pravis litando affectibus; alios ne eo quidem contentos fuiſſe imperii conſortio, ne parem quidem ferre voluiſſe, nec adquieſcere niſi benefactore extincto, ſaltem amoto. Num ſcire igitur dicantur illi monarchæ, quid cupiant, qui, ſi fieri poſſet, omnibus imperare vellent? vel qui tum demum ſe beatos fore credunt, cum vaſtiſſimo potiti ſunt imperio?

§. 685.

Quoniam regnum electivum eſt, ubi jus eligendi monarcham vel eſt penes populum, vel penes alios, quibus id popu- *Provehendus eſt Ele-*

ctionis & successionis usus, cavendus abusus.

populus tradidit (§. 278. P. VIII. *Jur. nat.*); vel successorium, ubi in locum decedentis monarchæ alius certa lege adspirat (§. 279. *ibid.*): *utrum libet populo recte se habere poterit, si ita constituatur, ut malis, quæ emergere possunt, repagula firma objiciantur, bonis vero, quæ præstare valet, cumulate constanterque fruatur.* Priora ex abusu illius, quod alterutri proprium est, nascuntur; posteriora ex legitimo eorum usu. *Quare genuinus usus electionis & successionis est provehendus, impediendus autem & præcavendus admodum abusus.*

Quemadmodum Aristocratia datur, optimatum vel electionem vel successionem complectens (§. 613.): ita regnum quoque aliud requirit regum electionem, aliud successionem, prout in prima constitutione placuit. Legitime quidem primi monarcharum regumque omnes, electione, pactoque populi, imperium in ipsos transferentis, monarchæ vel reges facti sunt. Qui vero vi imperium in alios justo injustove bello adquisivere, hi tamen pace inita quasi invite electi sunt. In priori casu a populi, in posteriori a paciscentium voluntate pependit, quomodo successores sint constituendi: num itidem ope electionis & novi pacti, an vero statim ex primo pacto ratio succedendi semper sit definienda.

§. 686.

Rationes successionem in regnis suadentes.

Gaudent regna, successionis jure prudenter prædita, perpetuo cum prima constitutione nexu; conveniunt cum communi successione in propria parentum jura; obligant parentes ad liberos ita educandos, uti longa experientia docuit, eos ad bene imperandum optime præparari & educari posse; obligant reges, ad regnum tanquam proprium, & transmittendum in posteros sui sanguinis, melius conservandum, augendum, locupletandum; arcent posterorum infrunitorum dissidia circa electionem, & schismata ac bella inde proditura; & pacem quietemque publicam firmiorem reddunt contra mortis in reges jura & in regnis mutationes. Etenim successio non est, nisi legitima occu-

patio

patio jurium hominis abeuntis ab iisdem (§. 122. *P. VII. Jur. nat.*). Iam dum primum constituendus est monarcha, rationes monarchiam sic aut aliter instituendi a peritissimis gravissimisque viris, (de hoc enim casu hic agi, nolumus dissimulare) uti alias fieri in primis rerum arduarum consiliis solet, mature in omnes partes versantur excutiunturque, antequam, quid melius, in datæ civitatis facie, & ad alias relatione, sit futurum statuatur. Quod tum multo fiet diligentius accuratiusque, quam a progenie persæpe imperitiori ac deteriori, & præsentium tantum rerum rationes vix satis putante, fieri poterit. Inde si par sit his primorum eligentium monarchiam prudentia, uti sumsimus, recte illa perenni posterum paci & felicitati ac fortunæ prospiciet legibus succedendi sapientissimis præscriptis, ut perpetim posterorum salus a primis illis autoribus Monarchiæ dependeat.

Quo plura hi autores recte instituerunt, eo majora posteri beneficia ipsis debebunt. si recte institutis inhæreant, nec temere quidquam contra illa moliantur. Eoque majori jure parentum optimorum vices gessisse erga posteros cujuscunque gradus intelligentur; haud secus ac parentes privati virtutibus institutisque salutaribus privatæ liberorum suorum saluti prospexere (§. 570. *Oeconom.*). Consentaneam ergo esse successionem publicam communi successioni privatorum in parentum jura propria, manifestum deprehendetur.

Quemadmodum habitus quicunque ab hominibus adquirendi, præter facultates naturæ idoneas, postulant educationem, institutionem, exercitationemque ad habitum perficiendum comparandam (§. 276. *Oecon.*): ita credendum non est, artem regendi populos, quibusdam hominibus esse innatam, potius multo magis hæc quam opificia, artes & scientiæ maximam partem aut plane dependent ab institutione, educa-

tione & exercitatione, ad hunc ſcopum a puero conformata. Quam ob rem, ſi qui ex confuſa monarcharum ſeu vivorum ſeu mortuorum notitia & imitatione bene regnare didicerunt: multo major ſpes eſt boni imperii, ſi monarcharum liberi a puero non ſolo parentum exemplo vivo, ſed pleniori diſtinctiorique inſtitutione & exercitatione ſenſim & perfectius immo quam optime id fieri poſſe experientia & ratio docet, artem bene imperandi imbiberint. Quod in regno ſuccedendi jure ad liberos devolvendo fieri debere, & ratio jam jubet, & legibus firmari poterit primorum illius regni autorum, æque ac in Ariſtocratia (§. 618. *ſeqq.*).

Vel vulgo per experientiam innotuit, communia rariſſime tam diligenter accurateque tractari, quam quæ homines propria ſibi & ſuis perpetua fore norunt. Neminem futurum arbitror adeo omnium rerum ignarum, quin exiſtimet, eo magis hoc animum humanum afficere & obſtringere, quo majoris momenti res ſit, circa quam verſatur. Quid vero majus hominem occupare, quid majoris momenti eſſe, cujus conſervatio plus mereri ſummam hominis attentionem curamque poſſit, quam monarchia, inter cætera hujus vitæ cimelia in recto uſu ſuo primo collocanda loco? Quare ſucceſſionem in monarchia ſtabilitam obligare monarchas, quotquot ſapiunt, liquet, ad monarchiam in optimo flore conſervandam, quantum licite fieri queat, augendam locupletandamque, & in hæredes graduum remotiſſimorum transmittendam.

Evitari hoc pacto ſimul illa, quæ electionem ſæpe comitari ſolent, factiones, turbæ, damna reip., incommoda & excidia, ex eligentium vel imperitia, diſcordia, invidia, omnique affectuum corruptione oriunda, per ſe eſt evidentiſſimum, quia ſucceſſio nullum electioni locum relinquit. Neque minus hoc eſt indubium, emergente monarcharum morte, cui in

ipſos

ipsos tantumdem licet, ac in quemvis infimæ sortis mortalem, omnia manere quieta & tuta, cum successioni suæ sint leges, quas, ut par est, ponimus observari. Dum rite observantur illico adest certus successor, suo utens jure prout fert ætas.

Hæc successionis indoles primis Monarchiis arrisisse deprehenditur, uti Assyriis, Ægyptiis, Medis & Persis, Judæis quoque. Quæ ipsius antiquitas quoque ejus cum natura humana convenientiam docet, qua etiam nunc se tuetur & commendat variis nationibus. Recte enim statuuntur reges, uti alii homines, nolle bona & Jura sua secum perire, sed potius ea relinquere & esse his, qui ipsis fuere carissimi.

§. 687.

Cur frequentior sit regum successio quam electio?

Frequentiorem succedendi in regnis rationem commendavit tum eligentium commoditas & prudentia, semel recte faciendi quod semper valere ipsique reip. salutare esse possit, tum electorum cura prospiciendi simul saluti sobolis suæ. Vbi enim successio in Monarchia obtinere debuit, ibi illa facto quodam publico fuit constituenda (§ 195.). Hoc factum seu penitus licitum fuit, seu illicitum (§. 197.). Priori casu omnia illico fiunt mutuo & populi & imperaturi in ista civitate consensu (§. 215.), ideoque pacto quodam (§ 216). Posteriori quidquid minus recte habuit, quoad fieri potest, mutandum emendandumque est pacta pace, si stabilitas est obtinenda (§. 230.) & (§. 671.). Vtrovis igitur casu quidquid stabile esse debet, pacto est firmandum tum in civitate ineunda (§ 216.), tum in ea constituenda atque ordinanda (§. 258. *seq.*). Ad pacta mutuus requiritur paciscentium consensus (§. 215.). Quapropter si populus uni, quem judicat optime regnaturum esse, summam imperii offerat, qui eam recipere nolit, nisi simul ejus concedatur devolutio in ipsius posteros, sive masculos, sive feminas quoque, deficientibus illis, qui simul promittit pro se & posteris educationem, qua reddantur imperio digni (§. 686.); oportebit,

ut populus aut alium quærat regem, si illum flectere nequeat, ad discedendum a conditione proposita; aut, si reperire meliorem vel parem nequit, in datam conditionem prudenter consentiat. Si quis vero justo bello vel injusto populum sibi subjecit, nec pax aliter haberi potest, quam populo in successionem novi regis consentiente; pacis obtinendæ causa in successionem consentiendum erit (§. 230.) & (§. 671.). Expendente igitur populo, vel sua sponte ab initio constituendæ reipubl. rite posse semel fieri & prudenter absolvi, quod semper in successione regum valere debet, ne opus sit subinde novis sumtibus, aliisque incommodis, ne a dissensu in electione & interregno oriantur in civitate mala satis sæpe funesta; vel demum conditione ab eligendo rege lata, vel in pace haud aliter consequenda in hanc conditionem descendente: orietur jus in regno succedendi, quemadmodum pacto tacito vel expresso est definitum (§. 217.), quo prudenter consuletur & eligentium commoditati quietique, & regum curæ prospiciendi, quam optime fieri potest, soboli suæ.

Offerebant quidam Israelitæ Gideoni regnum pro filiis quoque & nepotibus, quoniam ipsos liberaverat a jugo Midianitarum *Judic.* VIII. 22. Quare Jotham filius, ex 70 trucidatis residuus, id illis exprobrat *Judic.* IX. 16-21. Ecquot prostant exempla eorum, qui electi ad regnum vel imperium capessendum, id suscipere noluere ob rationes alias aliasque? Ejusmodi rationem & hanc esse posse, nisi jus successionis una tradatur, nemo facile contradicet.

§ 688.

Successionis stabilitas in monarchia usufructuaria.

Ne jus succedendi contra voluntatem populi facile mutetur, præstat monarcham imperium absolutum plenum & summum potius in usufructu habere, quam in patrimonio. Potest enim imperium plenum absolutum & summum a populo transferri in monarcham vel qua substantiam, vel quoad exercitium tantum (§. 39. P. VIII.

P. VIII. Jur. nat.). Si illud fiat, monarcha id habet jure plenæ proprietatis & in patrimonio (§. 134. *ibid*); sin hoc, illud tantum habet in usufructu (§. 40. *ibid*) & de ipsa imperii substantia disponere nequit (§ 1420. *P. V. Jur. nat.*). Si Monarcha habet imperium in patrimonio, potest is de illo tanquam de re sua statuere prout lubet. Inde de mutatione formæ alienatione & successione in ipso seu toto seu ex parte faciet quidquid libet (§. 1290. *P. VIII. Jur. nat.*). Si ergo pravæ sit indolis, vel corrumpi se ab aliis patiatur, vel affectibus unice indulgeat, facillimus erit imperii abusus, ut a commendata & sperata successionis ratione recedat, imperium particulatim alienet, dividat, justis hæredibus eripiat, ipsumque populum pessime affligat. Enimvero si imperium tantum habet in usufructu, Monarcha non gaudet plena sed restricta tantum proprietate, & populus sibi reservavit ejus summam proprietatem directumque dominium (§. 3. *P. VI. Jur. nat*), itaque gaudet jure pleno resistendi abusui & injuriæ contra restrictionem adhibitæ. Quam ob rem ne jus succedendi contra populi voluntatem temere mutetur, præstat Monarcham imperium absolutum, plenum & summum potius in usufructu habere, quam in patrimonio.

Non agitur hic de recto usu Monarchiæ, quo & patrimonialis & usufructuaria in salutem publicam æque conferri potest; sed de modo facilem abusum patrimonialis monarchiæ in ipsa quoque succedendi ratione inhibendi. Eum vero haberi in denegato patrimonio, & translato tantum usufructu, vel inde constat, quia sublata causa effectus illius, item ansa aliquid propter eam agendi una tollitur. Efficacius hoc esse & promtius remedium, quam si patrimoniale sit imperium, & tantum pactis familiæ ordo succedendi constitutus, per se planum est: quia difficile foret, abusurum jure patrimoniali extrinsecus arcita ope adigere ad pacta servanda. Rectum usum juris patrimonia-

monialis merito excipimus. Sic *Justinus Lib. 41. c. 5.* refert, Phrahatem Parthorum regem multos quidem filios habuisse, quibus more gentis regnum fuisset relinquendum; ipsum vero præteritis liberis fratri Mithridati, insignis virtutis viro imperium reliquisse, plus regio quam patrio deberi nomini ratum, & patriæ potius, quam liberis consulendum esse. Ita quoque Germanicus apud *Tacitum Annal. c. 42. Lib. I.* non, inquit, mihi uxor aut filius patre & rep. cariores sunt. Posse vero Monarchiam etiam strictiori sensu non tantum patrimonialem esse, sed quoque usufructuariam, consentaneum est (§. 134. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 689.

Monarchia sponte electa censetur usufructuaria.

Monarchia a populo libere constituta censenda est usufructuaria, non patrimonialis, nisi talis aperte statuatur. Eadem enim est ratio Monarchiæ ac Aristocratiæ a populo libere electæ, dum populus in utraque summum imperium alienat. In utroque autem casu declarat abunde, cujusmodi formam reip. elegerit & habere malit. Ea propter quo jure Aristocratia non præsumitur patrimonialis, sed usufructuaria (§. 252. *P. VIII. Jur. nat.*): eodem jure Monarchia quoque a populo instituta, nullam præbet rationem, e qua possit colligi, populo perinde esse, num a pluribus, quam ab uno regatur, item num hoc potius, quem elegit, quam alio regatur modo. Proinde Monarchia a populo libere instituta itidem non potest censeri nisi usufructuaria, tale nempe inferens exercitium ejus, quale a populo in primum est translatum.

Quia vero exercitium juris differt ab ejus proprietate, & hæc tantum continet jus formam reip. immutandi, monarchiam dividendi, alienandi, successionem tollendi, &c. (§. 955. *P. I. Theol. nat.*). Quapropter exercitium salvam relinquere debet totam essentiam, integritatem, formam & naturam monarchiæ, nisi declaretur voluntas populi eum in modum,

dum, ut hæc omnia arbitrio monarchæ subjiciantur. Tum enim patrimonialem populo placuisse monarchiam, ambigi nequit.

Imperium civile naturaliter est penes universum populum (§. 33. *P. VIII. Jur. nat.*), ideoque in illius proprietate (§. 34.). Sed res suas, inprimis earum proprietatem, nemo temere jactabit, nec dereliquisse dicetur, nisi aperta hujus rei adsint documenta. Quo majoris igitur momenti res est, eo minus illa abjicienda est, aut abjecta esse statui potest, nisi evidentissimis id edoceatur argumentis. Numquid majoris fieri in rebus hujus sæculi deprehenditur imperio summo? Quapropter etiamsi ejus quidquam alienatum sit, probe tamen probeque expendendum erit, quid & quantum id dici possit. Vltra id nempe, quod aperte declaratum est verbis factisve, ut nullum de eo dubium restet, quidquam alienatum esse dici nequit. Quare, si patrimonialis monarchiæ nulla sit facta mentio, nec quod ea involvit, translatum reperiatur, non poterit illa monarchia dici nisi usufructuaria. De ea monarchiæ constitutione, quæ fit invito populo, hic sermonem non esse, ipsa conditio præmissa declarat.

§. 690.

Quis modus successionis credatur electus esse?

Si modus successionis non est distincte declaratus, is erit intelligendus, quem uti usitatiorem notioremque cæteris, paciscentes ob oculos habuisse credibile est. Etenim si paciscentes modum successionis distincte non declararunt, adquievisse censentur in eo, quem tanquam omnibus satis notum in animo habere & concipere potuerunt. Talis vero non est nisi is, qui circumquaque nunc & olim frequentatus divulgatusque habetur. Quare quum de re ignota nihil statuere potuisset (§. 588. *Psychol. empir.*), & si alium quam usitatum succedendi modum constituere voluisset, is fuisset distincte declarandus: non alium in mente habuisse & innuere voluisse dicendi sunt paciscentes,

quam usitatiorem sibique notiorem cæteris (§. 323. *P. VIII. Jur. nat.*).

Varii enim sunt succedendi modi, neque omnes ubique, sed alii inter alios populos recepti usitatioresque. Hinc si generatim tantum successio recepta sit, quia illa ita existere nequit, oportet, ut certa ejus species recepta intelligatur. Sed alia innui generali verbo non solet, quam quæ usitatior est, & ex ipso usu nomen successionis obtinuit. Sectari enim & adhibere consueverunt homines non alium, quam receptum verborum significatum, ubi serio rem agunt, neque aliud ipso facto declarant. Ratum igitur manet, eam in monarchia successionem esse pro recepta habendam, quæ omnibus fuit tum temporis notissima, usitatissimaque.

§. 691.

Ratio conservandi successionem legibus statutam. *Si modus succedendi ipso pacto monarchiam constituente est declaratus, eidem inhærendum esse invigilandumque, liquet, ne sensim connivente & torpescente populo alius introducatur & irrepat vix postea emendandus.* Pacta enim sunt servanda vel a monarchis & populis inita (§. 789. *P. III. Jur. nat.*). Quam ob rem etiam pacta de modo successionis inita servanda esse, dubio caret. Quæ pacta cum dent legem paciscentibus, ea ab iisdem tanquam leges sancte sunt observanda, nec permittendum est, ut contra eas agatur (§. 323. *P. VIII. Jur. nat.*). Si vero impune contra pacta agere monarchæ concedatur, nec is admoneatur officii pacta servandi, omnino faciles capiet progressus mos contra statutam successionem agendi. Inde nisi attendat populus & invigilet pactorum conservationi, clam sensimque alia omnia, populo connivente, vel jura sua nesciente & negligente, irrepent & introducentur; ut v. g. ex monarchia usufructuaria fiat paulatim patrimonialis, & cum sero animadvertitur eversio formæ pacto constitutæ, deinde res sit remedio major, seu restitui pristina jura nequeant.

Est hæc subtilis illa vafrorum insidiatorum ratio leges & pacta subvertendi, & aliorum jura usurpandi, ut sensim nonnihil audeant, quod parum in recessu habere videtur, & vel connivendo negligitur, ne rixæ ex re levicula quæri videantur; vel si quid monetur, excusetur, attenuetur, & pravitas finis negetur, vel & promittatur observatio legis in posterum. Sed progressu temporis alio aliove obtentu quæsito denuo similia fiunt, & ex prioribus concessis jus quæsitum effingitur, aut & vi adhibita aperte legibus contraria efficiuntur, pristinorum pactorum memoria, quantum fieri potest, suppressa, temerata, & corrupta vel prorsus deleta. Astutiores documenta quoque jurium & pactorum antiquorum, velut melioris custodiæ causa e manibus aliorum utcunque eliciunt, sensim eorum oblivione & ignorantia obrepente, celant illa, delent, aut pro libidine sua corrumpunt ampliandorum suorum jurium causa. Valet igitur hic quoque illud vetustum: initiis obsta, sero medicina paratur. Quod observari non poterit, nisi astutiæ opponatur acumen pervidendi pravitatem scopi, eam ob oculos ponendi & debite impediendi.

§. 692.

Quomodo successio ab intestato instituenda?

Si, quamdiu haberi potest, successio ab intestato placuit, ea pacto publico aut privato vel legibus ita est definienda, ne quis controversiæ locus relinquatur. Scopus enim successionis est, ut certum sit jus post decedentem monarcham imperaturi (§. 324. P. VIII. Jur. nat.), vel ut successio sit certa, quam (§. 686.) diximus legitimam occupationem jurium hominis ab iisdem abeuntis. Si ergo placuit successio in monarchia, quamdiu illa haberi potest, illa efficienda est tam certa, ut quoad fieri potest, nullus controversiæ locus relinquatur. Quod dum melius fieri nequit, quam ejusmodi conditiones amplectendo, quarum veritas indubia haberi potest: electæ conditionis ratio mutuo consensu recipienda est & firmanda pacto seu publico, inter populum & monarcham inito, seu privato, quod

& domeſticum vocatur, inter monarcham ejusque conſanguineos vel poſteros. Cujusmodi pacta cum legem dent paciſcentibus ſancte ſervandam, patet ſucceſſionem ab inteſtato in monarchia, arduam ſane, ita legibus eſſe definiendam, ne facile controverſia de illa oboriri poſſit.

Quatenus hæc ſucceſſio naturæ humanæ & legi naturæ conformata eſt, naturalis; quatenus firmata eſt pacto, dici poteſt pactitia, quatenus pactum eſt inſtar legis ſeu publicæ ſeu privatæ, legalis etiam vocari poſſet. Dari vero pacta cum publica, tum privata ſeu domeſtica in familiis illuſtrium monarcharum, nemo niſi plane hospes rerum civilium ignorare poteſt, quem amandaremus ad *Struvii Juris prudentiam heroicam ab Helfeldio auctam P. VII. cap. 3. & 4.*

§. 693.

Quibus rationibus ſucceſſio ſit ſuperſtruenda?

Succeſſio ab inteſtato vel pactitia ſuperſtruenda eſt rationibus ſolidis & ſaluti publicæ expedituris. Nimirum ſucceſſio pactitia conformanda eſt naturæ legi, ut naturalis dici mereatur (§. 692.). Sed lex naturæ ipſaque natura hominum rerumque rationibus nititur ſolidiſſimis, & ad publicam ſalutem apprime inſtitutis (§. 698. *P. I. Theol. nat.*) & (§ 136. *P. I. Phil. pract. univ*). Quapropter & ſucceſſio ab inteſtato ſuperſtruenda eſt rationibus, quæ reperiri poſſunt, ſolidiſſimis; ne falſis vel ficulneis ſuperſtructa inſcitiam arguat & errorem autorum. Quia vero ſimul comparanda eſt hæc ſucceſſio ad ſalutis publicæ ſtabilimentum, uti omnia, quæ in rep. conſtituenda occurrunt: præter ſoliditatem rationum ſimul ſpectanda eſt earum utilitas & influxus in ſtabiliendam, quam optime fieri poteſt, publicam ſalutem.

§. 694.

Ejusmodi eſt præſumta voluntas legitima.

Solida ratio ſucceſſionis ab inteſtato eſt conjectura voluntatis legitimæ defuncti, ut bona & jura ipſius æquiſſime & honeſtiſſime in ſuos deferantur. Voluntas enim legitima non dicitur, niſi quæ legi naturæ

naturæ est conformis, & modus jura in alium transferendi æquissimus, justissimus honestissimusque non potest non eisdem naturæ legibus respondere (§. 171. & 240. *P. I. Phil. pract. univ.*) Cum solidæ sint rationes legibus naturæ convenientes (§. 693.): infitias ire non possumus, solidam rationem successionis ab intestato esse conjecturam legitimæ voluntatis vita defuncti, qua merito voluisse censetur, ut sua bona atque jura æquissime honestissimeque in suos transirent.

Tamdiu enim quilibet bonus censetur, quamdiu contrarium probari nequit. Hinc & defunctus Monarcha tamdiu censendus est voluisse circa successionem in sua jura, quod in se est legitimum salutique publicæ respondet, donec contrarium probetur. Immo si vel deteriora eum voluisse constaret, non foret tamen in his imitandus, nec dedecore isto contaminandus, quo vel maxime voluisset contaminari, quia id citra peccatum fieri non posset. Sed ad peccandum nemo hominum quemquam obligare valet. Quia ergo dominii ea est vis (en Verba *Grotii de Jur. Belli & Pac. L. II. cap. 7. n. 3.*), ut domini voluntate transferri in alium posset, etiam mortis causa & retenta possessione, si quis suæ voluntatis nullam edidisset testationem, cum credibile non esset ejus eum mentis fuisse, ut post mortem suam bona occupanti cederent: sequebatur, ut ejus bona intelligerentur esse, cujus ea esse voluisse defunctum, maxime erat probabile. Creditur autem id quisque voluisse quod debetur, aut si non debetur, saltem officio congruit.

§. 695.

Inde succedunt liberi monarcharum legitimi præ spuriis.

Porro & legi naturali & populi voluntati consentaneum est, ut potissimum monarchæ succedant ab ipso legitime descendentes prognatique. Lex naturæ enim obligat parentes, ut liberos suos non tantum felices, sed & fortunatos reddere debeant (§. 731. *P. VII. Jur. nat.*). Quare quum & ipsi & ipsorum liberi fortunatiores esse & fieri nequeunt, quam in recto Monarchiæ usu,

quod per se notum est: omnino oportet, ut fortunam summam illibatam, quantum fieri potest, in suos liberos cæterosque posteros transmittant, eosque pariter ac se ipsos reddant fortunatissimos.

Præterea si populo successio in monarchia ex allatis supra rationibus arrisit, is voluit, ut imperium electi monarchæ in suos liberos certa successione transiret (§. 686). Congruit igitur, etiam cum populi voluntate successio liberorum in locum Monarchæ, qui vivere desiit, vel ob alias causas imperium ponit. Quæ cum legem successionis constituat, clam a Monarcha est rati habita: pariter populi voluntati consentaneum est, ut Monarchæ succedant, qui ab ipso sunt prognati.

Quoniam tamen virtutis ratio in civitate habenda est, ubicunque ipsius veræ saluti est operandum (§. 39 *seq.*) in ipsa quoque successione in monarchia itidem virtutis ratio habenda est, quantum fieri potest. Quapropter nihil est convenientius, quam ut legitimi liberi monarchæ præferantur illis, quos forte ex pellice genuit, quam nec ipse reginæ loco habere dignatus est, cujus quoque proles, num Monarchæ an alterius sit, vix satis certum habetur. Proinde succedere ordinario modo non debent, nisi legitimo thoro a Monarcha generati. Deficientibus legitimis descendentibus demum, quia spurius insons est ratione concubitus, e quo fuit susceptus, cæteris paribus inprimis ob virtutum præstantiam admitti ad successionem potest.

Quia princeps apud omnes autoritatem existimationemque summam habere debet, nihil in ipso esse debet, quod jure reprehendi, ipsumque contemtui exponere potest. Jam vero contemtui merito parentum habentur liberi non legitime ab ipsis procreati, quod vel opificia & artes vulgares spurium in suum ordinem admittere difficulter solent, ne natalium defectus

objici ipsi possit, quanquam ea in re non ipse, sed parentes peccarunt, nec filius culpam patris luere debeat. Pariter olim spurius arcebatur ab Israelitarum civitate & honoribus ultra decimam progeniem Deuteron. XXIII, 2. procul dubio ad pudicitiam parentum & hoc stimulo incitandam ad legum custodiam. Solonis lege itidem spurius fuit publicum civitatis mancipium, & Demaratus regno dejectus a Spartanis fuit æque ac Leotychides eo quod spurii esse crederentur. Vid. *Herodot. L. VI.* & *Pausanias in Lacon.* Apud Suecos & Gothos illegitimi principum filii ab honoribus & testimoniis dicendis arcebantur, etiamsi ob præclare gesta a rege jus legitimi fuerant consequuti, nec ex hæreditate paterna ultra dimidium Aureum obtinebantur teste *Olao Lib. 14. cap. 12.* In Helvetia ad Magistratum non admittitur spurius secundum *Simlernum de Rep. Helvet. p. 148*: nec in regno Galliæ ne legitimatus quidem, secundum *Hotomannum de succeff. in regn. Franc. Lib. 3. pag. 34.* Jure romano spurii patrem habere non intelliguntur, talem scilicet, quem habere liceret *l. 23. de statu hom. ff.* & *l. 5. de in jus voc. Instit. de nupt.* Rara tamen virtus præsertim deficientibus legitime natis delere quasi labem natalium, parentum potius quam suam, sic satis valet, ut propterea Jephtha, Hercules, Theseus, Teucer, Menelaus, Themistocles reip. & Arnulphus imperio Germ. præisse reperiantur.

§. 696.

Successio seniorum inter descendentes a Monarcha.

Posset esse certa succedendi ratio, si senior cæteris mas ex prole Monarchæ legitima successor statueretur, quæ successio senecta vocari mereretur. Quia enim rationi & legi consentaneum est, ut ex legitima sobole monarchæ successores petantur (§. 695): si liberi præsertim filii ita educantur, ut habiles evadant ad bene imperandum, seniorum cæteris paribus major esse potest experientia & sedatior prudentiorque regendi ratio. Quamobrem si propter hanc rationem paciscentibus allubesceret is ordo succedendi, ut provectior ætate & experientia, nec tamen

repue-

repuerascens, semper succederet: foret inter filios legitimos primus successor primogenitus, post hunc secundo genitus si superesset, & sic deinceps; post extinctos filios succederet maximus natu nepos, post hunc cæteri nepotes pro ætatis ratione; post nepotes succederent pronepotes pari ætatis ordine, post hos abnepotes, quos exciperent atnepotes, reliquique descendentium gradus simili jure (§. 357. *P. VIII. Jur. nat.*). Si quando rarissimus contingeret casus, ut duo essent ejusdem ætatis descendentes, successio cæteris paribus sorte, alias pacto per consanguineos procurato dirimi posset. Sic orietur successio, ab ætate, senecta appellanda, quia ætate propior primo Monarchæ semper succedit.

Sunt, qui hanc successionem *Numidicam* vocant, quia *Livius Hist. L. 29. cap. 29.* de Masinissa refert: Militante eo pro Carthaginiensibus in Hispania, pater ejus moritur, cui Galæ nomen erat. Regnum ad fratrem ejus Desalcem, pergrandem natu, (mos ita apud Numidas est) pervenit. Haud multo post Desalce quoque mortuo major ex duobus filiis Capusa paternum imperium accepit. Cæterum cum magis jure gentis autoritate inter suos, quam viribus, obtineret regnum, extitit quidam Mezetulus nomine, non alienus sanguine regibus, familiæ semper inimicæ, ac de imperio varia fortuna cum iis, qui tum obtinebant, certantis &c. Quod & apud Afros, Marocci & Fessæ reges, & Siamenses usurpatur, testibus *Thuano Lib. LXV. ad an. 1578.* & *Jodoco Schont*, item *Garal. de la Vega Hist. de Yncas L. IV. ch. 10.* Quadamtenus similiter Pontifices quoque romani ex Senioribus purpuratorum legi consueverunt. Non tamen valde usitatam esse hanc successionem, vel exempla loquuntur. Neque feminæ dignæ in casu deficientium dignorum masculorum prætereundæ essent, ubi is ordo istius successionis vigeret.

§. 697

§. 697.

Succeſſio Malabarica parum ſolida & plerumque prorſus erronea nititur ratione, idcirco Malabaribus aliisque Indis relinquenda. Etenim malabarica ſucceſſione patri non ſuccedit filius, ſed ſororis filius, vel generatim filius ex filiabus regum, habita ætatis earum ratione, ſi plures una fuerint (§. 358. *P. VIII. Jur. nat.*). Antumant videlicet hi populi, de filiis ex filiabus regum multo certiorem eſſe fidem, quod regio ſanguine creti ſint, & proſapia regia dici mereantur, quam de illis, qui ex uxoribus regum naſcuntur. Quaſi vero certius eſſet filiam a regina editam eſſe ex regio ſemine natam, quam filium ab eadem editum. Si enim ſuſpecta cenſetur regina, neſcia utique quem ſexum ſit conceptura, filium pariens, eodem modo ſuſpecta manet, quum peperit filiam, aut & ſtudio ſuppoſuit, ſi nullam ipſa parere potuit, ne careat filia, ſucceſſores in regno paritura. Præterea quam ineptum eſt, repudiare filium regis nec admittere ad ſucceſſionem, ſi is æque editus ſit a regina ac filia, propterea quia fieri poſſet tantum, ut alium haberet patrem quam ipſummet regem, quum ſororis regiæ filium ex patre, qui rex non ſit, ſuſceptum eſſe, non in dubium vocent? Sufficeretne ex eadem ratione, reginam eſſe regio ſanguine pro ipſorum opinione natam, ut filius regis ſucceſſor eſſet, quocunque demum patre gauderet, modo non eſſet ſuppoſititius? Relinquenda igitur eſt hujusmodi ſucceſſio inepta (§. 694.) inculto Malabarum aliorumque Indorum ingenio, rectiora non edocto.

Malabarica ſucceſſio improbanda.

Hunc morem ſuccedendi vigere inter Malabares docent *Piet. della Valle P. III. Ep. 6.* & *Philip. Baldus Deſcript. Malab. & Coromandel. cap. 17.* aliique. In Hiſpaniolæ inſula ſuccedunt nepotes ex ſorore demum deficientibus liberis, ſecundum Fratrem *Lopez de Gomora Hiſt. Ind. occident. cap. 28.* ſed inter privatos præ-

ferun-

ferruntur illi liberis *cap.* 12. *ibid.* Canadenſes idem ſequuntur inſtitutum & in dignitatibus conferendis, & in ſucceſſionibus.

§. 698.

Item Chatramotitica. *Parum quoque rationi reſpondet Chatramotitarum inter Arabes ſucceſſio in regno.* Ibi enim ſucceſſor regni eſt, quisquis primus e nobili genere poſt conſtitutum regem naſcitur. Simul igitur atque aliquis regium occupavit ſolium omnes notantur nobilium uxores prægnantes, iisque apponuntur cuſtodes, qui obſervent, quæ prima peperiſſet filium Ejus enim filius ex lege aſſumitur & ad regni ſucceſſionem educatur. Licet igitur hic ſuccedendi modus ideo receptus videatur, ut in ſucceſſionem conſentirent nobiles, alias jure eligendi regem gaudentes; parum tamen is rationi reſpondet ob ceſſantes ſic plures rationes, quæ ſucceſſionem commendant (§. 686.). Inprimis deficiens nexus paternusque amor inter regem, & in ſpem regni educandum filium nobilem, multa vitiare multa negligere in regno non niſi ad dies vitæ ſuo poteſt; etiamſi parentibus ejus educatio relinqueretur, quum nobilis quidem nobilem, non æque autem regem educare poſſit ita, ut ipſe rex eum educaret.

Hujus ſucceſſionis mentionem facit *Strabo Geogr. Lib. XVI. fol. Caſaub. edit. Atrebat.* 528. his verbis: Ad Orientem (ſinus Arabici), maxime ſunt Chatramotitæ, urbem Catabanam habentes. Urbes ſingulæ uni ſuo principi parent & felices ſunt, templaque ac regias optime exſtructas habent; domicilia vero lignorum compage Aegyptiacis ſimilia, & plus regionis occupant 4. hæ præfecturæ (*νομοι*) quam Aegyptiorum Delta. Succedit apud eos in regno non filius patri, ſed qui primus cuidam illuſtrium (*επιφανων*) filius naſcitur poſt regis inaugurationem (*μετα την κατασασιν*). Nam ſimul ac rex creatus eſt, omnes nobilium virorum uxores gravidæ conſignantur, & cuſtodes apponuntur, qui obſervent, quæ prima pepererit. Ejus filius legis

legis juſſu ſuſcipitur & ad regni ſucceſſorem regia educatur. Non additur ibi, quo inſtituto caveant, ne ſua ſpe excidant, moriente illo, qui primus a rege conſtituto natus fuit. Forſitan unus alterve poſt ipſum illico natus, una cum ipſo ſimili regia inſtitutione fruitur.

§. 699.

Neque ſatis conveniret rationi ſucceſſio ejus, qui a primo monarcha inter viventes eſſet remotiſſimus & natu minimus ex ipſius proſapia maſcula v. c. propter longiorem ſpem regni; vel qui ex certis familiis eſſet natu maximus; vel qui in ordine familiarum v. c. 4, nunc ſequeretur & ſuæ familiæ ſit natu maximus. Quemadmodum enim primo Monarchæ proximus ratione graduum generationis & ætatis poterat ſucceſſor conſtitui (§. 696.): ita quoque ab eodem gradu & ætate remotiſſimus in ipſius maſcula progenie dari illi perpetuus ſucceſſor poſſet. Foret & iſte ſucceſſor tam certus, ut perraro oriturus eſſet caſus dubius paritatis in gradu & ætate, ſorte dirimendus. Sed quamvis ſpecioſa videatur ſpes longioris ætatis & regiminis, nimium tamen illa eſſet fallax, quum multo plures denaſcantur in prima ætate, quam in virili, ſecundum mortalitatis humanæ obſervatam legem. Ne quid dicam de imperio, ſæpe diu per tutores adminiſtrando, quod ipſi regi tribui proprie nequit; & de educatione, non tam ad ſalutem publicam, quam ad privatam educantium tutorum facile comparanda.

Alii inſoliti ſuccedendi modi.

Dantur varia loca, ubi modus ſuccedendi in prædia ruſtica recepit, ut filius natu minimus retineat prædium paternum, majoribus natu ratam ſuam ſolvendo, qui melius ſibi quærere prædia poſſe alia cenſentur, quam ille. In regnis vero ſimilis inſtituti nunc non recordor.

Si quaſi diutius conſervandæ monarchiæ cauſa ſucceſſio in pluribus reſideat familiis, ut una vel altera maſcula proge-

 nie

nie orbata, e reliquis certus ſucceſſor habeatur, isque natu inter cæteros maximus (§. 360. (*P. VIII. Jur. nat.*): vix tamen tanta cura in educationem impendetur, ob denegatam hominibus futurorum præſcientiam, quanta deberet & adhiberetur, ſi certior eſſet ſucceſſor. Neque enim parentes, neque liberi id prævidere poſſunt hunc vel illum ex filiis ſuis tum victurum & natu maximum futurum eſſe, quum ſucceſſio erit neceſſaria ipſumque ad imperium vocabit. Vix ergo demum in ſenili ætate aliqua cura in præparationem ad regnandum, eaque ſegnior tantum adhibebitur, ob incertum ſemper eventum, & ſic multa negligentur ad diſcendam artem bene regnandi profutura. Quod rationi & ſaluti publicæ non ſatis convenire ſed potius adverſari, vel luſcis perſpicuum erit lippisque.

Poſito quoque certo aliquot v. c. trium familiarum ordine, ope facilis omnium conſenſus aut ſortis, inter quas vices regnandi ita ſint diſtributæ, ut primo omnium imperet natu maximus ex prima familia; poſt illius obitum natu maximus ex ſecunda; poſt hujus fata, natu maximus ex tertia familia, & tum ordo ſuccedendi revertatur ad primam familiam, ſimili rurſus ad cæteras familias progreſſu & reditu in orbem: certus quidem etiam tunc habebitur ſucceſſor, quamdiu ex illis maſcula ſupererit proſapia, vel etiam, ſi id una placuit, dum maribus deficientibus femina ſupererit regnatura & maſculos enixura. Sed ſimilia his, quæ præcedenti ſucceſſionis ordini obverti poſſe, oſtendimus incommoda, in ſalutis publicæ diſpendium abitura, etiam hic locum habebunt, neque quantum fieri deberet ad Monarchiæ ſalutem appoſita aptataque poterunt dici. Unde & hanc ſuccedendi rationem non ex aſſe probari poſſe conſtat. (§. 361. *P. VIII. Jur. nat.*).

§. 700.

Arrisit igitur pluribus hæreditarius succedendi modus, ad monarchiam rite applicatus. Est enim succedendi modus hæreditarius, quo haud secus in regno succeditur, ac in hæreditate ab intestato succedi solet (§ 326. *P. VIII. Jur. nat.*). Notus & inter privatos receptus fuit is modus succedendi, ut de successione in regno statuturi eandem ob oculos haberent tanquam quamdam cynosuram (§. 690.). Opus tantum fuit, ut de eo, constituturi monarchiam, rite ad scopum applicando laborarent. Quod aliter fieri non potuit, quam ut illo adhibito salva maneret monarchia & tuta successio in illius imperio summo. Hinc, qui regi mortem oppetenti ab intestato hæres foret, idem etiam in regno succedit. Quoniam vero jure hæreditario omnes liberi patris sunt hæredes, hic vero unus tantum esse debet monarcha, aut unius tantum constituendus erit successor, si plures liberi fuerint, isque, si feminas excludere placet, mas; aut plures consortes imperii hujusmodi erunt, ut non nisi unus regnare videatur (§ 678. *seq.*). Quoniam posterior casus obnoxius est discordiis aliisque malis fores pandit (§. 683.); præstabit plerumque, unicum tantum constitui monarchiæ successorem ex filiis defuncti, idque usu frequentatur, ne divisio monarchiæ & debilitatio irrepat (§. 685.) & (§. 691.).

Hæreditarius succedendi modus in monarchia.

Germanis appellatur hic succedendi modus die Erbfolge. Distinguendum tamen est inter latiorem strictioremque succedendi modum hæreditarium, quo ille totum genus complectitur, hic vero tantum quandam illius speciem designat, uti mox dilucidius exponetur. Jam *Grotius* hoc discrimen agnovit quando *Lib. II. de I. B. & P. c. 7. §. 12.* ait: sed in regnorum successione distingui debent regna, quæ pleno modo possidentur & in patrimonio sunt, ab his, quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu.

§. 701.

Cur plerumque mares feminis in imperio præferantur?

Diversi sexus liberorum masculi recte præferuntur feminis ejusdem gradus, vicaria tantum successione gaudentibus, quando vel plane, vel habiles desunt masculi successores; nisi Gynæcocratia promiscue recepta sit. Vt plurimum enim feminæ impares esse solent rebus imperii gerendis, in primis ubi virilia requiruntur facta. Neque enim nisi sat rarum est ejusmodi feminarum ingenium & studium, ut par sit tot juribus, legibus, disciplinis & scientiis non intelligendis tantum exacte, verum etiam recte ad facta dijudicanda applicandis. Pleræque enim nonnisi e vulgari aut & elegantiori educatione & ex usu aliorum sapere discunt in rebus quotidianis, & ad suas curas resque privatas pertinentibus. Pleræque a bellis suo marte gerendis, difficilioribusque regni curis abhorrent, ideoque aliis illas tradere consueverunt, quæ ipsis molesta sunt & ignota. Debilitas ipsa corporis tenerioris pariter ac animi plurimarum facit, ut cum fratribus paria facere rarissime possint; ut prætereant affectus muliebres, facile ita erumpentes, ut autoritati summæ derogare perspiciantur. Quamobrem si filii adsunt idonei, illi vel natu majoribus filiabus & sororibus suis recte præferuntur (§. 192. *P. I. Philos. pract. univ.*).

Quando tamen aut omnino deficiunt mares a monarcha legitime geniti, aut si quis superest, is prorsus inidoneus est ad imperandum, v. c. si sit mente captus: filia autem adest imperio recte gerendo idonea; illam tum imperio præesse, & suo jure succedere, rationi & saluti monarchiæ erit consentaneum. Neque minus illud in constituenda successione respexisse autores videantur, etiamsi aperte illud non sit declaratum, quia illud ubivis usitatum in successione deprehenditur, ut ex ea excludantur feminæ eo usque, donec mares imperii habiles nulli supersunt. Neque nisi subsidiaria esse solet femina-

 rum

rum ſucceſſio, vel ad inſtaurandum genus maſculinum, donec haberi poſſit, tendens, vel ſi nulla ſpes prolis habeatur, ad deliberandum de inſtauranda denuo ſucceſſione & de futuro ſucceſſore rite conſtituendo. Interjectum ejusmodi imperium femineum longe minus periculi habet, quam ſi præterita femina generis regii ipſi injuria fieret, ſucceſſionis jure perperam ademto, & monarchia ipſa turbis & bello exponeretur. Si quando belli neceſſitas femina regnante ingruat, ſupererunt duces idonei, quibus bellica expeditio demandetur, & plerumque ſpes pacis eo erit major & propior, quo minus belli metus, damna & pericula ſexui muliebri arridere ſolent. Interdum & heroinæ in bellis apparuere reginæ.

Si vero ipſa ſucceſſionis conſtitutione promiſcua marium & feminarum ſucceſſio manifeſto recepta eſſet, utique filia, natu major præferenda foret filio natu minori (§. 329. *P. VIII. Jur. nat.*) & generatim femina natu major præferenda eſſet mari natu minori, quoties ſimul in ſucceſſione concurrunt (§. 330. *ibid.*). Neque enim imperium bene gerendum virilem feminarum animum ſuperare, exempla probant Gynæcocratiæ illuſtria & antiqui ævi & noſtri, ſi ad bene regendum ipſa inſtitutione & educatione rite aptentur, iisque utantur adminiſtris, quibus & monarchos indigere mox oſtendetur. Quid vel uxores Monarcharum ſæpe in imperio valeant, & quoties mariti partibus fungantur, non videtur hic eſſe commemorandum. In promiſcua ergo marium & feminarum ſucceſſione ætatis majoris rationem in pari jurium gradu habendam eſſe, pateſcit, æque ac in plurium filiarum concurſu.

Nemo ignorare poteſt infirmiorem naturam plerarumque omnium feminarum, qua fit, ut ubique perpetuo fere ſub aliena ſint poteſtate & curatela, dum vel ſibi ſatis conſulere non didi-

didicere, ſed facillime ad nocitura ſibi ipſis inducuntur. Multo minus aliorum aut plane publicis rebus gerendis pares deprehenduntur, ut viri plerumque dedecori habeant, ſi ipſis parendum ſit vel feminis, vel effeminatis viris. Mirum igitur non eſt, populis fere ad unum omnibus inhoneſtam eſſe viſam γυναικοκρατίαν conſtantem. Romani & Germani ab ea perpetim abhorruere. Lex ſalica feminas imperare non patitur. Ipſa quoque lex ſucceſſionis, in Monarchiis recepta, non niſi extra ordinem eas ad gubernacula imperii admittit. Rationes hujus moris plures enarrant *Bœclerus in Grotii I.B. & P.L.II. c.7.§.17.* & *D.Matthias in Syſt.polit. Lib.III. Sect. 4. quæſt. 3. p. 287-296.* Deficientibus autem omnino maribus jure ſuccedendi præditis, præſtat muliebre imperium, quam nullum, aut vicarium duntaxat: eo quod proprium illud eſt lege ſucceſſionis feminæ monarchiam occupanti, quod ad illud rite gerendum inſtitui ſic poteſt, ut virilibus virtutibus eidem feliciter præſit. Quod experientiæ debemus magiſtræ, quæ feminas quoque inſigni virtutum gloria nonnunquam præfuiſſe & præeſſe docet. Quis ignorat Deboram ſacris quoque literis claram *Jud.IV.4. ſeqq.* Quis Semiramidem Aſſyriorum reginam, quæ virum mentita, poſt res magnas geſtas, quæ ſit, confeſſa eſt. Quod *Juſtino autore Hiſt. L.I. c.2.* illi dignitatem regni non ademit, ſed admirationem auxit, quod mulier non feminas modo, ſed etiam viros virtute anteiret. Inde Alexander M. legitur, non alium gentium illarum magis admiratum eſſe, quam Cyrum & Semiramim, apud *Curtium L.VII. c.6.* Quis neſcit inter imperatrices Meſam, Eudoxiam, & Irenen? Quis Pythodoridem, de qua *Strabo Geogr. L.12.* ſcribit: Tibarenos, Chaldæos usque ad Colchidem, Pharnaciam ac Trapezuntem poſſidet Pythodoris prudens mulier & præeſſe rebus gnara. Filia eſt Pythodori Tralliani, uxor fuit Polemonis, cum quo regnavit per aliquod tempus. Marito mortuo ipſa in regnum ſucceſſit &c. Quis Eliſabetham, Annam, Margaretham, Vlricam, cæterasque etiam nunc celeberrimas reginas & imperatrices ignoraret? Semiramim virtute bellica imitata eſt Zenobia, Palmyrena, quæ mortuo

tuo marito, armata virili veste exercitui præfuit, præclare res suas adversus hostes gerens. Aliæ belli tempore fortissimis viris nupsere, ut imperatrix Eudoxia Diogeni, Libussa Primislao, Vlrica Friderico, &c. Aliæ vero aliis aliisque notis suam deturparunt aut dubiam reliquerunt famam, quarum nomina referre non attinet. Si successionis lex scripta non adest, sufficit usu constare in deferendo imperio genus & propinquitatem regiæ familiæ spectari. Ita in diplomate, quo Margarethæ Reginæ (Sueciæ dein victricis) successio Regni Daniæ stabilitur, hæc verba leguntur: etiam propter generis propinquitatem, quoniam duxerunt, nullum hominem linea nationis de illo sanguine ipsa esse propinquiorem, apud *Jo. Is. Pontanum Hist. Dan. L. IX. p. 514.* aliosque. De Amazonum regno vid. *Justinus L. II. cap. 4.* Pandæam, gentem indicam solis fuisse regnatam feminis tradunt *Solinus* Mandelslo aliique. Promiscuæ successionis regnum non succurrit.

§. 702.

Num major natu præferendus in successione?

Inter plures filios vel ejusdem sexus personas successio hæreditaria merito præfert majorem natu regni capacem, minori natu. Opera enim danda est, ut ejusmodi sit succedendi modus hæreditarius in monarchia, ac in cernenda privata hæreditate (§. 700) hoc est, qui quam minime controversiis locum relinquat (§. 692.). Ejusmodi vero est is, ubi primogenitus, dum superest, præfertur post genitis, & secundo loco genitus iis, qui post ipsum geniti fuere, itaque ubi semper natu major minori præfertur (§. 328. *P. VIII. Jur. nat.*). Neque enim si vel plures utero insint, eodem actu & tempore in lucem edi potest nisi unus, ideoque alius post alium semper nascitur. Quæ nascendi sors, ipso tempore diversa, perfacile dat discrimen diversæ ætatis, a partu æstimandæ, modisque receptis per omnem vitam continuandæ. Sed prudenter & merito illa in successione constituuntur, quæ omnes tollunt de successione con-

controverſias, quod ſua radiat luce. Succeſſio hæreditaria igitur prudenter meritoque filiorum & natarum monarchæ natu majorem ſemper præfert natu minori æque regni capaci.

Mos omnium populorum eſt, ut natu maximus imperium habeat, dudum Artabazanes teſtatur *Herodoti Lib. 7. init.* Sic in *Xenophontis Cyropædia Lib. VIII.* in extrema oratione Cyrus ad filios fertur dixiſſe: complector equidem, filii, pari utrumque veſtrum benevolentia, verum & conſilio procedere & ducis officio fungi, quacunque in re tempus & uſus poſtulet, eum jubeo, qui natu major eſt, & uſum rerum majorem de conſentanea quadam ratione habet. Equidem ut ab hac mea veſtraque patria ſum inſtitutus, natu majoribus non modo fratribus, ſed civibus etiam, de via, ſedibus, dicendi loco cedendum eſſe: ſic & ipſe, filii, ab initio vos inſtitui, ut natu majoribus honorem principem deferatis, & viciſſim minoribus honore præeatis. Quam ob rem quæ a me dicuntur, ita accipite, ut qui tum priſca, tum moribus recepta atque etiam legibus conſentanea proferam. Ac tuum quidem, Cambyſes, regnum eſto, diis illud, ac me, tibi largientibus, quantum quidem in me eſt - - - Quæ quidem cum largior, majus quidem imperium & regni nomen natu majori me relinquere arbitror, tibi vero (natu minori) felicitatem magis expertem omnis moleſtiæ. Attamen controverſia orta eſt, num primogenitus ante aut poſt adeptum regnum ſit præferendus inter Cambyſis filios, quam ita rex decidit, ut Xerxi ab Atiſſa Cyri filia, cui regnum debebat, ſucceſſionem tribueret, non vero Artabazani, quem genuerat privatus. Vid. *Herodotus loc. cit.* Cum Darius deceſſiſſet, Artamenes maximus natu, ætatis privilegio regnum ſibi vindicabat, quod jus & ordo naſcendi & natura ipſa gentibus dedit, memorante *Juſtino Lib. II. c. 10.* Vti olim Patriarchæ primogenitis duplicem ratam tribuebant cum imperio in fratres *Geneſ. XXVII, v. 29.* & *XLIX. 3.* ita quoque plerumque primogeniti regum Hebræorum ipſis ſuccedebant 2 Paralip. XXI. 3. Inter Ægyptios reges pariter primogenitus ſuccedebat patri

Exod.

Exod. XI. 15. item inter Parthos secundum *Polybium L. II. Histor.* Nimis longum foret cætera regna percensere, in quibus idem viget jus primogenitorum. Apud *Livium Hist. Lib. XL. c. u.* Demetrius ita accusat Perseum fratrem natu minorem: cupit regnum, & quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum Juris gentium. Ne vero habeant regii sanguinis principes causas conquerendi, liberaliter pro dignitate sunt habendi & simul caute observandi, nequaquam barbaro more e medio tollendi vel excoecandi.

§. 703.

In regno hæreditario successor non obligatur ad solvenda debita privata regis defuncti, hæreditate bonorum regis privatorum repudiata: nisi honoris causa sponte solvere velit. Regnum nempe hæreditarium est, in quo succeditur hæreditario jure (§. 335. *P. VIII. Jur. nat.*). Quod ideo non est pars hæreditatis bonorum regis privatorum, sed separata est ab eadem hæreditas (§. 336. *ibid.*). Qua de re in regno hæreditario succedere suo jure potest, qui hæreditatem bonorum regis privatorum adire non vult, quando ære alieno nimium sunt onerata. Quapropter si successor non consensit in nomina a decessore suo contracta, quo ipso forent propria ipsius nomina simul, non tenetur solvere debita privata defuncti, modo repudiet hæreditatem bonorum ipsius privatorum, eaque creditoribus cedat (§. 337. *ibid.*).

Quando successor debita defuncti monarchæ solvere non teneatur?

Quoniam vero fieri potest, ut defunctus æs alienum errore potius, & persuasione aliorum, vel spe vana cumularit, & ut ultima voluntate rogarit jusseritque successorem illa nomina expungere; quoniam parum deceret successorem, inprimis filium aliumque necessarium, malle, ut privati insontes damnum sentiant, quam ut liberet defuncti fidem: cum sui honoris, tum fidei & gentis regiæ causa consultum erit, solvere debitum etiamsi privatum tantum, nec in commoda

regni converſum. Multis enim modis ſolutio indebiti regia munificentia fieri laudabilius poterit, quam detrectatio ſolutionis, repudiata hæreditate regis privata. Si vero in dolo vel culpa inſigni eſſe deprehendantur creditores, pro meritis ſuis pœnam luent.

Quomodo diſcerni debeant debita publica ſ. regia, a privatis, docetur in *Scholio ad* §. 337. *cit.* Potiſſimum reſpiciendum eſt, num æs alienum in commoda publica ſit contractum & converſum, an in privatas tantum regis impenſas & voluptates? Diſcernenda & in his, quæ privatis uſibus, ſplendori & pompæ tributa ſunt, eſt malitia & fraus a nuda culpa quadam & imbecillitate humana, facile condonanda, uti quisque ſucceſſor ſibi ſua errata condonari cupit. Vbi vero & malitia vel dolus apparet, magnanimitas tamen regia & clementia vel privatorum injuriis adhibenda, ubi rationes ſuppetunt, multo magis impendenda erit ad defuncti monarchæ famam utcunque a maculis liberandam.

§. 704.

Quæ norma habenda ſit ſucceſſionis hæreditariæ.

Quia in regno hæreditario eo ſucceditur modo, quo ſub inſtitutionem regni in bonis defuncti ſuccedebatur (§ 338. *P. VIII. Jur. nat.*) neque is mutatur, etiamſi modus ſuccedendi ab inteſtato poſtea mutetur, niſi receptus ſit talis ſuccedendi modus in monarchia, qualis futuro quovis tempore in bonis defuncti privatis obtinebit (§. 306. *ſeq. ibid.*): non ex jure naturæ, ſed potius ex lege civili ſuccedendi ab inteſtato ſtatuendum erit, quis ad ſucceſſionem in regno ſit admittendus, nec ne? Is nimirum erit admittendus, quem lex civilis eo tempore, ad cujus normam ſucceſſio inſtituta eſt, vel admittit ad hæreditatem, vel ab illa arcet (§. 340. *ibid*). *Norma igitur ſucceſſionis in regno hæreditario erit lex ſucceſſionis civilis iſtius temporis, quod pro norma eſt ſtatutum.*

Pro-

Proinde ſi nulla ſit mentio ſucceſſionis futuræ reſpiciendæ, præſens ſucceſſio ſub ipſam ſucceſſionem conſtitutam norma omnis futuræ in regno hæreditario ſucceſſionis erit recepta; itaque non ad aliam, quam eam, quæ tum temporis fuit, in quovis ſequuto tempore erit reſpiciendum, ſi quod dubium ſuboriatur (§. 690.).

§. 705.

Num feudalis ſucceſſio ex infeudatione oriatur?

Si regnum hæreditarium poſtea in feudum detur, ſucceſſio tamen in ipſo non erit feudalis, niſi ſucceſſio in illo expreſſe mutetur in feudalem, ut perinde ſit, ac ſi tunc eſſet ortum & in feudum datum ſecundum receptam ſucceſſionem feudalem. Succeditur enim in regno hæreditario haud ſecus ac in bonis defuncti tempore inſtituti regni ſuccedebatur (§. 338. *P. VIII. Jur. nat.*) quare dum tantum accedit nexus feudalis, ipſa regni ſucceſſio non mutatur, ſed manet, quæ antea fuit (§. 675.). Itaque in eodem ſuccedetur, quemadmodum tum ſuccedebatur in allodio (§. 339. *P. VIII. Jur. nat.*). Planum igitur eſt, ſucceſſionem hæreditariam in illo regno per adjectam feudi conditionem non fieri feudalem.

Quia tamen in feudo conſtituendo duorum requiritur conſenſus, ſcilicet offerentis & accipientis regnum in clientelam: ſi utriusque voluntate & conſenſu ob rationes ſuaſorias ſucceſſio priſtina mutetur in feudalem, populo etiam, ubi opus eſt, in hanc mutationem conſentiente, nihil ſupererit dubii, quin in poſterum in eo regno talis ſucceſſio feudalis, qualis tum obtinet, & recepta eſt, ſurrogata ſit in locum hæreditariæ & ſancte obſervanda. Perinde quoque eſt, ac ſi nunc demum id regnum eſſet ortum, & illico clientela munitum, ne facile in ipſo mutatio invito patrono, tanquam domino directo, ſuſcipi poſſit. Quod ſimul diviſioni monarchiæ, litibus, & bellis inteſtinis obicem ponet firmum.

§. 706.

De arcendo partu supposito, &c.

In regno hæreditario omnino præcavendum est, ne liberi suppositi pro genuinis obtrudantur, neque contra alias successionis leges peccetur. Quando enim constituitur regnum hæreditarium, imperium defertur regi ejusque legitimæ prosapiæ certa successionis lege (§. 335. *P. VIII. Jur. nat.*). Quamobrem succedere in illo nequit, nisi de quo constet, eum a primo rege vera & legitima generatione descendere. Si partus alienus supponeretur, is nullo jure succedendi gauderet, æque ac privato suppositus infans; inde nec pro suo, nec pro hærede agnoscendus vel admittendus est. Quare ne contra regis & populi voluntatem irrepat partus alienus pro genuino & proprio, solicite cavendum est, haud secus ac mariti cavent, ne ipsis vel adulterinus vel adscititius alienus infans obtrudatur pro suo. Præter probitatem integritatemque reginæ, huc facere assiduam observationem atque custodiam & ipsius & omnium illam adeuntium, frequentantium, vel in ipso partu adjuvantium, & infantem suscipientium, ne quid vel inscia & invita regina supponi aliorum fraude possit, evidens est.

Nec minori diligentia præcavenda erunt alia, quæ legi successionis adversari eamque mutare non sine aliorum injuria possent. Cujusmodi forent, quæ contra leges de regii thori socia, de reginæ marito non extraneo, de religione ipsius & sobolis, de educatione successorum, de natalibus futuræ reginæ, de apanagio h. e. rata redituum juventutis principum, vel privæ sobolis regiæ de regressu successionis ad feminas primo aut ultimo monarchæ proximas aliisque censûs ejusdem (§. 342. *P. VIII. Jur. nat.*).

Valde antiqua est fraus in supponendo partu regio se exserens. Perseum ab uxore Philippi Macedoniæ regis suppositum (ὑποβλητον) fuisse, refert; *Plutarchus in Arati extremo*, qui non

non nisi sartricis cujusdam natus fuit. Quem Philippus quidem regnare jussit, sed Paulus Æmylius in triumphum duxit. Commodum quoque subditivum fuisse perhibet *Jul. Capitolinus in vita Antonini.* Maxentium Eutropiam Syram sibi subjecisse, autor est *Sext. Aurelius in imperat.* Plura exempla sponte succurrent. Ad fraudes subjiciendi partum alienum avertendas varii excogitati sunt modi. In Gallia & Anglia partus edendus est inspectantibus regii sanguinis principibus & regni proceribus. Neque tamen vel sic fraudes a scena penitus excluduntur. Prout Henrici Siciliæ regis uxor Constantia puerperium sub tentorio publico celebravit, quia monialem sexagenariam parituram esse incredibile videbatur. Et tamen ferunt, unam e tribus mulierculis vicinis illi subministrasse filium, quem pro suo venditavit una cum rege, ignaro creduloque & Fridericum II. vocavit. Vid. *Pandulf. Collenut. rer. Neap. Lib. IV.* & *Alb. Krantzius Metrop. Lib. 7. cap. 38.*

§. 707.

Primæ autem partes non abs re datæ sunt successioni, quam vocant, lineali. Est enim successio linealis omnium certissima & saluti monarchiæ accommodatissima, in qua regnum ab uno in alterum defertur in linea descendentium recta, nec nisi illa extincta ad aliam huic cæteris propiorem transitur (§. 346. *P. VIII. Jur. nat.*). Enimvero nihil hæreditariæ successioni est convenientius, quam ut jura genitorum pertineant ad natos, natorumque natos ulteriores, & bona paterna in liberos, ab his in nepotes, & sic ulterius descendant, more hæreditates cernendi. His vero in recta linea prognatis deficientibus, merito ad illum, qui postremo Monarchæ est proximus, imperium ita transit, ut hæredium vel patrimonium privatum. Prout igitur hic modus hæreditatem privatam in alios devolvendi adeo certus est, ut controversiis fores occludat: ita idem quoque in publica hæreditate a controversiis, quoad fieri potest,

Successionis linealis præstantia.

test, liberanda, se facile commendavit, dignumque exhibuit amplexu, sæculis tum pristinis tum nostris. His accedit, quam *Grotius de J. B. & P. L. II. c. 7. §. 22.* memorat, spes populorum de optima educatione eorum, qui spem regni habent justissimam, quales sunt, quorum parentes si viverent essent successuri.

Posset illa latiniori vocabulo dici successio maxime naturalis, aut usitatissima. Conjungitur hæc successio cum jure primogenitorum, ut v. c. patri succedat filius primogenitus, huic nepos primogenitus saltem cæteris natu major, & eadem lege a gignente in genitum in cæteris gradibus progrediatur. Deficiente mare in linea recta, demum transitus fit ad lateralem lineam v. c. ad fratrem natu majorem, aut quisquis tum sit postremo monarchæ proximus jure hæreditatis. Sic a lege successionis jus majorum natu ulterius dependet transmittiturque (§. 348. *ibid.*).

§. 708.

Agnatica tamen præstat cognaticæ.

In successione lineali ea, quæ agnatorum tantum est, potior est illa, quæ cognatorum simul esset; vel masculina ex maribus progenies excludit femininam, cum suis descendentibus, quamdiu superest. Usitatissimæ enim successioni primæ partes non abs re sunt concessæ in successione principum vel monarcharum (§. 707.), tanquam hæreditariarum omnium certissimæ & accommodatissimæ ad salutem monarchiæ (§. 700.). Sed si ab illa feminæ cum sua prole semper arcentur, nec unquam femina ad imperium capessendum admittitur, agnatica vel Salica vocatur (§. 350. *P. VIII. Jur. nat.*) quæ & mascula vocari merito potest (§. 701.). Sin feminæ pari jure cum masculis uterentur, foret illa sexus promiscui seu æquati; si vero demum masculis deficientibus femina regi ultimo proxima admittitur cum sua progenie, hæc vulgo cognatica, vel Castiliana appellatur (§. 352. *ibid.*). Enimvero masculi recte præferuntur feminis, vicaria tamen successione dignandis, quando desunt mares (§. 701).

Quam-

Quamobrem in usitatissima regnorum successione agnatorum jura recte statuuntur potiora juribus cognatorum, vel lucidius loquendo mascula progenies ex meris maribus merito præfertur femineæ, ideoque mares semper a monarchia excludunt feminas etiamsi se natu majores.

Cæterum quia non est ne in regum quidem potestate procreatio liberorum, inprimis marium regno idoneorum, teste experientia omnis ævi: institutum de successione marium ex maribus ejusdem familiæ regiæ durare non poterit, nisi quamdiu habentur ejusmodi mares regii saguinis. Ea propter in paciscentium arbitrio erit, num & quando extra ordinem feminæ sint ad successionem in regno admittendæ; an nulla unquam femina viris imperare debeat?

Agnati quidem & cognati latine dicuntur eo sensu, ut agnati notent omnes a communi stipite masculo genitos, cognati vero a communi stipite femineo ortos (§. 562. *P. VII. Jur. nat.*). Unde pro sexus diversitate tum agnati & agnatæ, tum cognati & cognatæ dantur, v. c. agnati paterni & materni item cognati paterni & materni, vel & utriusque lateris. Quum vero in hac successione non tam ad agnationem & cognationem respiciatur, quam ad sexum prolis, masculam potius femineamque successionem eam dixerim, quam agnaticam & cognaticam, vocabulis Latio inauditis. Salicam vero illam aut francicam dicere licet, quia saliorum lege salica, quæ cum Francis Germaniæ populis, quorum hæc habetur lex, in regnum Galliæ transiit, ibique viget. Castillanam vero alteram vocant a regno Hispaniæ Tarraconensis Casteliano. Quam cognaticam secundi generis, & eam, quam sexus promiscui diximus Cognaticam primi generis vocat §phus 352 (*P. VIII. Jur. nat.*). Lege salica cavetur ne per matrimonium regnum ad peregrinum principem perveniat & regia stirps antiqua rejiciatur. Castiliana vero successione etiam caveri potest, ne per matrimonium externus prin-

ceps regno potiatur, si is vel excludatur ab administratione ne dum a societate imperii; vel nubendum sit principi agnato cognatove nisi externum matrimonium ad regnum ampliandum indubie faciat. Promiscua qua sexum successio juri hæreditario & primigenio responderet sic satis, si feminæ injungeretur cœlibatus & cura educationis sobolis fraternæ ut suæ, ut fratrum successioni officeret quam minime fieri posset. Successione sexus promiscui, femina natu major excluderet fratrem & universe marem natu minorem (§. 701. *seq.*), sicubi talis prostaret, vel unquam reciperetur, forte ut ministri regii eo sæpius regnare possent pro suo lubitu & arbitratu, reginam ipsa lege cœlibem flectendo, quorsum ipsis videtur expediturum privati emolumenti causa.

§. 709.

Casus diversi successionis Francicæ & Castellanæ.

Deficiente prole mascula, salica lege non succedit ultimo regi filia ejusve soboles mascula, sed proximus ipsi agnatus, vel, si is non excluditur, filius naturalis; Castiliana vero lege succedit filia sive unigenita fuerit, saltem unica, sive natu major, & neptis primus geniti filii postea genitæ filiæ, item filia ex filio præfertur filio ex filia, nec non filia ex fratre filio ex sorore, & in eodem gradu femina natu major minori. Salica enim successione omnes excluduntur feminæ tametsi imperii habiles, una cum sua sobole mascula, in perpetuum, & maribus recta linea per meros mares progenitis deficientibus, oritur ἀναρχία, ut a populo novus Monarcha sit constituendus (§. 351. *P. VIII. Jur. nat.*). Unde manifesto sequitur, licet ultimo regi sit filia, & ex filia optimæ spei nepotes, tamen nec filiam, nec ejus sobolem masculam, jure succedendi gaudere, sed si quis frater regis superest, aut fratrius, aut ne his quidem superstitibus, si quis patruus aut patruelis superest, hujus esse Jus successionis. Si vero filius naturalis non sit exclusus, eo, quem lex concedit, succedendi ordine, et is feminis principibus anteferetur. Liquet igitur, lege salica

pro-

proximum ultimo regi agnatum, & si nil obstat filium quoque naturalem excludere a successione in regno propiores feminas legitime e masculo semine regio oriundas.

Ne ignoretur lex salica, quam innuo, en illam: *De terra salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terræ hæreditas perveniat.* Vid. apud Lindebrogium *in Cap. de Allode*, & in *cap. de Matrimonio ad Morganaticam.* De ipsius in Gallia vigore Conf. inter alios *Bodinus de rep. Lib. VI. c. 5. p. 745.* & *Lib. III. c. 2.* p. m. 268.

Castiliana vero successione masculis deficientibus regni capacibus (§. 333. *P. VIII. Jur. nat.*) femina regi ultimo proxima succedit (§. 352 *ibid.*). Hinc etsi superessent mares idonei, sed a femina procreati, quæ quia per mares ejusdem gradus exclusa fuit, semper exclusa a successione manet cum sua sobole utut mascula, quamdiu propior gradu vel ætate major alia superest princeps. Idcirco ultimo regi succedit filia sive unigenita illa sit, sive unica superstes; si plures supersint filiæ, præcedit in successione major natu (§. 354. *ibid.*) continuaturque successio in eadem linea per masculos, quamdiu suppetunt (*ibid.*). Si vero filii filia concurrat cum filio filiæ, vel filia ex fratre cum filio ex sorore, ob easdem rationes filia præfertur (§. 355. *ibid.*). Prærogativa autem ætatis cum in eodem sexu semper valeat in usitatissima successione (§. 354. *ibid.*), ambigi nequit, filiam primogenitam succedere in regno ante secundo genitam, & in genere natu majorem filiam vel sororem præferri natu minori, eo quod illa plerumque perfectior iam esse, aut prius futura sumitur.

Quia in lineali successione transitus in aliam lineam non fit, quamdiu in illa persona regni capax superest, habita semper privilegii sexus & ætatis ratione, quam lex injungit (§. 701. 702. 707): patescit omnibus, si filia aut generatim femina successit

in regno, nupſitque ut par eſt, nec tamen peperit niſi filias, continuari in ejus progenie feminea ſucceſſionem, niſi in tali caſu lege ſucceſſionis aliter cautum ſit. Brevitatis cauſa prætermittendi hic ſunt varii caſus ſucceſſionum in monarchiis, ex diverſo ſuccedendi modo alibi aliter decidendi. Quorum farraginem quandam reperire licet in *Grotii J. B. & P. L. II. c. 7. §. 30 ſeqq.* & in *Cit. Jurisprudentiæ heroicæ P. VII. c. 3 & ſeqq.*

§. 710.

Remedium contra diuturnam gynæcocratiam

Si populus nolit, ut imperium femineum in Caſtiliana ſucceſſione diu duret, ſtatuere poteſt, ut ſi regina, quæ ſucceſſit, prolem maſculam non ſit paritura, tum mas lineæ lateralis ex mare more ſalico, aut ex femina proxima more Caſtiliano ſuccedat. Fieri enim poſſet, ut in caſtiliana ſucceſſione oriretur Gynæcocratia admodum diuturna, incommodis pluribus non caritura (§. 701.). Quibus prævifis ſi populos conſtituendo legem ſucceſſionis occurrere velit, reſtringere poteſt imperium muliebre ad unicam feminam ea lege, ut ſive illa nubere velit modo præſcripto, ſive nolit, quando prolem maſculam non relinquit imperii habilem, deinde regnum vel more ſalico ad lateralem lineam maſculam debeat transire; vel more caſtiliano ad filium ſororis aut proximæ alterius cognatæ; vel ſi neutro caſui locus ſit, conſtitutio novi regis ad populum revertatur.

Dilucidanda videtur facile oritura diuturna gynæcocratia. Ponamus igitur, cuidam monarchæ non eſſe niſi 3 filias. Ipſi demortuo ſuccedet primogenita, quam ponamus nupſiſſe, ſed non peperiſſe, niſi filias, aut quidem filios quoque ſed præcoci morte abſumtos. Regnet ipſa 30 annis, quibus finitis ſuccedat ipſius filia major natu, quæ vel cœlebs virgo manſit, vel ſterile experta eſt matrimonium, obiens diem ſupremum poſtquam 20 annos regnavit. Hujus ſorores ponamus ante ipſam deceſſiſſe improles. Supereſt ſecundo genita, quæ ſuccedens per decennium regno præeſt, unicam relinquens filiam 15 annis impera-

peraturam. Quam, citius finituri, ponamus improlem regno valedixisse. Ordo tanget posteros tertiæ filiæ, cujus filiis, & nepotibus mortuis, proneptes sint duæ. Natu major regno præsit 15, natu minor 12 annos antequam hujus filius ad regnum perveniat. Collectis imperii annis patebit, Gynæcocratiam hanc biennio superasse sæcularem: intra quod tempus regnum variis afflictum sit malis, quibus non fuisset affectum sub fortiori imperio masculino. Nonne multis potuisset mederi brevior regiminis periodus præfixa?

§. 711.

Pariter incommoda successionis salicæ præveniri possent, si deficientibus maribus legitimis concederetur proximæ defuncti regis cognatæ interregnum, masculam prolem daturæ, vel quod aptius videtur, si ex femina nato principi, alias inhabili, vel præ naturali, vel, deficientibus prorsus maribus per mares genitis, jus succedendi assignetur. Contingere potest, ut præter spem maris nascantur pauciores, vel si plures nati sint, denascantur sine virilis sexus genere; licet feminæ imperio idoneæ, aut illorum masculæ soboles magnæ spei restent. Quoniam series successionis citius opinione sic abrumpi posset, & tum nova electione regno tamen prospiciendum esset, non sine temporis & sumtuum jactura: declarare in antecessum populus potest, quid data conditione esset facturus, itaque quid statim fieri velit, casu emergente (685. *seqq.*). Huic ergo incommodo legis salicæ successionis obviam iri potest, si populus, defecturis maribus legitimis, concedat feminæ ultimo proximæ interregnum muliebre, ut masculam prolem dare possit; vel si certiora præferre malit, potest principi ex femina, gradu cognationis sat propingua ultimo regi, suscepto, vel præ naturali forte adfuturo, vel cæteris agnatis maribus extinctis dare jus successionis extra ordinem, quo alias in salica successione esset cariturus, per similem a regula exceptionem, ac §. 710.

Remedium incommodorum salicæ successionis.

Prudentiæ eſt, uti in omnibus aliis humanis negotiis, ita & in publicis ſane perarduis prævidere incommoda, quæ ex rebus, humanæ poteſtati non ſubjectis, enaſci poſſunt, qua fieri poteſt ratione, medelam præparare, ut eventu oborto remedia præſto ſint. Recenſui igitur incommoda ſalicæ ſucceſſionis perbrevi tempore abrumpendæ haud ſemel, quam populus diuturnam optaſſet aut perpetuam, deficientibus nempe præter ſpem & culpam legitimis agnatis. Sive igitur legitimi tantum deficiant, & illegitimi præter neceſſitatem non videantur malo exemplo in majeſtatis faſtigio collocandi; ſive & illegitimi deſint: utrovis caſu prodeſſe poterunt ea, quæ oſtendimus temperamenta, legi ſucceſſionis inſerenda.

§. 712.

Fontes dijudicandi ſucceſſionem monarchiæ receptam.

Argumentum differentiæ ſucceſſionis in regno erit poſt legem ſucceſſionis & exempla, ipſe ordo in coetibus illuſtribus ſtabilis obſervatus relatusve. Uti dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, ita ex ipſa lege ſucceſſionis, tanquam proprio ejus forte: optime conſtare poteſt genuina hæreditariæ & linealis ſucceſſionis indoles, ſitne ſalica an caſtiliana, an temperata quodammodo? (§. 708. *ſeqq.*). Præcipuus ergo & primus fons ſucceſſionis in regno receptæ erit inſpectio tabularum, quibus lex ſucceſſionis conſignata ac ſtabilita proſtat.

Qui tabulas inſpicere non potuit, is exemplis utetur ſucceſſionum in illo regno criticarum, quas voco illas, e quibus genuina ſpecies & natura ſucceſſionis elucet, modo conſtet, in illis nihil inſoliti, nihil anomaliæ contigiſſe. Cujusmodi exempla diagnoſtica ſi vel propria experientia obſervare licuit, vel ex fide dignis hiſtoriarum monumentis occurrunt: facillimum erit judicium ex legitimo facto ad id, quod fieri per leges debuit, vel ex ſucceſſione ipſa eaque conſtanti, ad formam ſucceſſionis lege receptam concludens.

Si vero & lex & exempla desint, aut duntaxat ignorentur, documentum successionis receptæ peti poterit ex eo ordine, qui in solennoribus coetibus observatur. Nam si in eo ratio habeatur linearum, id signum erit, spei a lege in jus erectæ. Quem ordinem igitur lineæ ibi sequentur, in eodem successio a morientibus in superstites transibit. Si feminæ & a feminis nati eidem certa lege intererunt, ea erit successio castiliana, in qua feminæ cum sua prole non arcentur, sed tantum paribus postponuntur in eadem, ita ut regressus ad eas sit, quando propiores aut pares cætera mares ex maribus defecerunt. Quæ actu observari nequeunt, ea ex peritorum sermonibus & responsis erunt supplenda.

In hoc rerum articulo versantur illi peregrinantes, qui deferuntur in regna sibi ignota, in quibus observare notatu digna cupiunt. Hi enim si attenti sint ad ordinem in solennioribus coetibus obvium, ubi exploraverunt, sitne is constanter idem, & quæ illius rationes reddi soleant: addiscent id, quod nec ex inspectis publicarum legum tabulis, nec ex historiarum monumentis, exemplis successionum oblatis haurire potuerunt. Occasione enim data ex colloquiis fide dignorum hominum expiscari licet, quæ alias manerent occulta ignotaque. Similia etiam de aliis successionibus valere fortassis vel vix submonendum esset.

§. 713.

De successione in regno patrimoniali.

Si regnum sit patrimoniale, vel sapienti monarchæ judicio relinqui poterit, quid pro temporis ratione de successore dignissimo statuere velit salutis publicæ omnigenæ conservandæ & augendæ causa; vel eligi potest ordo successionis ex antea dictis convenientissimus, isque sapientissime temperatus, & documenta patrimonialis imperii data opportunitate servans. Si regnum est patrimoniale, Monarcha in illo tantundem potest, ac populus universus in democratia (§. 133. & 155. *P. VIII. Jur. nat.*). Ideoque de ipsa substantia imperii, ejusque successione statuere valet, prout officii ratio exigit, atque

atque id se maxime decere sentit, haud aliter ac de bonis suis privatis (§. 290. *ibid.*). Id quod eo erit luculentius, quo magis omnis proprietas imperii penes ipsum solum est (§. 292. *ibid.*). Qua propter licet tunc monarcha absolutissimus, imperium alienare pro lubitu, in partes quotcunque (inter liberos) dividere, ipsamque formam mutare possit, quemadmodum placet (§. 291. *ibid.*): sui tamen officii (§. 337. *seqq.*), suæ sapientiæ prudentiæque esse intelliget, ne quid temere mutetur, ne quid peccetur in tanta re. Ideoque conservationi monarchiæ quam florentissimæ in sua stirpe eam dabit operam, qua gloriosior in Monarcha reperiri nequeat. Nolet ergo eandem donare aut legare extraneo, nolet eam debilitare dividendo inter liberos suos, nolet formam ipsius augustam mutare in deteriorem, sed talem se omnino geret, ut etiamsi moriatur antequam suam de successione voluntatem declararit, tamen hæc omnia noluisse, contra præsentis formæ florem quam optimum perpetuari voluisse luculenter intelligatur (§. 295. *ibid.*) & (§. 694).

Sive igitur populus sapientissimum optimumque elegit monarcham, cujus arbitrio se summam rerum plenissime & melius relinquere posse persuasum habet, quam si quid ipse de successione statuere vellet (§. 665.); sive is jure belli invito populo monarchiam adquisivit, cui se nunc optimum sapientissimumque præbere velit (§. 671.): experiri poterit, num sobolem sui simillimam aptissima educatione præstare, & post fata sua sperare talem in imperio possit, nec ne? Si illud consequutus sit, poterit & illius sapienti arbitrio relinquere, quid de suo successore statutu optimum judicaturus sit, uti id suo relictum fuit. Si quid verendum putet, aut mature, antequam id necessitas postulat, providendum saluti monarchiæ & posteritatis suæ arbitretur; jam ipse plena, qua gaudet, potestate in monar-

monarchia, quam in suo patrimonio habet, haud secus ac alia bona privata, quæ maxime expeditura esse credit stabilitati immortalis suæ inter posteros gloriæ, felicitatisque summæ & gentis regiæ & totius monarchiæ, sancire poterit lege sapientissima, ab omnibus successoribus sanctissime observanda. (§. 686. *seq.*).

Ea igitur lege optimum, quem inter usitatos succedendi modos reperire poterit, ordinem successionis adhibebit, temperabit (§. 710. *seq.*) & accommodabit sic ad absolutissimæ monarchiæ florem constantissimum obtinendum, ne quid patrimoniali dignitati derogetur, sed abusus tantum illius quam firmissime caveatur & proscribatur (§. 685.). Considerandum igitur erit, quid majestatem patrimonialem deceat ostendatque insigniter, quis ejus usus sit genuinus, quæ rationes solidæ illum loquantur honestentque, ut in his conditionibus liberrimas manus habeat monarcha. Sic documenta patrimonialis imperii data opportunitate ipso usu conspicua evadent, ipsaque lege reservata manebunt, quoties illis est opus.

Si cui dubium videatur, quod hic de potestate absolutissimi Monarchæ legem succedendi imperandique posteris suis præscribendi statuitur, is meditaturus facile reperiet, eo in actu nihil contineri, nisi quod jam legibus naturæ a Deo Monarchis sit injunctum, & quod propria ipsorum atque monarchiæ suæ salus flagitat. Quodsi rectius illa considerent, deprehendent nihil dignius esse summa majestate, nihil in plenissimo libertatis usu magnificentius, nihil divinius, quam id a se curari quam optime, quod publicæ salutis, quanta haberi potest, ratio poscit. Vti ergo parentes saluberrime præsunt liberis, dum nihil nisi quod legibus divinis, quod ideo & felicitati prosperitatique ipsorum apprime respondet, injungunt, caventque ne secus agant: ita & monarcha futurorum posterorum saluti quo absolutior est, eo plenius longiusque prospicere & potest & debet, idque ideo legibus sapientissimis testatum faciet. Agno-

ſcunt harum rerum conſulti, triplicem dari in monarchiis ſucceſſionem, legitimam, teſtamentariam & pactitiam. Legitimam vocant, quæ ab inteſtato jure naturæ & gentium obtinet. Quam ſi & Monarcha, qui caput eſt familiæ, ſua autoritate ſtabiliat, nihil faciet a re & officio optimi Statoris alienum. Sic lex ſucceſſionis naturalis ſimul erit lex humana, familiæ regiæ propria, eaque dignior obſequio ſanctiſſimo, quo magis cum divina illa conſpirabit. Si vero viſum fuerit, legem ſucceſſionis ſolemni firmare teſtamento, eadem ſimul erit teſtamentaria. Vbi videant, quomodo monarchiæ abſolutæ conſulant, qui argutantur, nec ſucceſſionem ullam ab inteſtato niti jure naturali, nec teſtamentum. Denique quatenus eadem ſucceſſio quoque pacto cum ſucceſſore proximo, & quaſi pacto cum futuris ſtabilitur, eatenus & pactitia dici mereatur. Quam ob rem omnia ſucceſſionis humanæ firmamenta in Monarchiam patrimonialem conferri poſſe, non erit negandum.

§. 714.

Indicia ſucceſſionis in regno patrimoniali.

Quoniam Monarcha in regno patrimoniali pleniſſima gaudet poteſtate ſtatuendi de ipſa monarchiæ proprietate omni, quemadmodum id factu optimum eſſe intelligit, & quemadmodum de privatis ſuis bonis ac juribus diſponere valet (§. 290. *P. VIII Jur. nat.*), ideoque curare poteſt, ut ſucceſſores habeat, ſe & tanto imperii faſtigio digniſſimos (§. 713.); manifeſtiſſimum eſt, *licere monarchæ abſolutiſſimo liberos hoc merentes exhæredare* (§. 362. *ejusdem P. VIII. Jur. nat.*), ut ne quidem in bonis privatis, multo minus in regno ipſi ſuccedere poſſint (§. 363. *ibid.*); licere *majores natu, ob cauſas idoneas præterire, & cuidam minori natu digniori ſucceſſionem tribuere* (§. 283. *ibid.*); *licere teſtamentum condere de imperio adminiſtrando, tutela gerenda, aliisque ſaluti regni profuturis* (§. 298. & 300. *ibid.*); *licere, ſucceſſori ſenatum adjungere, viros*

peri-

peritissimos & fidei probatissimæ complectentem; licere filiam aliamve necessariam principem hæredem regni, jure fideicommissi, constituere (§. 283. *ibid.*); *licere ipsi, successorem, uti sæpius factum est, adoptare; item renuntiare regno pro se & liberis nondum natis* (§. 367. *ibid.*); *vel alienare imperium utcunque, aut dividere*, & quæ sunt alia generis hujusce.

Præcipuum proprietatis argumentum est libera potestas disponendi de re propria, uti lubet. Hinc continet jus transferendi patrimonium in quemcunque alium quovis licito modo. Idem quoque in regno patrimoniali usu venire, illustrabunt hæc exempla. Quemadmodum Jacobus Patriarcha auferebat jus primogeniti, ob delictum, transferens illud in Judam: ita David, rex celebratissimus, excluso Adonia transtulit illud in Salomonem utique minorem natu filium se vivo 1 *Reg.*I,11.*seqq.* Artaxerxes quoque Darium filium contra morem Persarum, per indulgentiam vivus regem fecit, nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia majestatis suæ vivus in filio conspexisset. Sed Darius post nova paternæ pietatis exempla, interficiendi patris consilium cepit. Quæ sunt verba *Justini Hist. L. X. c. 1.* qui *ibidem & seq. capite* tragœdiam persequitur. Idem *Justinus L. XVI. c. 2.* de Ptolemæo narrat, quod cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra jus gentium minimo natu ex filiis, (Ptolemæo Philadelpho) ante infirmitatem regnum tradiderit, ejus rei hanc populo rationem reddens: cujus non minor favor in accipiendo, quam patris in tradendo regno fuerit. Inter cætera, pergit, patris & filii mutuæ pietatis exempla & ea res amorem populi juveni conciliaverat, quod pater, regno ei publice tradito, privatum officium regi inter satellites fecerat, omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat. Apud *Homerum* Agamemnon *iliad. 9. v. 149.* promittit Achilli 7 urbes; Iobates Rex Lyciæ Bellerophonti dat dotis loco dimidium regni sui *iliad. 6. v. 193;* Anaxagoras Melampo $\frac{2}{3}$ regni dedit, secundum *Pausaniam in Corinthiacis. c. 18.*

c. 18. Darius Nothus regnum Artaxerxi, Cyro civitates, quarum præfectus erat, testamento legavit. *V. Justin. L. V. c. 11.* Artaxerxem Themistocli donasse Magnesiam quæ panem præberet; Lampsacum unde vinum sumeret; Myuntem, ex qua obsonium haberet autor est *Nepos in Themistoclis c. ult.* Attalus, inquit *Valer. Max. L. V. c. 2.* etiam testamenti æquitate gratus, eamdem Asiam populo romano legavit. Conf. *Florus L. II. c. 20.* addens, populum rom. adita hæreditate provinciam testamenti jure (quod est æquius armis) retinuisse. Neque minus Nicomedes Rex Bithyniæ regnum suum Romanis legavit, uti *Cicero* scribit *Orat. 2. agrar. contra Rull. c. 15.* quam hæreditatem jam crevimus, regnum Bithyniæ, quod certe publicum est populi romani factum. Vbi *cap. 16.* subjicit: quis vestrum hoc ignorat dici, illud (ægypti) regnum testamento regis Alexandri (Ptolemæi) populi romani esse factum? *Ammianus Marcellinus L. 22. c. 16.* hæc habet: Aridiorem Libyam supremo Apionis regis consecuti sumus arbitrio; Cyrenas cum residuis civitatibus Libyæ pentapoleos Ptolemæi liberalitate suscepimus. Arsaces testamento Armeniæ partem majorem dedit filio ejusdem nominis, minorem Tigrani secundum *Procop. de ædif. L. III. c. 1.* Plurium divisionum exempla commemorat *Barbeyracius not. 32.* ad *Grotii L. I. c. 3. §. 12.* Mithridates apud *Justinum L. 28. c. 5.* hæc verba facit: quæ (Paphlagonia) non vi, non armis, sed adoptione testamenti, & regum domesticorum interitu, hæreditaria patri suo obvenisset. Quibus exemplis *Grotius de Jur. B. & P.* alia addit *L. I. c. 3. §. 12.* Ne de adoptione exempla desiderari possint, consulatur *Struvii Jurisprud. heroica P. IV. cap. 5. seq.* Vbi etiam de spuriis, ac naturalibus *liberis P. III. cap. 6.* multa afferuntur. Item de Alienatione *P. VII. cap. 2. Sect. 4.*

§. 715.

Subsidia sanctitatis legum regiarum. Cum in regno patrimoniali perfacilis sit abusus summæ potestatis ad perniciem salutis publicæ, & eversionem legis imperandi & succedendi feliciter: *& interna adhibenda erunt fidei firma-*

firmamenta & externa. Interna non habentur nisi in animo virtutis pulcritudine & præstantia capto, & de via veræ felicitatis solide convicto, uti de optimatibus exposuimus (§. 603. & 610.) præsertim in vera pietate & religione juris jurandi sub auspicia regni præstandi. Externa sunt in fœderatorum regum autoritate, legum regiarum sequestri & custode constituta: fere quemadmodum pacis arbitri, sequestrique & custodes adhiberi a Monarchis in robur paci conciliandum solent.

Regis Lacedæmoniorum jusjurandum hoc legitur in *Xenophontis Rep. Athen. sub fin:* regnum se gesturum ex præscripto legum latarum; civitatis vero, conservaturum se regnum illius inconcussum, siquidem jusjurandum hoc sancte servaret. Aliorum Monarcharum auspicia regni pariter jurat a fide firmari, nemini obscurum est.

§. 716.

Quem usum habere possint pacta successoria.

Firmandæ successioni inservire possunt pacta, quæ vocantur, successoria vel hæreditaria, quibus & successio mutua cum externis monarchis eum in eventum recipitur, si legitima soboles defecerit. In patrimoniali enim regno licet regnum transferre in alium, uti lubet, v. c. donatione inter vivos, cessione, legato aut testamento &c. (§. 714.) Quare & deficiente prole successio mutua potest in regnis vel principatibus hujusmodi pactis rite firmatis, legibusque sapienter præscriptis, stabiliri. Quæ mutua successio in longum tempus præfiniri & in hunc finem potest, ut eo certior sit legum successionis observatio, quo magis interest eorum, quibus spes successionis & jus certum est adquisitum, regnum conservari quam florentissimum. Inde enim eo majori fide, diligentia & cura incumbent in ipsius stabilimenta tuenda, nocumenta vero omni opum vi profliganda, quo certius habent, illud ad sese pertinere, nec se hoc ipso alienum, sed suumet agere negotium.

Pacta, de quibus hic agimus, vocari germanis solent Erbverbrüderungen vel Erbvereinigungen, de quibus in Jurisprudentia heroica altum est silentium. Vnde nonnullis pacta confraternitatis dicta fuere, melius gentilitia appellantur, & eo redeunt, ut stirpe quadam extincta, patrimonium principatus ad aliam stirpem illustrem certa lege inito pacto lata perveniat. Facile liquet, fœdus ejusmodi sanctius utiliusque ad mutuam defensionem, amicitiamque fore, aliis fœderibus usitatis, si cætera pari fide integritateque curentur. Hinc & ad firmamenta ordinis interni & legum imperandi succedendique feliciter, eadem valere & comparari posse, nihil habet difficultatis. Vna sic potentia regnorum, familiarum splendor, connubiorum frequentia & facilitas, intimaque concordia stabilitur & amplificatur. Ob id ipsum major haberi poterit interna tranquillitas & externa securitas, cum vis unita fortior sit & formidabilior pacis turbatoribus osoribusque. Ejusmodi pactum A. 1323. initum fertur inter Poloniæ, Bohemiæ & Hungariæ reges Vladislaum, Joannem & Carolum, si *Chytræo* credimus in *Chron. Saxon. c. 12.* Certius est & antiquius pactum inter duces Saxoniæ & Landgrafium Hassiæ cui accessit Elector Brandenburgicus. Plura hujusmodi pactorum exempla habet præter Germaniam, etiam Gallia & Italia. Quibus affinia sunt pacta *ganerbinatus*, quæ dicuntur, de quibus post Leibium videndi sunt *Lyncker*, *Waldschmid*, *Senkenberg* & *Estor*.

§. 717.

Successio matrimonialis. *Oriuntur etiam successiones ex jure connubiorum, quando illustris femina in matrimonium ducitur quæ est hæres regni & principatus.* Etenim si femina illustris monarchæ nubit, cujus patrimonium castiliana successione gaudet, illa gaudet jure succedendi, quando mares deficient, & si jam deficiunt, tantum exspectandum ipsi est, donec ultimus hæres mas moriatur; nisi jam principatu gaudeat. Sive maritus illius particeps & consors fiat imperii, sive minus; soboles tamen utriusque erit hæres

& suc-

& ſucceſſor utriusque parentis, eaque de re propter matrimonium & jure matrimonii, inter parentes contracti, evadet ſucceſſor patrimonii & paterni & materni, ſi mater hæres fuit alius regni aut principatus, quam pater.

Sic Maximilianus I. imperator ducta uxore Maria, Caroli Burgundiæ ducis filia, adquiſivit Belgium illud. Ipſius filius Philippus, ducta Joanna, Regis Ferdinandi filia, totam Hiſpaniam occupavit. Albertus Auſtriæ dux, e matrimonio Iſabellæ Eugeniæ Claræ potiores Belgii partes ſortitus eſt. Albertus II. imperator cum uxore Eliſabetha, accepit Regnum Bohemiæ & Hungariæ. Satisne exemplorum ex unica domo auſtriaca? Quæ ſola ſufficere poſſunt ad hunc modum ſuccedendi in amplitudine ſua & fructibus evidenter exhibendum. Neque quidquam eſt uſitatius, quam ut privata quoque matrimonia ad opes adquirendas adhibeantur. Conferatur ex *Struvii Jurisprudentia heroica Partis III. cap.* 1. *Sect.* 3.

§. 718.

Remedia ingeniorum tardiorum in ſucceſſione.

Illi ſucceſſionis incommodo, quod non ſemper tales naſcuntur, quales eligi poſſunt, occurritur partim bona educatione, partim ſapienti miniſterio & ſenatu Monarchæ adjuncto. Etenim ſi prorſus inepti naſcantur ad imperandum, illi ipſa lege ſucceſſionis excludi a ſucceſſione ſolent. Si vero diverſa ſint, uti fit perſæpe, principum filiorum ingenia, ut inter minores natu habeantur, qui majorem natu ſucceſſorem longe poſt ſe relinquant: duo reſtant remedia, quibus uti non ſine fructu monarchæ conſueverunt. Primum in educatione & inſtitutione accuratiori ſitum eſt. Dudum enim experientia docuit docetque etiam nunc Profeſſores, qui multa erudivere ingenia per longam annorum ſeriem, tarda quoque & hebetiora ingenia tandem perrumpere, quaſi vincula, quibus tenebantur, & obſtacula ſibi objecta. Sæpe non ſine gaudio contingit his, ut duce accommodata inſtitutione, pertinacique induſtria & patien-

patientia adquirantur habitus non vulgares, nonnumquam vero etiam vincentes multum eos, quorum felicius at desultorium ingenium & fiducia sui transilit & dedignatur perfectioris culturæ ponenda solidius fundamenta & superstruendorum firmiorem compagem. Idem ergo in principum filiis evenire, non est mirandum, nisi plane stupor obstet, aut corruptio voluntatis, sedulo cavenda.

Si vero parum efficiatur in theoria vel cultura intellectus, modo eo usque proficiatur ad praxin, ut agnitio impotentiæ & infirmitatis intima convincat animum de recte adhibenda ope aliena, de discernenda veritate ab aliis inventa & proposita, & de studio salutis publicæ sincero: fieri tamen poterit, ut in omni imperii parte adjuncto optimo & fideli consiliariorum senatu, cui & successorum prudentiorum ea sit habenda ratio, ut si quid contra fidem & salutem publicam egerint, id sciant sibi suisque luendum fore, bene regnet, aut melius perspicaciori quidem sed præcipiti & libidinibus obsequente. Idem illud sæpe factum esse, tam multa docent historiarum monumenta, in regnis succedendi jure utentibus, ut domesticis passim fides haberi possit, nec opus sit peregrinis, nisi ubi singulari felicitate vel & temporis brevitate aliter res comparata est.

Conferri hic possunt, quæ in *Oeconomia de educatione* in hujusmodi casibus occurrunt. Retinet *aurea bulla Caroli IV.* antiquum successionis jus *tit. 25.:* primogenitus filius succedit, nisi forte mente captus, fatuus, seu alterius famosi defectus existat, propter quem non debeat seu posset hominibus principari. Quo casu secundo genitum, seu alium seniorem fratrem vel consanguineum volumus successurum. Ita Georgius Dux Saxoniæ 1639. Friderico filio adjunxit senatum 18 nobilium 4 sacerdotum & octo senatorum ex urbibus, qui ipsi in imperio gerendo propter imbecillitatem mentis (weil er eines blöden

Ver-

Verstandes) adessent. Cujusmodi exemplum quoque habetur in Prussiæ Duce Alberto Friderico, cui Curator adjunctus est patruelis, Marchio Georgius Fridericus, A. 1577. qui Prussiam administraret. conf. *Struv. Jur. heroic. P. 7. c. 5. §. 4.* Maximilianum inter imperatores primum, ferunt ea laborasse linguæ & sermonis formandi difficultate, (unde de reliquo ingenii usu judicari poterit,) ut anno ætatis nono vererentur ipsum unquam sermonis usum esse adepturum, quoniam vix ullum articulate proferre vocabulum valebat. Nihilominus victis tandem difficultatibus omnibus, inter eruditissimos, eloquentissimos facundissimosque sui sæculi Monarchas diversarum 4 linguarum fuit numerandus. Ni tempus deficeret, plura de his conquirere lubuisset.

§. 719.

Remedia adversus incommoda ætatis, morbi, absentiæ.

Ætatis vel morbi incommodo in successione publica pariter subvenitur ac in privata; tutelis scilicet aptis qua infantiam, curatelis qua ætatem minorem, conciliis consiliariorum in morbis, usum intellectus negantibus, vel & senectute effœta, aut absentia longa, nisi collega saltem interim adsciscendus videtur. Contingit haud raro in regnis successoriis, ut decedente monarcha relinquatur successor vel infans, vel nascendus demum. Qui cum per ætatem impar sit regimini, utique opus est, ut ipsi haud secus de optima tutela vel curatela prospiciatur, ac in privata fortuna sapienter fieri consuevit, secundum *Oeconomiæ* præcepta. In morborum vero vi, usum rationis impediente aut prorsus eripiente, in senio non multum dissimili, & in absentia legitima par fere est ratio, ac in §. 718, unde & simili remedio erit opus, nisi aliæ rationes successorem in societatem imperii adsciscendum persuadeant. De quibus institutis supra fuit disputatum (§. 678. seqq.).

De tutelis principum multa congessit *Struvius Jurisprud. heroic. P. V. cap. 4-7. & P. VI. c. 1-4.* ab *Hellfeldio* additis. Ita Nebucadnezar usu rationis privatus mania laboravit per *Daniel.*

IV. 8-30. quo tempore filius Evil Merodachus cum proceribus imperium adminiſtravit, donec redderetur ſanitati & regimini v. 31. *ſqq.* Mithridates Ponticus ſeptem annis iridem inter ſylvas κυνηγετικομανια fertur oberraſſe. v. *Franc. Patritius Lib. III. de Regno Tit. 6.* Uſia rege Judæorum elephantiaſi ſeu lepra infecto, filius ejus Jotham imperio præfuit 2 Chronic. XXVI. 18-21. De abſentia propter expeditiones bellicas, aliave itinera neceſſaria, vel propter captivitatem regis, opus non eſt, ut plura faciamus verba, quum illa vix cuiquam ſint ignota.

§. 720.

Ratio controverſias de ſucceſſione ſopiendi.

Si qua de ſucceſſione oboriatur controverſia, ea vel in antecesſum definienda ab eo, cui eſt ſuccedendum; vel arbitrorum & procerum ſententia potius componenda eſt, quam armorum vi ſopienda. Equidem præſtat, ab initio omnia in ſucceſſione ita conſtitui, ne qua unquam controverſia oboriri poſſit (§. 692). Si quid tamen dubii reſtet, quod ſublatum non deprehenditur, mitiora potius omnia adhibenda ſunt, quam incerta armorum concertatio: quia illicitum eſt bellum, quod ſuſcipitur controverſiæ decidendæ cauſa (§. 632. *Jur. Gent.*), niſi apertum ſit, transactioni nullum relinqui, aut relictum iri locum (§. 573. *ſeq. ibid.*). Cum mitiores modi controverſiam componendi ſint amicabilis compoſitio, transactio, compromiſſum in arbitros & ſequeſtres (§. 570. *ibid.*), inſtitutique in eum finem conventus, & colloquia (§. 571. *ibid.*): hæc ante omnia eſſe tentanda non dicis cauſa ſed animo æquitatis pacisque ſtudioſiſſimo, manifeſtum eſt. Unde ſi a populo eſt lex ſucceſſionis, is in dubio id voluiſſe cenſendus eſt, quod ſucceſſionem facit certam (§. 325. *P. VIII. Jur. nat.*) aut eapropter mos gentium vicinarum, quem reſpexiſſe videtur, eſt conſulendus (§. 323. *ibid.*), aut ipſe eſt arbiter adhibendus. Si vero in regno patrimoniali controverſia oborta, nullum quidem populo erit

jus arbitrandi, neque hoc ipsi facile offerendum; procerum tamen præcipuorum sententia libera consilii instar explorari poterit, uti sæpius factum, utque de populi voluntate quantum fieri potest, constet scriptis jura divulganda erunt.

Exempla commemorat *Hellfeld Jurispr. heroic. P. VII. c. 3.* Arbitri peti possunt ex principibus ejusdem regii sanguinis, aut amicis, neutri parti addictis. Populo tamen vel regni rationem esse habendam inde patet, quia ipsius interest, pacem ambitionis causa non turbari bellis intestinis, inprimis si declaret, se sponte ab illius partibus futurum, qui ostenderit, se meliori jure gaudere. Pluribus hæc docet *Puffendorfius I. N. & G. Lib. VII. c. 7. §. 15. ibique Barbeyracius.*

§. 721.

Antiquior successione modus perveniendi ad regnum habetur in electione. Quisquis enim succedere debet, is aliquem habet, cui succedat, neque dici potest successisse, nisi ante ipsum alius fuit in eodem loco, in quem ipse pervenit (§. 685.). Is ergo, qui ante ipsum fuit in eodem regno ipsius rector, aut pariter successit alteri, aut non. Si pariter successit, eadem semper aderit necessitas alterutrius optionis. Quare subsistendum erit in quopiam, qui nulli successit. Si nulli successit, oportet, ut vel vi aut dolo alios invitos sibi subjecerit, vel ut consensu populi adeptus sit regnum, ideoque electus sit. Prius si contigit regnum stabile non erit, sed serius aut ocyus is regno iterum ejicietur, nisi id agat, ut bona voluntate subditorum & pace inita regno præesse possit. Hic igitur casus redit tandem ad alterum, nempe ad pactum mutuo consensu initum, quod ab eo, qui frequentissimus est, modo, regem constituendi, electio audit (§. 685.). Vnde priorem natura & antiquiorem esse modum adspirandi ad regnum ope electionis, quam successionem, autumo satis liquere.

Electio antiquior successione.

Potuisset hic modus ante successionem explicari, nisi majoris frequentiæ successionis, ideoque approbationis ipsius amplioris ratio priores illi partes vindicare visa esset. Neque temere id factum esse, ut apud plures valeat successio, quam electio, ex parte altera jam enarratum est, & ex altera parte propediem exponetur. Successionem vix invito populo fieri, controversia caret, modo excipias violentam occupationem nondum absolutam. Sed primam occupationem regni invitissimo populo contingere posse, non indiget probatione.

§. 722.

Facilius eligere meliorem, quam gignere. *Commendatur a multis propterea quoque electio regum, quia facilius est eligere meliorem, quam gignere.* Constat inter omnes, non esse in potestate parentum positam sobolis procreationem, quæ tam copiosa tamen inter homines cujuscunque sortis habetur; multo minus a voluntate parentum pendet, cujus velint modi liberos suscipere, an præstantiores potius, quam deteriores (§. 718.)? Quare convenientius saluti regni esse videtur, si eligatur rex aut monarcha, quam si is habendus sit, qui nascatur. Facilius enim inter eos, qui adspirant tanquam proci ad thronum aut quos ipse populus ex omnibus seligit tanquam candidatos regni, facilius inquam est internoscere, quis omni numero reliquos vincat, quam votis aut & cura educationis efficere, ut, quisquis natus fuerit Monarchæ, talis evadat. Si ergo præstat, optimum esse regem, quam non optimum, aut deteriorem vel pravum, electio præferenda videtur successioni in regnis, inprimis si successio finita votis populi non respondit (§. 305. *P. VIII. Jur. nat.*).

Ex hac ratione *Aristoteles*, Politicæ conditor, electionem præponit successioni, eamque propterea Aristocratiæ accenset, *Lib. V. Polit. c. 10.* scribens: regia potestas instituta est secundum Aristocratiam. Est enim secundum dignitatem vel per virtutem propriam, vel generis, vel per beneficia collata, vel per ista simul & potentiam. Omnes enim, qui maxima beneficia

in civitatem contulerunt, vel eam habuerant facultatem, ut conferre possent, hoc honore potiti sunt. Alii bello conservatis populis, ne in servitutem detruderentur, quemadmodum Codrus; alii a servitute liberatis, ut Cyrus; alii quod condidissent civitatem, vel regionem adquisivissent, quemadmodum Laconum, Macedonum & Molossorum reges - - - alii propter metum. Hæc enim una ex causis est, ut in rep. sic etiam in unius gubernatione, ut Xerxem metuens Artapanes &c. Alii propter contemtum, uti videns Sardanapalum inter mulieres pensa dividentem, si fabula vera fuit; sin minus, in alio fieri posset. Dionysium posteriorem semper fere ebrium contemnens Dion invasit &c. - - - Ex contemtu plurimæ fiunt eversiones: quia nati ex tyrannis in voluptatibus luxuriantes sese contemtui exponunt (ευκαταφρονητοι γιγνονται), multasque præbent occasiones sui opprimendi. Etiam heroum filii non raro degenerant, & potestati, divitiis & fortunæ confidentes in pueritia præceptoribus obedire detrectant *L. IV. Polit. c. 11.* aut corrumpuntur & negliguntur ab his, qui ipsorum nomine imperare cupiunt. conf. *L. 2. Rhetor. c. 15.* Vnde *L. III. Polit. c. 15.* ad quæstionem, sitne rex assumendus per successionem an per electionem, respondet: pernitiosum esse, qualescunque natorum succedere. Et si quis dixerit, patrem regnum non esse traditurum, quem non viderit idoneum esse, reponit, non facile esse hoc credere. Arduum enim & majoris virtutis hoc esse, quam pro humana natura. Similiter *Thomas de Aquino* hoc loco statuit, melius esse assumi principem eo modo, quo per se melior accipi potest, h. e. electionem præstare successioni, quia in tota multitudine facilius melior habeatur, quam si non sit nisi unus. Hinc per accidens tantum contingere statuit, ut melior sit successio. Eandem sententiam suam fecit D. *Martini L. II. Polit. c. 4.* Nos, inquit, sui natura electionem præstantiorem putamus; firmiorem tamen & tutiorem successionem, sed per accidens, nempe in rep. turbata, vel ubi non sunt idonei optimates, qui eligunt. Monet quoque *Tacitus Hist. L. I. c. 16.* optimum quemque invenire electionem, cum ge-

nerari & naſci a principibus fortuitum ſit, nec ultra æſtimandum. Sed præſtat media incedere via, utramque ſe recte habere, ſi fiat, quod fieri debet; ſecus autem pronuntiandum eſſe ſi ſecus agatur.

§. 723.

Electio debetur ſtudio libertatis.

Præcipua ratio reſervandæ populo electionis regum eſſe videtur in ſtudio libertatis ſub monarchia, quantum fieri potuit, tuendæ. Libertas enim civilis populi maxime viget in democratia (§. 146. *P. VIII. Jur. nat.*), ſed in Monarchia & Ariſtocratia multum diminuitur, aut plane deeſt (§. 147. *ibid.*) quia populus illi renuntiavit, imperium in alium vel alios transferendo (§. 148. *ibid.*). Quoniam tamen dulcis eſt libertas populo, quo magis populus ejus eſt ſtudioſus, eo magis ſolicitus fuit de illa cuſtodienda in ipſa Ariſtocratia & Monarchia; partim per leges, quibus eidem conſulitur; partim per electionem ſive optimatum ſive regum. Ita enim non poteſt non jus populi in conſtituendo, & ſi quis abuſus imperii emergat, in circumſcribendo legibus imperii uſu, extra omnem controverſiam poni, & cuique regi ſanctior eſſe & haberi populi libertas.

Propterea Germani etiam nunc ſuum eligunt imperatorem, Poloni ſuum regem, Veneti ſuum ducem, purpurati romani ſuum Pontificem maximum, quia libertatis ſunt ſtudioſiſſimi, ejusque documentum inſigne ponunt in Principum ſuorum electione. Loco libertatis erit, inquit Galba apud *Tacitum l. cit.* ſi eligi incipiamus. Inde *Hertius in Elem. Prud. civ. P. II. Sect. 5. §. 1.* nos, inquit, electionem vix utilem reip. exiſtimamus, niſi ubi populus eſt ſtabilis ingenii & præclaræ virtutis, ſimul autem ferre nequit improbos dominantium mores, in regnis mere hæreditariis ſæpe tolerandos. Eo vero ingenio cum perpauci ſint, regna ſucceſſiva plerumque in optimis habenda, ceu plerisque populis probata, quoniam minus obnoxia ſunt motibus, & rebus agendis magis idonea. Ibidem ſubmonet, in certamine de præſtantia electionis & ſucceſſionis plura afferri ex favore

favore & odio, quam judicio integro & incorrupto, dum quisque suæ reip. imperium anteferre studet alienæ, observante id jam *Schæffero P. I. de reg. princip. instit. §. 26.* & *Ludolfus L. II. de Regn. Habess. c. 8 §. 1.* Argumenta, quibus disceptatur, habentur in *Barclaji Argenid. L. I. Scip. Ammirati L. III. de regni & regis instit.* & *Lipsii L. II. monit. polit. c. 3.*

§. 724.

Si electio sorti committitur, illa quatenus a mera sorte pendet, cæca dici potest; quatenus vero ope distinctæ cognitionis peragitur, oculata dicatur. Si enim sorti committitur electio, illa pendet ab exitu sortis, manebitque utcunque sors ceciderit. Pendebit igitur ab eventu fortuito, quem homo nec prævidere potest, nec præcavere. Cujusmodi eventus fortuitus appellatur merus casus aut fortuna: ideoque uti hæc cæca audit, eo quod inopinato improvisoque accidit: ita quoque electio sorti commissa dici poterit cæca. Si vero electio peragatur ope distinctæ cognitionis omnium, quæ in electione attendi merentur, non laborat illa confusa tantum cognitione & prævisionis absentia vel cæcitate, ideoque oculata dici meretur. *Quæ electio regum cæca, quæ oculata dicenda?*

Est quidem suus etiam in electione sorti locus, sed postquam rationes recte excussæ docuerunt, nihil eorum his deesse, quæ ope distinctæ cognitionis præscienda sunt & prospicienda, ut perinde sit, quænam illarum personarum eligatur (§. 575.). Enimvero de illo casu hic sermo non est, sed de Regis electione sorti committenda, quæ mere a sorte pendeat, vel quæ necessariam illam discussionem momentorum in electione attendendorum negligit, ideoque cæco impetu suscipitur absolviturque.

§. 725.

Electio regum cæca esse neutiquam debet. Est enim cæca electio, quæ mere a sortitione pendet (§. 724.). Sed ope electionis optimus est cæteris præferendus (§. 722.), cavendumque, *Electio regum non sit cæca.*

que,

que, ne quid perversis affectibus detur (§. 573.); multo igitur minus casui fortuito est committenda. Palam igitur est, regum electionem haud quaquam cœcam esse debere.

Non confundenda est hæc electio, sorti vulgari commissa, cum illa, quæ jussu divino eidem committenda fuit. Qualem reperimus injunctam fuisse vati Samueli ad declarandam electionem regis antea a Deo designati & prophetiæ ostensi 1 Sam. IX. 15. & X. 19. *seqq.* æque ac detectio furti Achanis *Josuæ* VII. 14. *seqq.* Hujusmodi electio nunc locum habere non posset, nisi postquam æqualis duorum dignitas explorata satis haberetur, & tantum declarandum esset, neutrum esse vel regno digniorem vel populo cariorem. Alius sortitionis sed fraude equisonis corruptæ casus fuit, quo Darius, Histaspis filius, rex est factus, primo scilicet equi hinnitu in suburbano loco, quo pridie clam cæteris noctu equæ erat admissus, ut narrat *Herodotus Lib. III. circa med.*

§. 726.

Incommoda electionis principum.

Incommoda electionis oculatæ sunt 1) dissensiones corruptionesque eligentium 2) regis tum novitas, tum negligentia reip. tum studium suæ familiæ proprium reddendi regnum. In omni enim electione oculata & electores dari debent, & eligibiles plures, e quibus unus cæteris præferendus ope distinctæ cognitionis (§. 724). Enimvero variis de causis oriri possunt & solent diffidia inter eligentes, sua quosque trahente voluptate; inprimis si inter ipsos eligentes quisquam sit eligendus, & perplures sint candidati, aliorum consociatione gaudentes. Unde evenire haud raro consuevit, ut alii hunc, alii alium eligant, itaque factiones & discidia perniciosa in regno oriantur. Præterea si electores ipsi non quidem suismet privatis causis diffideant, at pecunia eorum corrumpuntur, qui suffragia aliter se non esse consecuturos animadvertunt. Tunc venalia habentes suffragia vendent illa plurimum offerenti dantique, nec uni tantum

sed

ſed vel pluribus, ſi more ſolito clanculum iſta agantur, ne ſuffragia adquiſituri ſciant, quid æmuli fecerint dederintque his aut illis ſuffragaturis. Ita ambitum & corruptionem non poſſe non vitiare electionem, ut pravi eligentes pravum in reip. perniciem eligant, perſpicuum eſt.

Si vero recens electos ſpectemus, illorum novitas eo magis nocebit, quo ſunt imperitiores rerum ſibi agendarum, quo facilius nova fortuna efferuntur, item quo inferioris ſortis antea fuere. Eorundem negligentia publicæ rei facile ſubnaſcitur ex conſideratione regni non ſui, nec ad ſe amplius pertinentis, quam ratione uſusfructus, quem ex eodem capere poſſunt. Vnde hunc tanquam ſuum potiſſimum ſectabuntur, hunc amplificare etſi cum publicæ rei neglectu id fieret, nitentur, ſi indulgeant affectibus, quibus poſtponi ſolent, quæcunque ſua non ſunt, ſed vel communia tantum vel prorſus aliena. Si qui autem in ſpem veniant regnum ſuæ familiæ hæreditarium aut patrimoniale efficiendi, hi nullis parcent vel artibus, vel injuriis, quibus evolvere populum ſuis juribus, eaque utcunque in ſeſe derivare poſſint. Comparavit ergo tunc populus ſibi vel inſidiatorem, vel violentem invaſorem ſuorum jurium.

Ecquis ignorat diſſenſiones & turbas, ex eligentium diſſenſu ſub ipſam electionem & poſt illam ſæpe in electitio principatu exortas? Non uno tempore in contraria ſtudia diviſi Cardinales plures elegere pontifices, unde ſchismata non levia invaluere. Quoties olim Cæſares alii aliique ſimul fuere a romanis exercitibus electi? Quid in Polonia effecerint electiones regum diſcrepantes, & antiqua & recentior tenet memoria. De corruptione ſuffragiorum ſupra egimus. Romani cum conſulem & exercitum a Sabinis obſideri intelligerent, qui rem perculſam reſtitueret, L. Quintium Cincinnatum dictatorem creabant, & ab aratro ægre trahebant in urbem, autore *Livio Lib. 3. c. 26.*

§. 727.

Remedia adversus electionis pravitatem.

Contra quæ generatim leges sapienter sunt dirigendæ sancteque custodiendæ, adhibitis una remediis cuique e diametro obstantibus. Uti generatim malis moralibus occurrendum est legibus, sanctionibusque pœnalibus, quæ absterrere animos ab iis valeant, harumque sancta custodia, uti & in monarchia jam ostendimus (§ 692 & 718 *seqq*): ita quoque, uti in democratia (§. 571 575.) & aristocratia (§. 614. *seqq.*) severis legibus sic inhibenda est corruptio, & contra leges, salutis publicæ unicam curam injungentes, agendi temeritas, quam admitti posse, ratio & usus docuit, ut ne fieri quidem facile possit. Si vero electio liberior esse debet a restrictione alibi usitata, opera navanda est, ut electio fiat non nisi per optimates, quorum spectata virtus, religio intemerata, & propria commoda requirant electionem plane legitimam, sanctamque legum observationem. Quibus si adjungeretur damnorum reip. reparatio & pœna acerrima iis irroganda, qui sua fraude vel culpa evidenti eorum autores facti fuerint, satis cautum saluti communi videretur, his firmiter sancteque inhærendo.

Præterea diffidiis tollendis inservire poterunt reddendæ breviter, ubi opus est rationes suffragiorum diffidentium a plerisque, earumque amica & solida refutatio, ut si fieri possit unanimis obtineatur electio; sin minus, ut cæteris cedendum sit majori suffragiorum numero post animorum convictionem. Item numerus electorum exiguus potior erit ad præcavenda diffidia funesta, quam major; nec non restrictio electionis ad hujusmodi domum familiamque, cujus patrimonium hostibus magis sit expositum, quam cæterorum, ut propriis viribus bellum arcere a reliquis ditionibus compellatur; vel a qua tutior libertas, major pax securitas & accessio emolumentorum publicorum speranda sit, quam ab aliis. Novita-

vitatis metui obstabit vel electio indigenæ satis gnari legum & rerum patriæ, vel adjunctum electo præstantiorum decessoris administrorum concilium, legibus adstrictum adsuetumque. Negligentiæ reip. tum iisdem modis cavetur, tum legibus pœnalibus, ne venalia sint munera publica vel privilegia, ne bona regia alienentur, & si qua alienata fuerint, vindicentur post fata regis et restituantur suis usibus. Electionis pericula arcebit regis impotentia, concordia vero & potentia ordinum in jure eligendi tuendo.

Restrictionis ad certam familiam varia prostant exempla. Sic in Suecia olim Erici familia per ducentos annos libera electione regnum obtinuit, docente *Loccenio in Hist. Suecan. Lib. III.* & *L. II. Antiq. Succ. Goth. c. 2.* Germania per aliquot secula ex serenissima domo Austriaca imperatores elegit, quoties mares adfuere. Dania a Christiano usque ad Fridericum III. Germani Polonique multo liberiorem eligendi modum tenent ac Veneti vel Romani purpurati; multo tamen quietior est Germanorum electio, quam Polonorum. De Taprobane refert *Plinius Hist. nat. L. VI. cap. 22.* eligi regem a populo, senecta clementiaque insignem, liberos non habentem, & si postea gignat, abdicari, ne fiat hæreditarium regnum. Rectores ei a populo dari 30 &c. Sed multis aliis modis idem obtineri potest, ne opus sit rege improle. Si enim nemo esse rex potest, ac nemini parendum in regno, nisi qui sit rite electus rex, civium una voluntas, fides, unita vis, & fœdera cum vicinis inita de jurium mutua defensione & propulsatione facile cavebunt, ne quid injuriæ ipsis inferatur. Quæ de impotentia dixi, ea inculcavit jam tum *Aristoteles L. III. Polit. c. 15.* oportet regem vires habere sed tales, ut singulis quidem & pluribus quoque sit potentior, populo tamen inferior.

§. 728.

Quæ leges interregni ratione regni.

Interregni eæ sint leges, ut cura vicaria rite caveatur, ne quid interim detrimenti resp. capiat, & ut electio quantocyus secundum leges debeant

 pro-

procuretur perficiaturque. Electio novi monarchæ fieri nequit ante mortem regis, nisi ipso consentiente, vel abdicante se imperio. Licet quoque electio successoris ipso vivo fieret, aliquid temporis tamen intercederet inter vacantem a morte vel abdicatione thronum, & solemniter denuo occupatum. Id vero tempus intermedium, vel is status, quo sedes regia vacat, appellatur interregnum (§. 316. *P. VIII. Jur. nat.*) quo idcirco exercitium imperii in quemdam aut quosdam vicarios regis vel interreges est conferendum, ut nomine populi interim reip. præsint secundum leges præscriptas (§. 317. *ibid.*). His vero legibus interregni summopere cavendum est, ne quid detrimenti interim capiat resp. & ut omnia rite expediantur, quæ ad electionem novi regis quantocyus procurandam peragendamque requiruntur (§. 614. *seq.*).

Notum est, in Polonia interregem esse primatem, Archiepiscopum scilicet Gnesnensem; in Germania vero imperatoris defuncti vices gerunt elector palatinus & saxo, ille in ditionibus juris suevici, hic in ditionibus juris saxonici, qui duo imperii vicarii dicuntur. Plura de his reperiri possunt suis locis, neque sunt ignota.

§. 729.

Quæ ratione regum?

Interregni tempore abolenda erunt si qua contra leges facta, condendæque leges ejusmodi abusus summi imperii excludentes; restitutione damni dati hæredibus injuncta, vel lege commissoria æquis limitibus circumscripta. Etenim interregnum is dicitur status reip. quo sedes regia vacat (§. 316. *P. VIII. Jur. nat.*). Tum vero a populo, aut quisquis interrex sit ab eo constitutus, regis vices ita sunt exercendæ, ne quid resp. detrimenti capiat (§. 728.). Hinc si examine instituto, aut querelis rite comprobatis ostendatur, per ea, quæ contra leges irrepsere, passam esse remp. aliquid detrimenti, restituenda erit res in pristinum statum legibus

gibus conformem, ideoque abroganda erunt secus facta vel statuta. Præterea & futuræ stabilitati legum prospiciendum erit iis remediis, quæ rationi & experientiæ respondent, in leges redactis (§. 1058. *P. I. Jur. nat.*). Condendæ igitur sunt leges observatos similesque abusus summi imperii excludentes, addita sanctione pœnali, & de damnis reip. datis per hæredes compensandis, & de mulcta; aut in gravissimis legum violationibus lege commissoria, scilicet ut regno excidat si eas admiserit (§. 322. *P. VIII. Jur. nat.*), æquis tamen conditionibus temperata.

Venetiis post obitum principis 5 leguntur scrutatores rerum gestarum, qui siquid ab eo contra leges & decreta factum deprehendant, de consilii sententia rescindant. Si a quopiam munus accepit, aut statutæ pepercit impensæ, ea quinque his referentibus irrogatur hæredibus a consilio mulcta, quam leges jusserint, quæ in ærarium refertur. Vid. *Contarenus de rep. Venetor. L. 2.* Legis autem commissoriæ in Polonia usus est inde ab Henrici Electione, ubi ad calcem articulorum Henricianorum adjectum est: siquid rex contra jura immunitates, articulos, pacta egerit, aut aliquid non impleverit, incolas regni utriusque gentis ab obedientia & fide, regi debita, liberos fore. Quare & forma jurisjurandi regii incolæ regni omniumque terrarum ab omni fide & obedientia liberi declarantur, si rex jusjurandum suum violaret. Quam tamen legati subscribendo sic limitarunt, jura & immunitates non esse violatas existimandas, si per errorem humanum rex contra eas quidquam admitteret, sed si volens & sciens jura & immunitates vi opprimeret, aut per contemtum & temeritatem in dubium vocaret, ut admonitione senatus ordinumque nihil effici posset. Vid. *Heidenstein rer. Polon. p. 40.* & *Volum. Constitution. p. 227 & 257.*

§. 730.

Quia imperium transferri in alterum potest vel ad dies vitæ ipsius, vel ad certum tempus (§. 69. *P. VIII. Jur. nat.*), & *De imperii electo perpe-*

tuo, temporario & precario. prius perpetuum, posterius temporarium dicitur: patet *Monarcham* vel regem electum aut *esse temporarium tantum, aut perpetuum.* Temporarium imperium etiam dari potest in Aristocratia, vel democratia (§. 537. 627.), perpetuum vero vix nisi in monarchia locum habet. Hinc & monarcha temporarius absoluto summoque imperio gaudere potest (§. 70. *ibid.*) nec proprie rex dicetur, vel interea sibi regnum tribuere potest, si sciat se a populari vel optimatum forma tantum ad tempus vicarium esse ita creatum, ut subsit semper se constituentibus, eamque formam hoc ipso non esse mutatam nec mutatum iri sciat. Si definitum sit tempus administrandæ reip. fixo gaudet temporario imperio; si indefinito & pro lubitu revocabili, tantum precario gaudet imperio (§. 69. *ibid.*). Unde temporarium non redit ad populum nisi tempore statuto elapso; precarium vero semper potest adimi & vel populo restitui, vel alii demandari (*ibid.*). Attamen precarium quoque imperium potest esse absolutum, quanquam non summum (§. 72. *ibid.*). Nec *precarius monarcha* in democratia vel aristocratia rex merebitur dici.

De dictatoribus romanis res est notissima, quod tam absoluta gavisi sint potestate, ut ab illis nulla daretur provocatio. Exempla bene multa occurrunt in *Livii Historia.* Quintius v. c. dictaturam in 6 menses acceperat, quibus feliciter exactis se ea abdicavit. *L. III. c. 29.* & *L. II. c. 18.* ait creato primum dictatore Romæ, postquam proferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, ut intentiores essent ad dicto parendum. Neque enim ut in consulibus, qui pari essent potestate, alterius auxilium, neque provocatio erat, neque ullum usquam, nisi in cura parendi, auxilium. Quod Romæ erant dictatores, id in Græcia passim erant prætores seu summi belli duces. Qui secundum leges rex est, inquit *Stagirita L. III. Polit. c. 16.* is locum habet cum in democratia tum in aristocratia, nec is facit speciem reip. (seu regnum proprie dictum).

§. 731.

§. 731.

Populi arbitrio ex facie rerum præsenti statuendum est, cujusmodi regem eligere præstet, num absolutum, an limitatum legibus seu regnum sit laconicum; perpetuum an temporarium æsymnetam; herilem an heroicum? Dantur enim populi diversorum morum institutorumque, quorum alii serviles fere sunt, alii liberioris naturæ, sive alii magis, alii minus sunt libertatis civilis amantes, idque fere propterea quia alii sunt cultiores, alii rudiores & inculti, qui barbari dici solent (§. 52. *seq. Jur. Gent.*). Quare quum populus pro suo judicio statuque convenientem sibi regem sumat aut admittat, utique saltem pro sua opinione eum recipiet, quem in præsenti rerum facie sibi recipiendum esse arbitratur. Ideoque ipse statuet, absolutumne an legibus circumscriptum & laconicum (§. 260. *P. V. Jur. nat.*); perpetuumne an temporarium, ut æsymnetam (§. 259. *P. VIII. Jur. nat.*); herilemne & despoticum, an liberalem & heroicum malit (§. 264 *ibid.*). *Cujusmodi rex sit eligendum.*

Recenset has regnorum diversitates *Aristoteles L. III. Polit. c. 14.* Non est unus omnium regnorum modus. In Laconum rep. videtur rex esse maxime legitimus (κατα τον νομον). Neque enim potestatem habet omnium, sed cum egreditur regionem imperium habet eorum, quæ pertinent ad bellum. Præterea sacrificia & quæ diis debentur ceromoniæ ipsi sunt commissæ. Ejus igitur regnum non est nisi (autoritas) potestas belli suprema & perpetua (ϛρατηγια τις αυτοκρατορων και αιδιος). Nec vitæ necisque habet potestatem, nisi dum bellum gerit. Et quandoque successione (κατα γενος), quandoque electione (αἱρεται) habentur hæc regna. Alia monarchiæ species occurrat apud Barbaros, tyrannidi propinqua, sed inter eos legitima & avita. Sunt hæc regna duriora herilia, sed habent securitatem, quia more & legibus introducta sunt. Tertia species est asymnetia (αισυμνητεια), quæ est electa dominatio, differens a barbarica, quod non adeo usitata, durans non per vitam, sed ad

præ-

præfinitum tempus & negotium. Qualem elegerant Mitylenæi Pittacum adverſus hoſtes. (Nomen habet ab Æſymno incluto Megarenſi, qui Delphos miſſus oraculum conſuluit, ut patria rebus ſecundis uteretur! reſponſum tulit, ſi plurium conſilio uteretur. Quæ urbs occiſo ultimo rege, Agamemnonis filio, non eſſe uni amplius parendum cenſuit, ſed annuos magiſtratus, qui viciſſim ſummæ rerum præeſſent, creandos, *Pauſania teſte Lib. I.*). Quarta ſpecies eſt, quæ fuit temporibus heroicis ſecundum leges & mores patrios. Propter beneficia enim in populum collata per artes, per bellum, per adquiſitionem regionis, per conſociationem (palantium in civitatem) delatum eſt regnum & ipſis & ipſorum ſucceſſoribus. Hi & imperium belli habebant & rei divinæ ceremonias & judicium controverſiarum, alii præſtito jurejurando, alii ſine illo. Quinta omnium habet ſupremam poteſtatem, quam c. 15. dicit (παμβασιλειαν) infinitam & legibus prorſus ſolutam. Ubi tandem regna ad duo genera revocat, nempe Spartanum & pleniſſimum vel abſolutum, quorum illud non niſi perpetua belli prætura, hoc omnimodum imperium; inter quæ duo plura alia intercedant. Quemadmodum inter monarchiam & regnum laconicum ſeu principatum merum plures regni ſpecies interjacere ſtatuuntur (§. 261. *P. VIII. Jur. nat.*)

Quibus adjiciendum videtur 1) hoc intereſſe inter dictatorem & æſymnetam, quod ille conſtituitur in polyarchia ſive ea fuerit democratia ſive ariſtocratia; hic in monarchia ſeu regno; ille non eſt niſi magiſtratus a ſuperioribus conſtitutus ad gubernandam remp.; hic rex eſt, in quem populus ſummum transtulit imperium (§. 164. *P. VIII. Jur. nat.*) ille vicarius tantum eſt, et alieno nomine imperat, hic electus rex proprio vel ſuo nomine agens & imperans, quamdiu durat ejus regnum. Dictatores & ſimiles vicarii ſubſunt poteſtati populi vel electorum iisque finita poteſtate rationes reddere obligantur; ſed optimates & reges temporarii nemini rationes reddere tenentur, nec eorum actus infirmari poſſunt (§. 241. & 258. *ibid.*); nec tamen eorum ſtatuta poſtea valent, niſi adſint idoneæ rationes, ea perpetuandi

di (*ibid.*). Si populus eligit optimates etiam temporarios, manet Aristocratia salva (§. 165 & 211. *ibid.*), & si eligit reges, quantumlibet temporarios, tamen non mutatur regni forma in democratiam (§. 257 & 259. *ibid.*). 2) Quia & populus in democratia & optimates in aristocratia non tantum legibus divinis subsunt, salva summa inter homines potestate; sed & legibus humanis, quæ divinis consentaneæ sunt, ad nonnulla adstringi possunt salva forma reip. v. c. ad leges eligendi (§. 216. *seq.* & 222. *ibid.*): monarchæ & reges etiam obstringuntur legibus divinis, & humanis illas tantum huc applicantibus, salva forma monarchica & regia, nec ideo necesse est, ut monarchia legitima, cujusmodi laconica fuit, sit per se mixta (§. 262.). Quod tum demum valet, si aliæ formæ civitatis cum ipsa sint copulatæ. 3) Imperium herile vel dominicum, in quo regi dominium in subditos eorumque res tribuendum dicitur (§. 264. *ib.*) non esse nisi dominatum, in quo facillimus est ad tyrannidem transitus, nisi monarcha summa præditus sit virtute.

§. 732.

Electio regum sapienter accommodanda est ad indigentiam reip. Salus enim publica suprema lex est omnium, quæ in civitate molienda sunt peragenda (§. 116), & quidquid augere illam licito modo valet, id pariter in societate civili necessarium est (§. 117.). Electio vero in regno non hæreditario est necessaria, & genuinus illius usus est provehendus observandusque (§. 685.). Sed indigentia reip. vocatur quidquid ad salutem publicam rite consequendam, conservandam ampliandamque facit. Eapropter palam est electionem regum & monarharum sapienter attemperandam esse ad indigentiam publicæ rei. *Electio attemperanda est ad indigentiam reip.*

Quia norma agendorum in constituenda monarchia atque regia gubernatione est salus publica, item perficiendus & successionis & electionis genuinus usus, arcendus autem & cavendus, quantum pote, abusus (§. 685.): dici quoque potest accommodandam esse electionem regum ad salutem publicam, & in eo positum esse genuinum illius usum; abusum vero electionis es-

ſe, quidquid adverſatur, impedit, minuit, aut plane evertit ſalutem publicam. Ad hanc enim collineare indigentiam reip. non diſſimulavimus. Aliis verbis idem ſic diceretur, conformandam ſemper eſſe electionem emolumentis reip. & abhorrere debere ab ipſis nocumentis, periculis, impedimentisque.

§. 733.

Corollaria datæ regulæ. Quapropter ſi reſp. potius indiget indigena quam peregrino, *non eligendus erit extraneus, ſed indigena digniſſimus.* Si vero potius indiget auxilio externo, aut incrementis ab alienigena conſequendis, aut ſumtibus alienis florentior fieri poteſt reſp. quam ſi ſuis ſe conſumere aut atterere debeat oneribus, *præferendus in electione erit habilis pinguiorque extraneus indigenæ cuique.* Si ſalus regni indigeat patrimonio & propugnaculo cujusdam ſeu indigenæ ſeu extranei principis, ad hoſtes potiores arcendos ſuis potiſſimum ſumtibus & periculis, aut ſi plures hujusmodi principes dentur; *electio ſapienter illos gentiles cæteris præferet regni procis, aut alternatim pro indigentia reip. ex illis quæret novum regem*, ſive lex electionis publica id præſcribat, ſive tacita lex in conſuetudine ſapienti receperit id ipſum. Si in una maxime familia principum hæc, quæ innuimus emolumenta firmamentaque ſalutis publicæ contineantur in eadem vero non detur niſi femina ſapienti regimine conſpicua; *electionem quoque a femina ſeu regina regno vel imperio præficienda non abhorrere, rationi eſt conſentaneum, licet ut plurimum mares eligendi ſint* (§. 708.) & (§. 281. *ſeq.* P. *VIII. Jur. nat.*). In eodem caſu *electio imitari poteſt ordinem ſucceſſionis, niſi quando inſigne occurrit impedimentum*, ob quod is ſit deferendus. Si quo caſu femina occurrat patrimoniali regno gaudens, cujus imperium expediturum reip. videatur, & cujus regnum aut conjungi cum electili in perpetuum, aut matrimonio conſociari poſſit ad potentiam regni valde augendam, minimum foederis arctioris & perpetui lege; *quin & ea conſtitui eligique regina poſſit, non erit dubitandum.*

§. 734.

Et brevitati & ordini tranquillitatique reip. conducibilius erit, ſi paucioribus potius committatur electio regis, quam pluribus, niſi hi legibus poenalibus ad concordem boni publici curam validiſſime adſtringantur. Electio enim quantocyus eſt peragenda, ne longius interregnum reip. fiat calamitoſum aut plane pernicioſum (§. 728.). Jam pauciores citius poterunt convocari, ſuffragari & abſolvere electionem, quam plures. Præterea pauciores ordinis præſcripti eo obſervantiores eſſe ſolent, quo magis verendum eſt ipſis, ne contra illum agentes a pluribus in jus vocentur & jure ſuo priventur. Neque pauci diſſenſu ſuo turbas aut bellum reip. creabunt, ſed pauciores ſponte cedent ſuffragiis, quod in magna multitudine eligentium, ubi fere pares ſunt circa electionem diſſidentes multo difficilius obtinentur, præſertim ſi qui numero vincuntur potentia majori, ſui candidati regni aut jam electi regis victoriam ſperent. Quod etiamſi fiat, aut non fiat, respubl. tamen bello inteſtino implicatur multis malis foecundo, niſi prorſus ruinam electioni minanti, ſi victor jure victoriæ abuti & regnum hæreditarium ac patrimoniale ſibi arrogare, & vi artibusque obtinere ſcopum didicerit, valeatque. Ea propter & brevitati & ordini ſanctiori, & tranquillitati ſecuritatique reip. conducibilius erit, ſi pauciores potius gaudeant jure eligendi novum regem, quam plures, legibusque ad inhærendum officio & ſaluti publicæ ſint obſtricti.

Præferendi pauci elector. pluribus niſi valde circumſcriptis.

Quoniam vero & plures immo omnes in rep. legibus poſſunt & debent in eum redigi ordinem, ac in officio, quod bono publico debent, contineri, modo leges recte attemperentur iis, quæ legi naturali inſunt; fieri puoque poteſt, ut plures adhibeantur electores, neque perpetuo ejusdem gentis aut muneris publici, ſed pro temporis ratione ab ordinibus electi & deputati ad vota ſua in ſuffragiis perferenda. Modo

opera detur, ut illi ſapientiſſimis legibus coërceantur ad evitandas turbas & pericula reip. avertenda, & ad ea ſequenda, quæ meliora ad ſalutem publicam futura eſſe intellexerint, ut concordia publica ſervetur & rex optatiſſimus obtineatur. Quod eo facilius obtinebitur, quo graviores poenæ ſecus factuis aut pecunia, affectuve corruptis certiſſime impendent.

Ubi per deputatos ordinum electio peragitur, hoc ſpectatum dici poteſt, ut ordines, candidatis propoſitis, ipſimet judicare poſſint, quem eorum ſibi maxime profuturum arbitrentur, & hanc ſuam voluntatem deputatis perſerendam & declarandam demandare poſſint. Quæ res utique conſulta videtur, ſi ordines ipſi ſatis gnari ſint omnium momentorum in electione attendendorum, & perſonarum accurata gaudeant notitia. Quæ ſi deſint, aut manca & mutila tantum fuerint, minus accurate eorum ſuffragium vago rumori ſuperſtrui poſſe relinquetur. Accedere etiam poteſt deputatorum vel obſtinatio in erroneo ſuffragio ſibi commiſſo, vel corruptio, utcunque pallianda, & eo facilius admittenda, quo minus poenæ verendum erit. Inde tunc pauci omnem & plenam cauſarum cognitionem habentes, quia olim illius ſtudioſiſſimi fuerunt, rectius ſtatuere poterunt, quis candidatorum maxime expediat reip. præſertim ſi jactura juris eligendi cum ejus abuſu conjuncta intelligatur.

§. 735.

Quando ſuffragia eligentium aperta præſtent.

Si fides ſilentii ſecura, nec eligendus interſit electioni; præſtabit ſuffragia aperta additis breviter ſolidis rationibus ferre, quam occulte; modeſte refutatis rationibus contrariis. Etenim ſi ſuffragaturi ſibi dederint fiduciam ſilentii, ut par eſt, libere quisque ſententiam dicere poterit, quam legibus convenire, & moribus momentisque reliquis minime prætereundis, docere poteſt. Non habet veritas, cur inter bonos in conſpectum prodire vereatur; nec animus religioſus, cur vereatur dicere, quod recte cogitavit. Ita facilius argumentorum pondera convictionem & concordiam promovebunt, ſi quæ ſpecioſe contra dicuntur,

tur, modeste refellantur. Hujusmodi igitur aperta suffragia eligentium, posita eligendorum absentia, præstare constat occultis (§. 579.). Quod & eo casu præsente eligendo valet, si ejus virtus sit summa.

Supra adduximus exempla Venetorum, hic non repetenda, quibus similia habentur in Electionibus Germanorum.

§. 736.

Electionem consummat acceptio electi, mutua fides jurata de servandis promissis, & inauguratio solemnis. Electio enim hic est actus publicus, quo legitime decernitur translatio imperii in eum, qui per se nullo jure imperandi gaudet. Transferendo datur, & decreto transferendi promittitur alteri datio imperii. Sed si promittimus, quod alteri quidquam dare velimus, absolvi actus ille nequit, sed irritus fiet, si alter accipere promissum aut datum nolit. Ea propter consummanda est electio acceptione electi, sive ea ambiendo regnum & offerendo conditiones ad electionem allicientes, jam in antecessum declarata sit, sive inscius electus postea demum accipere regnum velit. Quoniam promissa magni præsertim momenti firmanda sunt religione (§. 934. *P. III. Jur. nat.*); etiam electio regnum monarchæ offerens, & ordines regni ad obsequendum legitime imperatis, & electum ad bene imperandum obligans jurata fide est firmanda, ut eo sanctior sit promissorum observatio, quod ex pactorum doctrina constat. Denique ut innotescat omnibus peracta electio, solemnis ejus restat promulgatio & inauguratio, aptis ceremoniis peragenda. De qua suo loco inter ceremonias agendum. *Quænam electionem absolvant.*

§. 737.

Monarchia sit imitatio gubernationis divinæ, quantum datur, ut omnibus bene sit. Quia enim rectores civitatum non sunt nisi Dei in hominum gubernatione vicarii (§ 337.), atque summo opere eniti debent, ut dei vices dignisime impleant (§. 338.), ipsis- *Monarchia sit imitatio Dei.*

ipſisque propterea ſtudendum eſt tantæ virtutum ſublimitati, quantam aſſequi mens humana valet, imitandumque Dei, quod in ſe ipſis experiuntur, exemplum (§. 339.): monarcharum inprimis eſt, ut quo propior ipſorum regiminis forma eſt divino imperio, quam cæteræ civitatum formæ (§. 293.), eo magis Deum imitentur in ſapientiſſima benigniſſimaque gubernandi ſibi ſubjectos ratione; unde conſpicitur, Monarchiam inprimis quoddam veluti ſpeculum, veramque imitationem gubernationis divinæ eſſe debere, quantum humanis fieri poteſt facultatibus. Dei vero regimen eſt ſapientiſſimum benigniſſimumque (§. 902. *ſeq. P. I. Theol. nat.*), quo vult, ut omnis homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſui ſtatusque ſui (§. 905. *ibid.*), nec non ad perfectionem aliorum hominum ſtatusque eorundem (§. 909. *ibid.*), & obligat homines ad actiones ſuas non ſuo arbitratu, ſed ſecundum Dei voluntatem inſtituendas (§. 987. *ſeq. ibid.*), ut omnes ſint felices (§. 998. *ibid.*). Quam ob rem merito & Monarcharum eſt ea præcipue cura, ut cum ipſis una omnibus bene ſit.

Hinc apud *Stobæum Serm. 46.* Dialogo Pythag. regnum res eſt divina (θεομιμον εςι πραγμα βασιλεια) & Platoni rex eſt Deus quidam humanus, *L. IV. de Legg.* Ariſtotelique *L. III. Polit. c. 13.* ὥσπερ γαρ θεον εν ανθρωποις εικος ειναι τον τοιετον. Inſtar Dei princeps *Plut.* Confer, *Exod.* VII, 1. XXI, 6. XXII, 8. *ſeqq. Johan.* X, 34.

§. 738.

Monarchæ veri ſuorum Patres.

Quoniam Deus cuique tantum confert boni, quantum ſalva ſumma ſapientia fieri poteſt (§. 698. *P. I. Theol. nat.*), tantaque omnes proſequitur bonitate vel benignitate, qua major concipi nequit (§. 699. *ibid.*): Deus melius proſpicit hominibus ſingulis, quam parentes ſuis liberis proſpicere poſſunt, ideoque optimus pater omnium hominum vocari meretur. Jam Monarchia eſſe debet imitatio exacta gubernationis divinæ, quanta in viribus humanis relicta eſt (§. 737.). Idcirco

Monar-

Monarcharum insignis laus & præstantia est, si sint veri patres sibi subjectorum, paternaque suorum cura eminere inter sui similes studeant (§. 653. *Oeconom.*).

Inde reges gratia erga subditos suos insignes, dudum patriæ patres, reginæ ipsis similes, regni totius matres judicio subditorum, id luculenter experientium expertorumque dici meruerunt. Ita *Plinius L. VII. c. 30.* de Cicerone, illum velut præsentem colloquens: salve primus omnium parens patriæ appellate! *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit,* canente similiter *Juvenali Sat. 8.* Quod primum Ciceroni concessum nomen honorificum, idem deinceps Octavio Augusto inditum, teste *Suetonio in ejus vita c. 58.* his verbis: Patris Patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei. Prima plebs, legatione Antium missa; dein quia non recipiebat, ineunti Romæ spectacula frequens & laureata: mox in curia senatus, neque decreto neque acclamatione sed per Valerium Messallam id mandantibus cunctis. Quod bonum, inquit, faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste, (sic enim nos perpetuam felicitatem reip. & læta huic precari existimamus) Senatus Te consentiens cum populo romano consalutat *Patriæ Patrem.* Cui lacrymans respondit Augustus: compos factus sum votorum meorum, Patres conscripti, quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat. Quo nomine, mirum non est, dein alios Cæsares appellari publice voluisse, cum perspicerent, quantæ sit laudis dilectionisque, populorum patrem merito citari usurparique.

§. 739.

Nec tamen officiorum erga se neligentes.

Cura salutis publicæ non infert neglectum regis propriæ felicitatis, & singulorum civium privatæ, sed illam potius necessario includit quatenus haberi salva salute communi potest. Nullus enim rex & monarcha ea in re Deum imitari potest, ut ipse nullius rei indigeat, & tantum aliorum felicitati procurandæ intentus sit; quum a se esse, & in sese solo omnia habere nequeat, quod per

se est

ſe eſt evidens. Jam in omni ſocietate fines partium non ſolum iidem manent, qui extra eam fuere, ſed inſuper provehendi ſunt ultra, ut eo rectius pleniusque obtineantur (§. 1152. *P. VII. Jur. nat.*). Ea propter & Regis & uniuscujusque privati civis ſalus in regno ſalva non tantum manere, ſed & conjunctis viribus augeri, ſtabiliorque & tutior reddi debet (§. 250). Vnde manifeſtum eſt, regis eſſe eas partes in regno, ut tanquam pater ſuorum liberorum ſaluti optime cupit, & conſulit, quantum ſalvis cæteris officiis potioribus fieri poteſt, ita ipſe ſuorum ſubditorum & omnium & ſingulorum ſalutem inſtar patris procuret, non vero cum neglectu ſuæ ſuorumque ſalutis. Neque omnino fieri poſſet, ut neglecta ſalute propria, ſubditorum ſaluti præ eſſet & prodeſſet. Patet igitur, curam ſaluti publicæ non poſſe inferre neglectum ſalutis privatæ regis, neque etiam ullius civis privati, quoniam publica ſalus non eſt niſi omnium privatorum ſalus ſimul ſumta conjunctisque viribus provecta (§. 34 *ſeq.*). Salutis ergo communis cura non negligenda involvit omnino curam privatæ ſalutis regiæ, & ſingulorum civium, quanta conſiſtere cum ſalute publica & utraque ſalva haberi poteſt. Neque enim hæc neque illa eſt negligenda, ſed ſatisfaciendum utrique, ut amiciſſime conſpiret (§. 35. *ſeq.* 51. *ſeqq.* 119 *ſeqq.* §. 250. *ſeqq.*).

Eſt hoc principium generale, e quo plurima deduci poſſent, ſi quis plenius illa perſequi vellet, quæ regiis inſunt officiis. Sufficit in ſyſtemate fontes aperuiſſe, e quibus & rivuli innumeri & ſingulorum perennitas ubertasque, omnia, quæ afficit, fœcundans, emanare queant. Vrget tempus, urget prælum finem.

§. 740.

Quomodo rex ut ſua ſpectare debeat quibus præeſt?

Merito Monarcha regnum conſiderat ut ſuum, ſubditosque ut ſuos, ſuæque fidei & tutelæ commiſſos, quorum & ſtatus florentiſſimus, haud ſecus ut ſuus eſt curandus, & quorum cauſa, ſi quid ſecus, ac par eſt fecerit, ratio Deo juſtiſſimo ſit reddenda. Monarchæ enim abſoluto regnum eſt patrimoniale, quod itaque haud ſecus ac cuili-

cuilibet privato suum patrimonium curæ cordique esse debet, ut illud non tantum conservet, uti a majoribus accepit, verum etiam illud ejusque florem quoad licet augeat, & quam florentissimum ad posteros transmittat (§. 686. *seq.* & 713. *seqq.*). Etiamsi vero tantum sit usufructuarium, tamen & ususfructus tantus quo difficilius & paucioribus obvenire potest, eo majori cura est conservandus, augendus ac perpetuandus, etsi tantum foret feudalis. Quod ut eo exactius & diligentius curetur, consideranda est magnitudo jacturæ, si quid fiat, quo illa oriatur. Ideoque Monarchæ cuique & regnum est considerandum ut suum, & quidquid in eo habetur. Cum omnes & omnia aliquid conferant ad monarchæ dignitatem, necessitatem, commoditatem, jucunditatemque tuendam, augendam, perpetuandam (§. 739) non potest non monarcha illa, quæ regno universo & cuique civi ejus læta & optata contingunt, sunt & ampliantur, pro suis saltem eatenus habere, quatenus ipse eorum legitime est particeps. Regnum igitur monarcha & rex tanquam paterfamilias ut suum intuens (§. 786. *Oeconom.*), suarum ducet esse partium, suæque sapientiæ, subditos tractare ut suos domesticos suæque fidei & tutelæ concreditos, quorum statum florentissimum haud secus curabit, ac suummet, & quorum causa, si quid secus egerit, ac par est, numini justissimo ratio sit reddenda pro meritis retributura (§. 647. *Oeconom.*).

Hunc quoque fontem, ex natura herili & patrisfamilias apertum personas obligationemque pariter ac res ut suas tractandi, largum experientur & copiosum, qui commentari uberius de iis volent, quæ reges decent, dedecentve. Quod nemini obscurum esse potest, qui vel illa tantum meditari aggreditur, quæ de his in rebus privatis disputata ostendet *Oeconomica.*

§. 741.

Vice versa & subditorum erit, regem diligere, venerarique more liberorum magis quam servorum omnique obsequio demereri. Fluunt hæc ex paterna regum indole induenda exserendaque erga *Subditi more liberorum suos diligant*

colantque reges. ſubditos (§. 738.). Cui nil eſt convenientius, quam ut ſubditi eam agnoſcentes magis liberorum quam ſervorum ritu reges pro ſummo dignitatis faſtigio colant, diligant, revereantur, omnique obſequio proſequantur ac magis magisque demereantur, quacunque par eſt ratione (§. 707. *Oeconom.*).

In *Xenophontis memorabil. L. III.* Socrates negat, illos eſſe reges, qui ſceptra tenent, vel a quibusvis ſunt delecti, vel ſorte aut fraudibus eo pervenerunt, ſed quotquot imperandi peritia pollent, eos ait eſſe reges. Si quis fatetur, ejus eſſe, qui cum imperio præſit, imperare, quod agendum ſit, etiam fatendum eſt, ſubditi eſſe parere. Quod poſtea illuſtrat exemplo rei nauticæ, & agriculturæ. Sed de his alibi luculentius erit exponendum.

§. 742.

Quibusnam opus ſit adminiſtris? *Opus eſt cuilibet monarchæ ſapientibus & amicis adminiſtris.* Tametſi enim iis, quæ quotidie fere & ubivis locorum occurrunt, rebus ſecundum legum præſcriptarum normam diſceptandis dijudicandisque magiſtratus & judices præficiuntur, ut in aliis civitatum formis: reſtat nihilo ſecius tanta negotiorum moles, ut omnibus illis decidendis, inveniendis, emendandis unus ſufficere nequeat. Ne igitur monarcha negotiorum copia obruatur, vitæque filum cum neglectu officiorum erga ſeipſum, & magno cum regni damno abrumpat: indiget miniſtris probatæ fidei & taciturnitatis in partem curarum publicarum venientibus, iisque ſapientibus, prudentibus & amicis, ut & pares ſint rebus illis diſcutiendis, nec ab officio latum unguem diſcedere velint. Alias verendum, ut ipſorum inſcitia vel injuriæ ſubditis illatæ regi fiant infeſtæ. Horum enim opera levandi ſunt labores, horum conſiliis adhibitis facilius detegentur ea, quæ in rebus arduis, dubiis & periculoſis curanda diſcutiendaque ſunt. Indigent igitur reges ſapientibus admodum, prudentibus & fidis amicisque in ſummis rebus adminiſtris, quorum utantur opera, ope & conſilio, quando illis opus eſt.

Sic Moſes olim recte admiſit conſilium de adſciſcendis varii generis præfectis *Exod.* XVIII, 21. *ſeqq.* Sic *Ariſtoteles* ſiſtit diſputantes contra Monarchiam *L. III. Polit. c. 16.* Non facile eſſe, unum omnia diſcernere, opus eſſe, ut plures ſint, ſub eo magiſtratum gerentes - - - Si vir bonus (σπȣδαιος), quoniam melior, præeſſe debet, uno plures eſſe meliores - - - Opus eſſe ſummo ſenatu, qui gaudeat poteſtate judicandi de his, de quibus lex ſtatuere non potuit. Hinc quæſtionem eſſe dubiam, meliusne ſit ab optima lege, quam ab optimo viro gubernari, cum lex de iis, quæ conſultatione egent, ferri non poſſit. Vbi vero ſunt, quæ conſultanda ſunt, ibi melius eſſe, non unum ſed plures de illis judicare - - - Inde reges æque ac tyrannos plures ſibi comparare & oculos, & aures & manus, & pedes, præficiendo amicos & curationem rerum illis committendo. Qui niſi ſint amici, non poſſe exſpectari, ut faciant ſecundum monarchæ fines (προαιρεσιν). Si vero ſint amici ejus, eos illi pares eſſe & ſimiles. Quare dum cenſet eos eſſe præficiendos, certe illum, pares & ſimiles gubernationi præficiendos, cenſere. Quibus addit Philoſophus *cap. 17.* hæc in quibusdam ita ſe habere, in quibusdam non ita. Quibus innuere videtur, & optimis legibus opus eſſe, ubi leges ferri poſſunt, & optimis conſultoribus, miniſtris adjutoribusque, ubi nequeant leges ferri.

§. 743.

Quando regi vicario opus ſit, nec ne?

Si rex ipſe plurimis gerendis rebus par ſit, ipſe per ſe potius regnabit, quam per alios; ſi vero impediatur, plurima committet ex amicis quem habet, fidiſſimo præſtantiſſimoque, tanquam vicario. Nemo non fatetur, inſignem præcipuamque eſſe monarchæ laudem, ſi ipſe ſummis rebus gerendis par ſit, ac per ſe præſit; licet humanæ ſortis memor, amicorum judicia & conſilia requirat, ut optima ex illis, quæ & ipſi in mentem veniunt, & ab aliis ſuggeſta fuerunt, eligere & ſequi poſſet (§. 742.). Vbi vero legitima occurrunt impedimenta, ut ſi morbi ſanitatisque ratio jubeat abſtinere a nimiis imperii curis, ſi regni partes adeo ſint diſſitæ, ut permoleſtum ſumtuoſumque ſit, regem tam remotum frequenter adire, ſi partes imperii exer-

cendi tanto cum periculo ſint conjunctæ, cui ut ipſe Monarcha ſe exponat, nec conſultum eſt, nec ipſi ordines regni permittunt: quin in hiſce caſibus monarcha præſtantiſſimo fidiſſimoque amicorum intimiorum recte ea committat, quæ ipſum ex regia voluntate optime curaturum eſſe perſuaſum habet, nullum arbitror eſſe dubitaturum (§. 627.).

Vnum an plures hujusmodi vicarios habeat & admittere velit, pro re nata eſt ſtatuendum. Auguſtus duos habuit præcipuos amicos, quorum ſententiam in rebus graviſſimis conſuluit, Agrippam & Mæcenatem. Horum Orationes, jam mutilatas, de monarchia deponenda & conſervanda oblivioni eripuit *Dio Caſſius Hiſt. rom. L. LI.* Tiberius uno gaviſus eſt Trajano. Neque opus eſt plures commemorare miniſtrorum primicerios, cum nec hodie ignorari poſſint. Conferantur quæ de vicariis parentum conſtituendis expoſita ſunt in *Oeconomia.*

§. 744.

Quare majeſtas monarchæ potiſſimum oſtendatur?

Nulla re propius majeſtas monarchæ divinæ majeſtati accedere poteſt, quam excellentia & ſublimitate virtutum, maximaque vitiorum quorumvis fuga. Neque enim quidquam magis monarchiam decet, quam imitatio gubernationis divinæ (§. 737.). Nemo vero neſcit, divinam majeſtatem nulla re magis conſpicuam fieri illuſtrarique, quam ſummarum virtutum præſtantia infinita, ab omni vel minima vitiorum labe puriſſima. Licet igitur finita Monarcharum natura, quod infinitum eſt aſſequi nequeat; quousque tamen imitatio humana pertingere poteſt, quod laudatiſſimorum Monarcharum & regum exemplis conſtat, eousque virtutum excellentia, quantum ipſa potentia ſupra vulgarem & privatam hominum ſortem evehenda, maximaque vitiorum quorumvis fuga, enitendum eſt (§. 339.). Etſi potentia eminentior privata quoque majeſtatem arguat, tamen ſola illa vix quidquam valeret niſi præſtantia virtutum optime regeretur. Eapropter pateſcit nulla re propius monarchæ majeſtatem accedere ad divinam majeſtatem poſſe, quam

tanta, quanta in hominem cadere poteſt, virtutum ſublimitate, maximaque vitiorum quorumvis deteſtatione.

§. 745.

Non rectius niſi ope caſti felicisque matrimonii monarcha ſtudebit conſervationi gentis & monarchiæ ſuæ, & quando id ſimul fieri poteſt conſultumque deprehenditur ejusdem amplificationi. Nulla enim re magis oſtendi ſtabilirique majeſtas poteſt, quam excellentia & ſublimitate virtutum, vitiorumque fuga (§. 744.). Inde quoque eadem virtutum eminentia in familiæ regiæ, vel quo alio nomine veniat, conſervatione & propagatione, ipſiusque monarchiæ ampliatione erit utendum. Enimvero illa habetur in matrimonio exquiſito, pari virtutum præſtantia inſignito, caſtiſſimo, feliciſſimoque omni ex parte. Quapropter ita & familiæ & monarchiæ propagationem ampliationemque (§. 717.), ſi ea conſulta eſt, optime haberi poſſe patet; ſi vero moles illius augenda non videtur, ſaltem alia regna fœderata & affinitate ac jure ſanguinis firmiter connexa poterunt obtineri, & ſic potentiam ejus augere (§. 164. *ſeqq.*).

De propagatione gentis & monarchiæ.

§. 746.

Neque tamen cura potentiæ licitis aliis modis augendæ, quantum neceſſe eſt & expedit, poſtponenda eſt. Debilioribus nempe civitatibus opera danda eſt, ut ſibi ſenſim adjungant alias, unde habere poſſunt, quæ ipſis deſunt (§ 138.). Inde, quo minus ab inſidiis hoſtium tutæ ſunt, & quo magis augendæ ſaluti ſuæ proſpicere cupiunt: eo major ipſis danda eſt opera, ut cum aliis conſocientur, quam optime (§ 141.), ſive intima, ſive extima conſociatione per fœdera (§. 143. *ſeqq.*). Inter civitates humanas monarchia eſt illa, quæ proxime ad divinæ gubernationis imaginem efformari poteſt (§. 737.) Quod quum nulla re melius fieri poſſit, quam virtutum ſublimitate propemodum divina (§ 744.); divina autem monarchia omnes, alias quoque potentia vincit, ut proprie potentiſſima omnium

Cura augendæ rite potentiæ non eſt negligenda.

dici mereatur, quod nemo nisi atheus infitias ibit: Quamobrem, si hostium causa opus sit, ut ipsius potentia augeatur, quo par esse illis possit (§. 159. *seqq.*), modis quibuscunque licet, intus & extus, ut sufficit potentiæ & expedit augendæ, erit studendum, haud quaquam vero hæc cura plane postponenda (§. 462. *seqq.*).

Huc facit arctior consociatio cum aliis Monarchiis ope affinitatis, consanguinitatis, amicitiæ & fœderum mutuorum.

§. 747.

Cura veræ religionis quid requirat?

Si populus vera gaudeat religione, eidem exercendæ, conservandæ, ampliandæque Monarcha & exemplo præerit, & sumtibus, & aliis salutaribus institutis; sin minus, rectiora reapse doceri veritatis cupidos curabit. Sunt enim Monarchæ non nisi Dei inter homines regendos ad publicam salutem vicarii (§. 337.), ac eniti debent, ut dignissime ipsius vices impleant (§. 338.), & inprimis, ut ad gloriam Dei amplificandam conferant, quidquid conferre valent (§ 340.), atque ea in re de principatu inter se invicem honestissime contendant (§. 343.). Sed non alia re directius gloria Dei illustratur, quam vero de Deo sensu, rectoque ejus cultu, hoc est vera religione (§ 373. *seqq.*). Propalam igitur est, si populus vera religione est imbutus, eidem quam optime exercendæ, conservandæ, amplificandæque & exemplo suo, & sumtibus, & salubribus aliis institutis inservire & posse & debere (§. 744.).

Quod si aliter se habet, & erronea, non opinione Monarchæ sed reapse est religio populi, paterna salutis communis cura, monarchæ incumbens (§ 738.), postulat, ut sensim veritatis cupidos doceri, & beneficiis ad illius professionem allici curet. Vim autem & injuriam quamcunque longissime ab hoc negotio esse removendam, vel ex Dei & sui exemplo habebit perspectum (§. 339.); nec non ex naturali æquitate, qua

qua quod ſibi jure fieri non vult, nec aliis facere debet (§. 98. *ſeq. P. I. Jur. nat.*).

§. 748.

Proſperitas Monarchiæ in pace quærenda.

Emolumenta & Proſperitas Monarchiæ in pace & flore regni potiſſimum quærenda ſunt & oſtendenda. Proſperitatem enim dicimus ſucceſſum rerum exoptatum, tum in iis quæ ad ſalutem civitatis primariam, tum quæ ad ſecundariam faciunt (§ 45.). Cum ſecundaria ſalus affluentia rerum utilium, tranquillitate & ſecuritate civili, quanta haberi poteſt, conſiſtat (§. 46.); & pax ille ſtatus civitatis vel Monarchiæ, quo illa juribus ſuis, ſive quisque in illa juribus ſuis quiete fruitur (§. 959. *Jur. Gent.*): proclive eſt intellectu, quæcunque ad proſperitatem monarchiæ ejusque emolumenta cumulatiſſime percipienda pertinent, non eſſe in belli calamitatibus, ſed in dulci pacis otio quærenda, & potiſſimum civibus extraneisque oſtendenda.

§. 749.

Et in bello vitando aut cito finiendo.

Neceſſitate tamen bellum exigente, ſapienter olim præparata & hujusmodi utendum eſt defenſione aut injuriæ propulſatione, qua pax quam fieri poteſt breviſſime reſtituatur. Bellum enim geri nequit ſine permagna jactura potentiæ, exitu periculoſo, plurimisque aliis boni publici nocumentis peſtibusque (§ 482.), quare & monarchæ ad illud cavendum vitandumque, quoad licet, obligantur (§. 483.) Si autem hoſti injuſte nos invadenti eſt reſiſtendum, ſi quod nobis debetur v. c. regnum, injuſte denegatur, ſi futuræ ſecuritati aliter conſuli nequit, quam ope belli; neceſſitas defenſionis & injuriæ propulſandæ, ſecuritatisque obtinendæ, bellum imperat, & evitari tum illud nequit (§. 619. *Jur. Gent.*). Utendum itaque tum erit ſapienter ad bellum tempore pacis præparatis, ea & prudentia & fortitudine, ut quantocyus vel quam breviſſime fieri poſſit, pax reſtituatur (§. 748.).

§. 750.


§. 750.

Consociatio Monarchiarum in quoddam corpus.

Ad pacem eo diutius conservandam & bellum eo citius profligandum finiendumque facit hujusmodi plurium monarchiarum seu regnorum arctior consociatio, qua velut unum corpus fœderatum inde conficitur, uti in democratiis & aristocratiis. Quo magis enim civitas consociata est cum aliis potentioribus, eo est ipsa potentior, securior & hostibus formidabilior (§. 140. & 159.). Hinc & cæteris paribus quo plures quoque majores monarchiæ sunt consociatæ, eo erunt illis magis ab aliis formidandæ, si fœderibus exacte satisfiat (§. 467. *seqq.*). Quo arctior est consociatio, eo plura officia uni a cæteris, vel omnibus a se invicem debentur (§. 147.). Eapropter quo arctior est monarchiarum consociatio, eo plura auxilia & subsidia habebit ab aliis speranda, & salvis fœderibus eo erit tutior securiorque. Quocirca si qua monarchia, aut si plures monarchiæ aliis vicinis sunt debiliores; vel si in se non sint debiles, sed vicinis potentioribus circiter æquales, quæ autem pluribus potentioribus sunt arcte fœderatæ: opus erit, ut æquilibrii servandi causa ineantur societates monarchiarum contrariis abunde pares (§. 505); haud secus ac supra vidimus id usurpari in Democratiis (§. 598. *seq.*) & Aristocratiis (§. 663.). Ita enim cæteris recte se habentibus fiet, ut & pax sit diuturnior, & bellum in prima herba suffocetur.

Me quoque tacente patebit, plura de his discutienda restare, item de abdicatione, aliisque, de quibus alibi dicendi locus occurret. Nunc enim rivi sunt claudendi, postquam sat prata biberunt.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0026897

